



MANUALE

ECCLESIASTICORUM

SEU COLLECTIO


DECRETORUM AUTHENTICORUM


SACRAE RITUUM CONGREGATIONIS

QUAE CUILIBET ECCLESIASTICO MAGIS UTILIA VEL NECESSARIA CENSENTUR
ADDITO ORDINE LITURGICO PRO ORATIONE XL HORARUM



EDITIO, POST ALTERAM ROMANAM ANNI MDCCCXLV, DILIGENTIUS
EMENDATA
CURA AC STUDIO SOCIORUM BIBLIOTHECAE CATHOLICAE





NEAPOLI MDCCCXLVII.

Non pro libito inventi, et irrationabiliter inducti, sed recepti, et approbati Catholicae Ecclesiae ritus, qui minimis etiam sine peccato negligi, omitti, vel mutari haud possunt, peculiari studio, ac diligentia serventur. Quamobrem Episcopis districte praecipimus, ut contraria omnia, quae . . . irrepsisse compererint, detestabiles tanquam abusus, et corruptelas prohibeant, et omnino studeant amovere . . . . Cum non quod fit, sed quod fieri debet sit attendendum: et regula est non cantari, nisi quod legitur esse cantandum.

BENEDICTUS XIII. IN CONCILIO ROMANO TIT. 15. CAP. I.

TYPIS VINCENTII MANFREDI

MONITUM



In *altera quae nunc prodit editione* Manualis ecclesiasticorum *seu collectionis decretorum Sacrae Rituum Congregationis, utilitati et commoditati prospeximus. Siquidem quae in prioribus editionibus secundam opusculi partem distinguebant decreta, quaeque ipse Auctor animadverterat* addenda *esse* respectivis capitulis vel paragraphis pro singulis materiis, *ordinatim suis locis disposuimus, et novissima etiam quae usque nunc prodierunt* *), *opportuniora seligendo, adiunximus. Integritati quoque huius operis consuluimus, ap-*

*) Recentiora decreta prodierunt usque ad num. 4596 collectionis authenticae, nempe usque ad diem 23 maii anni 1835.

posite subiicendo adnotationes quasdam brevissimas in iis, quae minus consona rubricis, vel Sacrae Congregationis legibus adversantia reperiuntur, exceptis praeterea paucis decretis, quae in collectione authentica non referuntur, vel repetita legebantur. Quam itaque in hac editione accurate comparanda posuimus operam, ecclesiasticis viris, qui sacri sui muneris partem diligenter implere student, neque inutilem neque ingratam fore confidimus.

PIUS MARTINUCCI
Apostolicarum Caeremoniarum Magister



LECTORI

ECCLESIASTICO ET BENEVOLO

Pene innumerabilia sunt, quae, pro exorta ubique terrarum in rebus Liturgicis dubiorum, contentionum, vel aemulationum occasione, ab Emis, et Rmis Patribus sacris tuendis Ritibus praepositis sapienter, luculenterque sancita fuere, adeo ut in ipsis eadem S. Rit. C. (quae inter quindecim Congregationes a Sixto V Ordinis Minorum institutas quintum tenet locum) a suis incunabulis die 22 *ianuarii* 1587 *habitis usque in praesens nullus fuerit in rebus quomodolibet sacris, vel etiam praecedentiis casus, inextricabilibus licet ambagibus involutus, implicatus, cui ipsa non occurrerit, non solverit, pacemque pro re nata inter partes non comparaverit.*

Et haec quidem sunt decreta, quae hortatu, subque auspiciis Emi, et Rmi D. Card. de Somaglia S. Rit. C. Praefecti, ex eiusdem Sacrae Congregationis Actibus, et Tabulis Illmus et Rmus D. Aloysius Gardellini Sub-Promotor fidei, et eiusdem S. Rit. C. Assessor, regnantibus in Petri Cathedra Summis Pontificibus Pio VII, et Leone XII, immenso labore, et patientia in septem volumina fideliter exscripsit. Hisque cum respectivis exemplaribus collatis, ut nullus amplius de eorum fide, et authenticitate supersit haesitationi locus, Illmi et Rmi Domini a Secretis eiusdem Congregationis testimonio communita sunt.

Sed quid utilitatis in tanto studio, et labore? Dum quae decreta lata, et exscripta fuere, ut omnibus saltem Ecclesiasticis paterent, adhuc sub modio latere cogantur, sive arduitate ea quilibet sibi comparandi, sive pretii latitudine, aut quovis alio incommodo, sive etiam, si praesto sint, difficultate in ea incurrendi, nisi confugium habeatur ad indicem, quae in praesens desiderantur ob voluminum multiplicitatem, et materiarum inordinationem? (quae tamen inordinatio fuit necessaria ad annorum, seu temporis seriem sequendam). Addatur, in permultis postulatis centies eorumdem repetitio, quae sexcenties iam fuerant ab eadem S. Congregatione explanata.

En proinde tota ratio praesentis collectionis: in brevi nempe volumine de praelaudatis decretis comprehendere quidquid viro ecclesiastico cuiuscumque sit ordinis, dignitatis, seu officii magis utile, vel necessarium in diem esse potest (et praesertim pro iis, qui ad calendarii editionem mei instar sunt destinati, maxime ubi agendum erit de Officio divino): et hoc ad facile inventum in totidem distinctis capitulis pro singulis materiis distributum. Quin

etiam, ubi de Praeeminentiis, in undecim paragraphos res divisa, prout de totidem diversis obiectis sermo est habiturus, nempe: 1. De Episcopis. 2. De Vicariis Generalibus. 3. De Vicariis Capitularibus. 4. De Capitulis Cathedralium. 5. De Collegiatis. 6. De Coadiutoribus. 7. De Protonotariis Apostolicis. 8. De Parochis, aliisque de Clero saeculari. 9. De Regularibus, et Sanctimonialibus. 10. De Confraternitatibus. 11. Denique Corollarium.

Cumque distinctionis ordo servetur in materiis, idcirco nullus erit respectus habendus ad ordinem dierum, vel annorum, praeterquam ubi sermo erit de Praeeminentiis, prout in casu alicuius necessitatis.

Iam equidem, ut nemo nescit, in decretorum collectione S. Rit. C. egregiam suam operam praestiterunt PP. Bartholomaeus Gavantus, et Caietanus Maria Merati Clerici Regulares s. Pauli, P. Ioannes Michael Cavalieri ordinis Eremitarum s. Augustini, D. Spiridion Talù, et alii, qui omnes, ut brevitati consulerent, compendioso usi sunt calamo, et decretorum tantummodo summarium publici iuris fecerunt: quocirca quis sit eorum genuinus sensus plerumque ignoratur, nec satis quandoque sunt pro controversiis dirimendis, dubiisque solvendis. Adde: ab eorum postremis ultra septuaginta annos iam excidisse.

Ne ergo, ut brevitati ego pariter faveam, in lapidem offensionis pedem impingam, compendioso utique utar calamo, ea solummodo decreta seligendo, quae cuilibet Ecclesiastico magis utilia, vel necessaria censentur; *et ne genuinus decretorum sensus ignoretur, ea non ex parte, seu summatim, sed ex toto, prout fuerunt a praelaudato sapientissimo Gardellini praecitatis septem voluminibus mandata, in praesenti opusculo exscribam, ab anno scilicet* 1588 *usque ad* 16 *decembris* 1828, *aliis posterioribus omissis utpote (iuxta relationem) nondum impressis.*

Sique aliquando pro explanatione, vel illustratione aliquorum de spectantibus ad sacros Ritus adferre contingat sententiam sive PP. Gavanti, et Merati, sive praesertim P. Cavalieri, sive cuiuscumque in sacris Ritibus quomodolibet involuti, ea sic erunt disposita, ut cunctis pateat, ipsa cum praecitatis authenticis decretis nihil commune habere.

Cum demum in omnibus pene Parochialibus Ecclesiis solemnis habeatur quotannis oratio XL *Horarum, ideo pro Parochorum uniformitate, et commodo operae pretium duco hic inserere finem versus Ordinem Liturgicum in praedicta oratione servandum, iam ab anno* 1821 *Typis Taurinensibus mandatum.*

Hoc unum a te, benigne Lector (ex P. Bartholomaeo Gavanto in fine praeloquii ad Octavarium Romanum), *enixe peto, et quanta possum animi humilitate rogo, ut, quotiescumque ad haec legenda veneris, mei quoque miserrimi peccatoris apud Deum reminiscaris.*

FR. BARTHOLOMAEUS A CLANTIO
Capucinus

SIXTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Immensa aeterni Dei etc.

CONGREGATIO QUINTA

PRO SACRIS RITIBUS, ET CAEREMONIIS

Iam vero cum sacri Ritus, et Caeremoniae, quibus Ecclesia a Spiritu Sancto edocta ex Apostolica traditione, et disciplina utitur in Sacramentorum administratione, Divinis Officiis, omnique Dei, et Sanctorum veneratione, magnam Christiani populi eruditionem, veraeque fidei protestationem contineant, rerum sacrarum maiestatem commendent, fidelium mentes ad rerum altissimarum meditationem sustollant, et devotionis eam igne inflamment, cupientes filiorum Ecclesiae pietatem, et divinum cultum sacris Ritibus, et caeremoniis conservandis, instaurandisque magis augere.

Quinque itidem Cardinales delegimus, quibus haec praecipue cura incumbere debeat, ut veteres ritus sacri ubivis locorum in omnibus Urbis, orbisque Ecclesiis, etiam in Capella nostra Pontificia, in Missis, Divinis Officiis, Sacramentorum administratione, caeterisque ad divinum cultum pertinentibus a quibusvis personis diligenter observentur, Caeremoniae si exoleverint restituantur, si depravatae fuerint reformentur, libros de sacris Ritibus, et Caeremoniis, in primis Pontificale, Rituale, Caeremoniale prout opus fuerit reforment, et emendent, Officia Divina de Sanctis Patronis examinent, et Nobis

prius consultis concedant. Diligentem quoque curam adhibeant circa Sanctorum Canonizationem, festorumque dierum celebritatem, et omnia rite, et recte, et ex Patrum traditione fiant, et ut Reges, et Principes, eorumque Oratores, aliaeque personae etiam Ecclesiasticae ad Urbem, Curiamque Romanam venientes pro Sedis Apostolicae dignitate honorifice more Maiorum excipiantur, cogitationem suscipiant, seduloque provideant; controversias de praecedentia in Processionibus, aut alibi, caeterasque in huiusmodi sacris Ritibus, et Caeremoniis incidentes difficultates cognoscant, summarie terminent, et componant etc.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam etc.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo octogesimo septimo, undecimo kalendas februarii, Pontificatus Nostri anno tertio.



DECRETA AUTHENTICA

CONGREGATIONIS SACRORUM RITUUM

CAPUT I. — DE MISSIS, QUAE DICUNTUR VIVORUM

1. Additionis Nominis s. Ioseph sponsi B. M. V. in Canone Missae, instantibus pluribus eiusdem Sancti devotis, Sacra Rituum Congregatio ad relationem Emi, et Rmi D. Cardinalis Iulii M. de Somalia Praefecti, et Ponentis respondit: *Negative quoad additionem Nominis sancti Ioseph sponsi B. M. V. in Canone, consulendum vero Sanctissimo pro additione permissiva Nominis in collecta :* A cunctis. Die 16 sept. 1815.

Facta per me (scilicet Card. S. Rit. C. Praefectum) relatione ad Sanctitatem Suam, Eadem benigne annuit. Die 17 sept. 1815. *Urbis, et Orbis.*

(Potest ergo quilibet Sacerdos addere in Missa Nomen s. Ioseph sponsi B. M. V. in oratione *A cunctis,* et hoc ante nomina ss. Apostolorum Petri, et Pauli.)

2. Circa *Communicantes* proprium dicendum in festo Pentecostes, in quibusdam Missalibus legitur *igneis linguis*, in aliis quampluribus legitur *innumeris linguis;* et cum ex hac lectione varia haud modica exorta sit controversia, ad eam dirimendam enixe petitur a S. Rit. C., quatenus declarare dignetur, quaenam ex dictis duabus lectionibus amplecti debeat ?

Sacra eadem Congregatio, exquisita sententia unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, respondit: *Lectionem* innumeris linguis *esse conformem Missali ab Urbano VIII recognito.* Et ita declaravit, et servari mandavit. Die 13 martii 1804. *In una ordinis Clericorum Minorum*, ad 11.

3. Utrum oratio praecepta a Superiore necessitatis publicae tempore locum habeat in diebus primae, et secundae classis? Et an praedicta oratio dici debeat sub distincta conclusione ?

S. Rit. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, censuit respondendum: *Si oratio praecepta sit pro re gravi, dicenda erit in duplici primae classis sub unica conclusione, et in duplici secundae classis sub sua conclusione. Si non sit pro re gravi omittenda in duplici primae classis, in duplici vero secundae classis arbitrio Sacerdotis.* S. Rit. C. 7 sept. 1816. *In Tuden.* ad 22 et 23.

4. An iis temporibus, quando tertia oratio in Missis est ad libitum, et ex iussu vel Summi Pontificis, vel Episcopi in Missis debeat apponi aliqua specialis oratio pro publica indigentia, videlicet contra persecutores Ecclesiae, seu ad petendam serenitatem, aut pluviam etc. haec oratio praescripta a Summo Pontifice, vel ab Episcopo necessario ponenda sit in Missis tertio loco, et praetermittenda quae ad libitum? Seu potius Celebrans possit recitare tertiam orationem ad libitum, seu devotionis, et quarto loco quae est praescripta de mandato Pontificis, vel Episcopi?

Et S. Rit. C. censuit respondendum: *in casu proposito ad primam partem Negative: ad secundam Affirmative per modum praecepti, et obligationis*. Die 17 aug. 1709. *In Bergomensi.*

5. An in Dominicis Adventus, et quadragesimae omittenda sit collecta a Superioribus imperata?

Resp. *Negative, exceptis Dominica Palmarum; et Dominica IV Adventus in huius occursu cum vigilia Nativitatis D. N. I. C., in quibus omittenda est collecta imperata.* S. Rit. C. 20 apr. 1822. *In una Cotronensi.*

6. An aspersio aquae benedictae in Dominicis diebus fieri debeat per Celebrantem, non obstante contraria consuetudine?

Resp. *Fieri debere per Celebrantem, et non per alium, non obstante contraria consuetudine*. S. Rit. C. 5 iulii 1631. *In Turritana.*

7. An in aspersione aquae benedictae, quae fit a Sacerdote alba, et stola sola induto, celebraturo immediate Missam conventualem, stola sit aptanda ante pectus in modum Crucis, vel ad utrumque latus pendens a collo?

Resp. *Stolam esse ante pectus ad modum Crucis aptandam.* S. Rit. C. 30 sept. 1679. *In una Ordinis Minorum Capucinorum.*

8. Interrogata S. Rit. C. An, si transferantur ad tempus Paschale festa Sanctorum Martyrum, in quorum Missa Introitus sit *Gaudeamus omnes in Domino*, debeat idem Introitus dici tempore Paschali, vel potius alter eiusdem temporis incipiens: *Protexisti me Deus?*

Resp. *Si Officium Missae ss. Martyrum ultra Introitum* Gaudeamus *habeat etiam proprium Evangelium, vel Epistolam, tunc debeat recitari idem Introitus, secus si nihil aliud proprii haberet.* S. Rit. C. die 29 novemb. 1738. *In Carthagen.* ad 1.

9. An, si Festum alicuius sancti Martyris habens in Missa proprium Evangelium transferatur ad tempus Paschale, dici

debeat idem proprium Evangelium, vel potius unum ex assignatis pro tempore Paschali?

Resp. *Affirmative quoad primam partem, Negative quoad secundam.* Et ita declaravit, et servari mandavit S. Rit. C. die 29 novembr. 1738. *In Carthagen.* ad 2.

10. An, occurrente infra octavam Ascensionis Domini festo Sancti Philippi, et Iacobi, seu Inventionis s. Crucis, quae habent propriam Praefationem, et non admittunt commemorationem praedictae octavae, sit dicendum in Missa *Communicantes* de Ascensione?

Et S. Rit. C. censuit: *esse dicendum.* Die 7 aug. 1627. *Urbis dubiorum.*

11. An Sacerdos ponere debeat manus intra corporalia, dum dicit orationem *Supplices te rogamus*, et orationes ante Communionem?

Resp. *Servandas esse Rubricas, quae iubent, manus ponendas esse super Altare, non intra corporale.* S. Rit. C. 7 sept. 1816. *In Tudensi*, ad 35.

12. An Purificatorium benedici debeat? Resp. *Negative.* S. Rit. C. 7 sept. 1816. *In Tudensi*, ad 26.

13. An in Missis privatis permitti possit Ministro, si fuerit Sacerdos, vel Diaconus, vel Subdiaconus, ut praeparet Calicem, et ipsum extergat in fine post ablutiones, sicut in Missa solemni?

Resp. *Negative, et serventur Rubricae.* S. Rit. C. 7 sept. 1816. *In Tudensi*, ad 12.

14. An possint Regulares impedire, quominus Episcopus in Litaniis Maioribus, vel Minoribus possit per suos Canonicos, quos secum in Processione ducit, facere cantare Missas in Ecclesiis Regularium?

Resp. *Nullo modo posse Regulares impedire, quominus Episcopus per suos Canonicos Missam solemnem cantari faciat etiam in Ecclesiis Regularium, et exemptis Civitatis, seu Dioecesis, quo huiusmodi Processiones terminantur. Nec ad Regulares, sed ad Episcopum, seu Canonicos iuxta dispositionem Libri Caeremonialis dictarum Missarum celebrationem pertinere* censuit, et declaravit S. Rit. C. die 25 ianuar. 1603. *In Firmana.*

15. Regulares non tenentur ad plures Missas cantandas, quia non sunt Ecclesiae Collegiatae, sed appellantur proprie Conventuales ab Innoc. IV, et in Clement. I *de celebr. Missar.* S. Rit. C. 13 februarii 1666.

16. An in die s. Marci, ac in tribus feriis Rogationum teneantur Regulares cantare Missam Conventualem de Rogationi-

bus,seu potius de festo currente,cum commemoratione Rogationum, cum Regulares non teneantur ad duas Missas eadem die ?

Resp. *In duplicibus primae, et secundae classis canendas esse duas Missas; in reliquis dilata* (seu differtur responsum), S. Rit. C. 16 febr. 1781. *In una Ordinis Carmelitarum Excalceatorum*, ad 1. Quaeritur hic insuper: An, et quae orationes dici debeant in Missa Rogationum ?

Resp. *Dicendas esse orationes a Rubrica praescriptas, scilicet primam de Rogationibus, secundam* Concede *de B. M. V., tertiam pro Papa, vel* Ecclesiae, S. Rit. C. ut supra ad 2.

17. In Ecclesiis Regularium diebus dominicis, quibus tam Regulares, quam exteri celebrant de Dominica, possunt exteri uti coloribus paramentorum, quibus utuntur Regulares ratione alicuius octavae. Et Regulares celebrantes in alienis Ecclesiis uti coloribus iuxta ritum earumdem, et tam exteri in Ecclesiis Regularium, quam ipsi Regulares in alienis possunt apponere commemorationem octavae ut supra occurrentis, servata rubrica de duplici oratione habenda infra octavam. S. Rit. C. 11 iunii 1701. *In una Tertii Ordinis s. Francisci.*

18. Sacerdotes etiam Regulares diebus, quibus Officia recitant sub ritu duplici, celebrantes in alienis Ecclesiis, in quibus peragitur festum cum solemnitate, et concursu populi, debent celebrare Missas, conformando se ritui, et colori earumdem Ecclesiarum : in aliis vero diebus possunt se uniformare, sed non tenentur, nisi quando color fuerit dissimilis, quia non licet celebrare, v. gr., de s. Confessore cum colore rubro, neque de Martyre cum colore albo. Si tamen in Ecclesia, in qua celebratur, non prohibentur Missae privatae defunctorum, tunc nemo tenetur se uniformare neque quoad colorem. S. Rit. C. 11 iunii 1701. *In una Tertii Ordinis s. Francisci*, et 7 maii 1746. *In una Varsaviensi*, ad 13.

19. Cum Missae de Beatis celebrari possint tantum in illis Ecclesiis, pro quibus concessum est Officium ipsorum, dubitatur, utrum Sacerdotes recitantes Officium de Beatis, sed celebrantes in Ecclesiis, ubi fit de Sancto, possint dicere Missam Officii, vel teneantur se conformare Ecclesiae, in qua celebrant ?

Resp. *Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.* S. Rit. C. 7 sept. 1816. *In Tudensi*, ad 17. Et hoc quoad Regulares etiam in Oratoriis publicis officiatis ab ipsismet Regularibus extra Conventum, quae considerari debent, ac si esset ipsamet Ecclesia Parochialis, sub cuius districtu sita manent, ut per decretum. S. Rit. C. 16 decembris 1828. *In Vo-*

laterana, in quibus Oratoriis dicere non poterunt Missam de Beatis, de quibus recitant Officium.

20. Tres Missae ab Episcopo Ordinatis impositae debent dici, quando iuxta Rubricas licet Missas votivas celebrare, quinimo celebratio earundem alterius adhuc differri poterit, si rationabilis causa subsit. Insuper sola Missae qualitas, non Sacrificii applicatio praecipitur, ut ex contextu verborum Pontificalis Romani; et, cum non sint astruenda onera, nisi verborum, quibus lex constat, tenor cogat: ideoque bene possunt noviter Ordinati huiusmodi Missas pro aliis applicare, P. Cavalieri tom. 3. cap. 12., et s. Alphonsus Maria de Ligorio Episcopus lib. 4. tract. 5. *de Ord.* num. 829., post P. Mazzotta, *de Sacrificio Missae*, cap. 4. §. 3.

21. *Abbates Mitrati habentes usum Pontificalium in Missis privatis quoad indumenta, caeremonias, Ministros Altaris, ornatum, et benedictionis largitionem a simplici Sacerdote non discrepent, ac proinde sacras vestes induant in Sacristia, neque utantur Cruce pectorali: unico sint contenti ministro, aquam cum pelvi, et urceolis argenteis sibi ministrari non sinant, duasque tantum candelas super Altare adhibeant.* Decr. Alexandri Papae VII, 27 sept. 1659, ad 21. (Quid porro dicendum de Praelatis inferioribus ?)

22. An Praelati Regulares etiam Locales possint ordinare Collectam dicendam in Missa a Subditis suis, tam pro necessitatibus Ordinis, quam pro necessitate communi ?

Resp. *Non licere sine licentia Episcopi.* S. Rit. C. die 27 martii 1779. *In una Ordinis Minor.Observ.Reformat.* ad 16.

23. Ex parte Monialium Ordinis Capucinorum Civitatis Venetiarum humiliter S. Rit. C. supplicatum fuit pro declaratione infrascriptorum dubiorum. *Primo:* An Sacerdos Capellanus Monialium Capucinarum ad earum commodum celebrans possit celebrare Missam iuxta ritum Officii earumdem Capucinarum? *Secundo:* An Sacerdotes confluentes ad earumdem Monialium Ecclesias devotionis gratia possint celebrare Missas de Beatis non canonizatis ipsarum Monasteriis concessas? Et quatenus negative ad 2., quae Missa, et quo colore illa die in Ecclesiis praedictarum Monialium a Sacerdotibus confluentibus celebranda sit?

Et S. eadem Rit. C. respondendum censuit. Ad primum: *Affirmative, dummodo tamen celebret in Ecclesia praedictarum Monialium, et utatur Missali Romano.* Ad secundum: *Negative, inconsulta sacra Congregatione.* Ad tertium: *Missam celebrandam esse a confluentibus de die; et se conformare debere Officio proprio, quatenus color paramentorum*

Ecclesiae Monialium, in qua celebratur festum, sit idem, nec disconveniat, secus vero alibi celebrandum. Et ita declaravit die 11 iunii 1701. *In una Venetiarum.* Sed

Nota: Cum per concessionem Pii PP. VI, sub die 27 iun. 1781, Missae propriae Sanctorum Ordinis Capucinorum dici possint a quocumque Sacerdote in Ecclesiis Fratrum, et Monialium eiusdem Ordinis, prout notatur in proprio Missali, ideo necessarium non est, ut praedictus Capellanus utatur Missali Romano. Imo etiam pro Sacerdotibus confluentibus applicari posse videtur praedicta Piana concessio etiam in causa Beatorum.

24. Cum Rubrica Missalis *de Introitu, etc.* n. 5. praescribat, quod incensata Cruce incensentur et Reliquiae, seu Imagines Sanctorum: quaeritur, an Imagines Sanctorum debeant habere inclusas Sanctorum Reliquias iuxta Quarti part. 3. tit. 4. *de Introitu Missae*, et Merati tom. 1. part. 2. tit. 4.?

Resp. *Non esse de necessitate in sculptis Sanctorum Imaginibus in Altare dispositis sacras includere Reliquias ad hoc, ut incensata Cruce valeant illae a Celebrante thurificari.* S. Rit. C. 21 martii 1744. *In una Bergomensi*, ad 4.

25. Cum in Missali ultra primam in principio detur et altera rubrica in Ordine, et Canone Missae, et inter has videtur aliqua discrepantia, praecipue in inclinationibus, et manuum iunctionibus, quaeritur quaenam sequenda?

Resp. *Pari forma sequendas esse tum Rubricas generales, tum particulares Missalis Romani ad caeremonias in inclinationibus, et manuum iunctione rite peragendas.* S. Rit. C. 21 martii 1744. *In Bergomensi*, ad 5.

26. Supplicatum S. Rit. C. humiliter fuit responderi infrascripto dubio, videlicet: An Sacerdos celebrans Missam conventualem, in qua Chorus cantare tenetur Symbolum Apostolorum, possit illam prosequi eo tempore, quo a Choro cantatur Symbolum praedictum?

Et S. eadem C. *Non posse*, respondit. Die 17 decembr. 1695. *In Ianuensi.*

Item: An a Cantoribus in Choro incipi possit Introitus Missae, priusquam Sacerdos eamdem Missam celebraturus ad Altare pervenerit? Resp. *Negative, et amplius.* S. Rit. C. 14 apr. 1753. *Conimbricen.* ad 7.

27. Interrogatur humillime S. Rit. C. a PP. Capucinis Galliae. *Primo:* An possit omitti in Choro antiphona Beatissimae Virginis Mariae in fine Officii, licet immediate sequatur Missa, quae apud Capucinos vocatur Conventualis, quae tamen iuxta Rubricas Missalis tit. 3. num. 1 et 2., tit. 15. num. 2. cum non

cantetur a Choro, sed submisse recitetur a Celebrante, vere Conventualis dici non potest, nec pars Officii antecedentis?

Secundo: Cum non vere Conventualis sit talis Missa, nec solemnis, licet in festo secundae classis celebretur cum incenso, quia non celebratur cum aliis caeremoniis, et Ministris ad Missam solemnem requisitis, ut patet ex ritibus Missae solemnis in Missali: An in ea in festis secundae classis possit omitti commemoratio simplicis eodem die occurentis, cuius omissio praescribitur a Rubrica Missalis tit. 7. n. 1. in Missa tantum solemni?

Et S. Rit. C. referente Emo et Rmo D. Card. Colloredo respondendum censuit, *quoad primam partem circa Antiphonam finalem servetur rubrica* 36. *num.* 3. *Breviarii circa Missam, quae habenda est tamquam Conventualis. Quoad secundam partem provisum in prima parte, et servetur rubrica Missalis in dubio allegata tit.* 7. *n.* 1. Et ita declaravit die 14 februarii 1705. *In una Ordinis Capucinorum Galliae*, ad 8. (Seu ad 1. Missam esse vere Conventualem. Ad 2. In dup. 2. cl. omittendam esse commemor. simplicis.)

28. Petitio Augustinianorum, an celebraturi incedere debeant cum pileolo, quo in claustris utuntur, an vero caputio, prout utuntur alii Regulares amictu cooperto, fuit remissa ad Eminentissimum Pallottum iuxta mentem S. C. quae est, *ut caput tegant cum amictu*, die 19 novembr. 1639. *Ordinis s. Augustini.*

29. An, deficiente Subdiacono pro Missa solemni, possit per Superiores substitui constitutus in Minoribus ad cantandam Epistolam, paratus absque manipulo?

Resp. *Data necessitate posse permitti.* S. Rit. C. 5 iulii 1698. *In Collensi*, ad 18.

30. An pars inferior Hostiae praecidi debeat, an vero superior, quando dicitur *Pax Domini sit semper vobiscum?*

Resp. *Inferior praecidi debet.* S. Rit. C. die 4 aug. 1663. *Dalmatiarum*, ad 6.

31. An Sacerdos in Sacrificio Missae uti possit cingulo serico?

Resp. *Congruentis uti cingulo lineo.* S. Rit. C. 22 ianuarii 1701. *In una Congregationis Montis Coronae.*

32. An in Ecclesiis Regularium, aliisque Ecclesiis exemptis, recitandae sint collectae ab Ordinario Loci praescriptae? 2. An liceat Clero earumdem Ecclesiarum ab iis recitandis cessare pro lubitu, antequam Ordinarius id iusserit?

Resp. ad 1. *Affirmative.* Ad 2. *Negative.* S. Rit. C. 3 apr. 1821. *Decretum generale.* (Quoad 2. tamen, si iam cessavit causa, seu consecutus est effectus, et Ordinarius non soleat huiusmodi mandata revocare, tunc secus esset dicendum.)

33. An in Sabbato Sancto retinenda sit consuetudo Tiburtinae Cathedralis, ex qua post benedictionem ignis alius Diaconus ab eo, qui Celebranti assistit, et totius Missae Officio debet inservire, albis vestibus indutus, debitis caeremoniis arundinem accendit, et ad legile procedit, et ad cantandum *Exultet*, quo cantato sacras vestes deponit, et postea ad Chorum cum aliis revertitur?

Resp. *Negative, sed consulendum Sanctissimo iuxta votum*, quod erat *pro indulto servandae consuetudinis, attentis peculiaribus circumstantiis in casu, de quo agitur, benigne annuit.* S. Rit. C. 27 martii 1824. *Tiburtina*, ad 2. (Pro regula tamen generali Diaconus debet esse ille idem, qui in Missa, et Officio inservire debet, et non alius ad hanc solam functionem, et ad cantandum tantummodo Praeconium *Exultet*, ut male multi faciunt, hoc enim repugnat omnino Rubricae Missalis. P. Merati part. 4. tit. 10. *De Sabbato Sancto*, rubr. 4. n. XI.)

34. An tolerandus sit abusus, qui nimium invaluit, adhibendi in Missis solemnibus pro Celebrante loco scamni cooperti tapete sedes camerales serico damasceno ornatas, et pro Ministris similia scabella, vel potius reprobandus, atque damnandus?

Resp. *Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.* S. Rit. C. 17 sept. 1822. *Dubiorum*, ad 7.

35. SS. Dominus noster Clemens PP. XIII statuit, atque decernit, quod singulis Dominicis diebus totius anni, quibus Praefationes propriae per Rubricas non sunt assignatae, incipiendo a Dominica ss. Trinitatis currentis anni 1759 Sacerdotes omnes utriusque Cleri Saecularis nempe, atque Regularis Praefationem de ss. Trinitate, quae iam inde a vetustissimis temporibus in usu fuisse dignoscitur, in Missa recitare teneantur. Et ita inviolabiliter observari mandavit. Hac die 3 ianuarii 1759. *Urbis et Orbis.*

36. Cum in festis duplicibus primae classis non possit cantari Missa solemnis votiva etiam ad invocandum Spiritum Sanctum pro felici successu Comitiorum Generalium, vel Capituli, quaeritur, an tunc addi possit Collecta de Spiritu Sancto sub unica conclusione?

Resp. *Affirmative.* S. Rit. C. 27 martii 1773. *In una Ordinis Carmelitarum Excalceatorum.*

37. Inquiritur: numquid feria V in Coena Domini, dum solemnis Missa cantatur, Crux cooperta esse debeat velo albo ratione solemnitatis diei, seu violaceo propter Passionis tempus?

Resp. *Albi coloris debet esse velum Crucis Altaris, in quo Missa celebretur; violacei vero Crucis Processionis, et Alta-*

ris lotionis. S. Rit. C. die 20 decembr. 1783. *In Lusitana*, ad 4.

38. Episcopus Turritanus petiit, an possit celebrari in Altari, sub quo sint sepulta cadavera defunctorum?

Et S.R.C. respondit: *Non posse*. Die 11 iunii 1629. *Turritana*.

39. Enixe pro declaratione sequentium dubiorum S. Rit. C. supplicatum est. *Primo:* An deceat nec ne Corporale retinere extensum super Altare toto tempore, quo celebrantur Missae, et donec ab ultimo in eo celebrante reportatur ad Sacrarium? *Secundo:* An conveniat Corporale extra bursam deferri?

Et S. Rit. C. referente Emo, et Rmo D. Cardinali Colloredo, respondit: *Archiepiscopus incumbat observantiae, et executioni Rubricarum*. Die 13 sept. 1704. *Ravennaten*.

40. In qualibet Ecclesia in oratione *A cunctis* nominandus est Patronus, seu Titularis proprius eiusdem Ecclesiae. S. Rit. C. 26 ianuarii 1793. *In Santanderien*. Ad quae P. Merati parte 1. tit. 9. num. 3. dicit: *posse Regulares ultra sanctum Patronum seu Institutorem sui Ordinis etiam exprimere Titularem Ecclesiae, in qua celebrant*.

41. An officio de Beato Beatificato tantum variari debeat in oratione secreta verbum *Sanctus*, dicendo *Beatus?*

Resp. *Nihil immutandum, nisi in secreta, in qua legendum sit proprium nomen Beati*. S. Rit. C. 7 sept. 1816. *In Tudensi*, ad 32.

42. In canone Missae *Infra actionem* nominatur s. Ioannes Apostolus, et Evangelista; in oratione *Nobis quoque peccatoribus* dicitur *cum Ioanne;* nascitur exinde dubium:

Si Missa dicitur, vel fit commemoratio dicti Sancti, qui nominatur in Canone, quandonam caput est inclinandum? Quando nominatur, aut commemoratio fit de s. Ioanne Baptista, vel quando Missa dicitur, vel commemoratio fit de S. Ioanne Apostolo, et Evangelista?

Et S. Rit. C. respondit: *Dilata*, Die 12 aprilis 1823. *In Panormitana*. Seu, distulit respondere, ut suum posset ampliare iudicium, priusquam de re difficillimae solutionis deliberaret.

Ast Emi PP. sacris ritibus tuendis praepositi, referente Emo, et Rmo D. Cardinali Cacciapiatti Ponente, die 27 martii 1824, respondendum esse censuerunt, *Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam*. In Panormitana.

43. Proposito dubio S. Rit. C., videlicet: Quidam Sacerdos celebrans in Ecclesia rurali Carpensis Dioecesis, prolatis verbis *Nobis quoque peccatoribus*, morbo repentino correptus e vita illico decessit. Aderat Capellanus Paroeciae, qui statim Sacrum perfecit. Hinc orta est quaestio inter Parochum dictae

Ecclesiae, et Caeremoniarium Capituli Cathedralis, utrum Capellanus postea, ablutione iam omissa, causa servandi ieiunium, licite Missam celebrare potuerit?

Et Emi Patres Sacrae eidem Congr. praepositi, sedulo, diligenterque discussa quaestione, in negativam sententiam illico descenderunt, seu, *non posse amplius dictum Capellanum Missam celebrare.* Factaque de singulis Sanctissimo Domino Nostro Leoni XII Pont. Max. relatione, Sanctitas Sua sacrae Congregationis responsum approbavit, et confirmavit, et decretum expediri mandavit. Die 16 decembr. 1813. *In Carpensi.*

44. Supplex sacrorum Rituum Congregationi porrectus est libellus vernaculo confectus idiomate, tenoris ut sequitur: « In una Chiesa del Regno Lombardo-Veneto essendo accaduto il seguente caso: sorpreso il Sacerdote da un colpo apopletico nel principio della funzione del Venerdì Santo, nè trovandosi altro Sacerdote digiuno, fuorchè il Diacono esercente, si è fatto luogo a due quesiti, dei quali il Parroco supplica dalle EE. VV. la soluzione. *Primo:* Se in tal caso la funzione di quella mattina debba proseguirsi sino al compimento? *Secondo:* Se possa proseguirla il Diacono digiuno, ovvero continuarla un Sacerdote non digiuno? »

Et Emi PP. Sacrae Rituum Congr. praepositi fuerunt in sensu, rem in ordinario Conventu esse ad examen revocandam.

Integro tandem proposito negotio in ordinario Coetu coacto sub die 5 martii currentis anni, auditaque relatione Emi, et Rmi D. Card. Falzacappa Ponentis, ad proposita dubia unanimi consensione respondendum esse censuerunt: *In voto R. D. Assessoris*, nimirum. Ad primum *provisum in* 2. Ad secundum, *si Ministrans ut Diaconus est Sacerdos, et ieiunus, ipse assumpta casula prosequatur Officium, et Missam Praesanctificatorum absolvat, alterque non ieiunus Sacerdos ei succedat in munere Diaconi. Quatenus vero ille sit dumtaxat in Diaconatus Ordine constitutus, et nemo alius adsit Sacerdos ieiunus, cesset Officium, et sacra Hostia reponatur in Tabernaculo die sequenti post sumptionem Calicis a Celebrante sumenda.*

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni XII Pont. Max. relatis, Sanctitas sua Sacrae Congregationis responsa approbavit, confirmavit, et ita in posterum in similibus servandum esse decrevit. Die 8 martii 1825. *Resolutionis dubiorum.*

45. An, quando Missa canitur sine Ministris, thurificari possit tam Altare, quam Chorus, ut alias fit quando Ministri adsunt?

Resp. *Negative.* S. Rit. C. 19 aug. 1651. *In una Urbis*, ad 3.

46. An in Missa conventuali dierum solemnium, quae absque cantu, ac Ministris celebratur, fieri possit thurificatio?

Resp. *Negative.* S. Rit. C. die 22 ianuarii 1701. *Congregation. Montis Coronae*, ad 12.

47. An in Missa conventuali absque Diaconis cantata, adsistentibus tantum Thuriferariis, et Ceroferariis, et praesente Clero, seu Communitate, adhiberi possit thus tam in principio Missae, quam in Evangelio, et Offertorio?

Resp. *Negative.* S. Rit. C. 18 decembr. 1779. *Ord. Minor. s. Francisci de Observ.*

48. In Missa conventuali cum uno, vel duobus Acolythis superpelliceo indutis cantanda, iidem Acolythi debent in principio Missae stare genuflexi in plano aliquanto retro Celebrantem. Celebrans vero, dum dicit *vobis fratres*, et *vos fratres*, non debet caput vertere ad Acolythos, ut ad Diaconum, et Subdiaconum. Ita Cardinalis Ursinus, postea Benedictus XIII, in suis opusc. de Missa cantanda a Celebrante sine Ministris sacris.

49. An parva Crux cum imagine Crucifixi posita super Tabernaculum ligneum, in quo inclusum asservatur ss. Sacramentum in Altari, sit sufficiens in adimplementum Rubricae volentis, quod in Altari, dum celebratur Missa, debeat apponi Crux in medio candelabrorum?

Resp. *Non est sufficiens, sed poni debet alia Crux in medio candelabrorum.* S. Rit. C. 16 iunii 1663. *Rossanen.* ad 1.

50. An, si in Altari, in quo adest magna statua Crucifixi, sit ponenda alia Crux, dum celebratur Missa?

Resp. *Est sufficiens, et non indiget alia Cruce.* S. Rit. C. 16 iunii 1663. *Rossanen.* ad 2.

51. Res divina fieri non potest in Altari, in quo exigua Crux solum minori tabulae defixa Fidelibus exhibetur, sed Crucifixus inter candelabra ita prominere debet, ut Sacerdos celebrans, ac populus Sacrificio assistens eumdem Crucifixum facile et commode intueri possint. Benedictus XIV 16 iulii 1746. Constit. *Accepimus.*

52. Quaesitum fuit nomine Episcopi Pisaurensis quid agendum casu quo Sacerdos habens curam animarum, et impeditus in uno brachio, non possit cum utraque manu elevare SSmum in Missa, nisi usque ad os, attamen una tantum manu possit idem elevare supra caput ita ut videri, et adorari valeat ab adstantibus. Et S. C. mandavit *moneri Episcopum ut curet ne Sacerdos praedictus absque dispensatione Apostolica celebret, interim vero per alium Sacerdotem suppleri, ne Pa-*

rochialis Ecclesia sibi debito destituatur obsequio. Die 2 iulii 1661. *In Pisauren.*

53. Pro parte Francisci Gagliardi Curati in Dioecesi Bononien. supplicatum fuit pro dispensatione, et concessione facultatis consecrandi et elevandi Hostiam consecratam, et dandi benedictionem, et faciendi alias functiones cum manu sinistra, attento quod manus eius dextera sit impedita ab apoplexia. Et S. Rit. C. respondit: *abstineat:* et ita decrevit; et servari mandavit. Die 26 septembr. 1682. *In Bononien.*

54. Deputati Seminarii Caiacensis supplicarunt declarari, an liceat Clericis Seminarii habitare diu, noctuque, et etiam dormire in domibus aedificatis super Capellis dexterae navis Ecclesiae Cathedralis, in quibus quotidie celebratur?

Et S. C. respondit: *Non licere, sed omnino prohibendum.* Die 11 maii 1641. *Caiacensi.*

55. Utrum Missa ad Ordines celebrandos dicenda sit de Sancto, an vero de feria, etiamsi Ordinationes non sint generales, sed particulares, ut de Diaconatu, aut Presbyteratu solum; et si Missa fuerit de feria, an facienda sit commemoratio de Sancto, vel e contra si Missa sit de Sancto, an facienda sit commemoratio feriae?

Et S.Rit.C. referente Emo Card. Corsino respondit: *In Temporibus de feria; extra Tempora de festo currenti.* Et ita declaravit, die 28 septembr. 1675. *Compostellana*, ad 7.

56. An Sacerdos, Missam celebraturus, transiens ante Altare, ubi fit populi Communio, debeat permanere genuflexus, donec, et quousque terminatur Communio?

Resp. *Negative.* S. Rit. C. die 5 iulii 1698. *Collensi.*

57. Per Vicarium Generalem Terlitii Nullius, seu Iuvenacensis Dioecesis S.Rit.C. exposito,quod Moniales Monasterii s. Clarae Terrae praedictae in Dominica Palmarum, et feria 6. in Parasceve maioris Hebdomadae proxime praeteritae ausae fuerint, iuxta morem Collegiatarum, et aliarum Ecclesiarum tam Saecularium, quam Regularium, in Missis solemnibus in earumdem Ecclesiis celebratis turbam repraesentantes cantare in Passione partem ad turbam spectantem, S. Rit. C. demisse supplicatum fuit declarare: An dictis Monialibus praedicta liceant? Et quatenus negative, qua poena veniant puniendae?

Et eadem S. C. respondit: *Prohibeat sub poena suspensionis* (idest ab Officio, seu Regularibus muniis), *et in posterum non permittat.* Die 17 iunii 1706. *Iuvenacen.*

58. An Calices, aliaque vasa sacra unctione consecrata, sive adhuc consecrationem retineant, sive non, antequam tradantur

artifici reficienda, vel fundenda, debeant a Sacerdote execrari?

Resp. *Negative.* S. Rit. C. 20 aprilis 1822. *Dubiorum.*

59. An, quoties in Missa tertia Oratio est ad libitum, dici possit de Sanctis, quorum Missa est in Missali, vel de ss. Sacramento, aut de Patrono?

Resp. *Tertia Oratio dicenda ab libitum Sacerdoti potest esse vel de Sancto, vel de ss. Sacramento, vel de Patrono, de Passione, de Cruce, etc.* S.Rit.C. 2 sept. 1741. *Aquensi*, ad 6.

60. Pro parte Archipresbyteri Carpensis Civitatis S.Rit.C. expositum fuit: An in Sabbato Sancto benedictio Fontis, et Missae cantus sint actiones divisibiles, ita ut benedictio Fontis ab uno, Missa vero ab alio cantari, seu celebrari licite possit?

Eadem S. Rit. C. censuit *esse divisibiles, et posse ab uno fieri benedictionem Fontis, ab alio Missam cantari, et ideo consuetudinem dictae Ecclesiae in hoc servandam esse* censuit, *ita ut Archipresbyter benedictionem Fontis faciat, et postea si noluerit, vel non potuerit celebrare, Missa cantetur ab Archidiacono, vel ab alio Canonico, prout hactenus consuetum fuit.* Et ita censuit, et declaravit; et in dicta Ecclesia Carpensi servari mandavit, die 14 iunii 1608. *In Carpensi.*

61. An in feria 5. in Coena Domini celebrari possit in Ecclesia una Missa privata propter infirmos, excepta solemni?

Resp. *Arbitrio Episcopi.* S. Rit. C. 27 martii 1773. *Ord. Carmelit. Excalceat.*

62. *Ad* 10 *martii.* Si festum ss. XL Martyrum inciderit in feriam 5. post Cineres, tunc mutari debet secreta huiusmodi feriae, et sumi illa feriae sextae sequentis. Si vero dictum festum inciderit in feriam 3. hebdomadae primae quadragesimae, mutatur Postcommunio huius feriae, et sumitur illud feriae 4. sequentis.

63. *Ad* 26 *maii.* Si occurrat hodie Dominica prima post Pentecosten, secreta s. Eleutherii P. M. sumatur ex Missa *Sacerdotes*, cum propria dicti Sancti sit eadem Dominicae.

64. *Ad* 23 *iulii.* Quando festum s. Apollinaris occurrit in Sabbato, pro commemoratione s. Liborii sumatur Oratio *Exaudi quaesumus*, ut in Missa *Sacerdotes*, cum propria sit eadem vigiliae s. Iacobi.

65. *Ad* 11 *novembris.* Si festum s. Martini Ep. venerit in Dominica 22. post Pentecosten, mutetur Secreta Dominicae, et sumatur illa Dominicae 23.

66. An in elevatione Sanctissimi Sacramenti in Missis solemnibus cani possit *Tantum ergo etc.*, vel aliqua Antiphona tanti Sacramenti propria?

Resp. *Affirmative, et amplius*. S. Rit. C. 14 apr. 1753. *Conimbricen*. ad 6.

67. Quaeritur, an in Missa privata de Sancto semiduplici, vel simplici, seu votiva, vel de infra octavam, sive de feria non privilegiata dici possit collecta pro particulari defuncto, puta *Inclina*, vel *Deus, qui nos Patrem, et Matrem*, et similia: et an ob istam omitti possit aliqua ex assignatis pro tempore, puta: *A cunctis*, vel *Ecclesiae etc.?*

Resp. *Posse in penultimo loco, nec omittendam ullam ex collectis pro tempore assignatis*. S. Rit. C. die 2 decembr. 1684. *Ord. Canonic. Regular. Lateranens*. ad 6.

68. An in Missis ferialibus, quae contingunt a Dominica Passionis ad feriam 5. in Coena Domini, cum facienda obveniat commemoratio de simplici, an sit omittenda tertia Oratio, quae pro secunda assignatur in Missali, nempe pro Papa, vel pro Ecclesia ?

Resp. *Omittendam esse tertiam Orationem, eo quod Rubricae ad hoc satis clare disponant*. S. Rit. C. 22 nov. 1659. *Rubricarum*, ad 2.

69. An Regulares in festis principalibus suorum Ordinum, et maxime in festo Fundatoris, seu Patriarchae possint addere Symbolum in missa celebranda extra proprias sui Ordinis Ecclesias ?

Resp. *Affirmative*. S. Rit. C. 18 decembr. 1779. *Ord. Minor. s. Francisci de Observ*. ad 7.

70. An Regularis recitans Officium de Sancto, cuius Reliquia insignis veneratur in propria Ecclesia, si celebret tali die festi extra propriam Ecclesiam, omittere debeat *Credo?*

Resp. *Omittendum*. S. Rit. C. 2 decembr. 1684. *Ord. Canonic. Regul. Lateranen*. ad 1.

71. An in vestitione, aut Professione Sanctimonialium die Dominica, vel festo duplici (ubi est consuetudo Loci), liceat cantari Missa solemnis de Spiritu Sancto, an vero ista consuetudo tanquam abusus abroganda, et cantanda Missa de die currente secundum ritus ordinarios ?

Resp. *Esse abusum omnino abrogandum*. S. Rit. C. 24 iulii 1683. *Ruremunden*.

72. Super celebratione Missarum solemnium occasione Processionum generalium. An Missae cantari solitae in tribus diebus Rogationum, nempe feria 2. in Ecclesia Patrum s. Augustini, feria 3. in Ecclesia Patrum Minorum Conventualium, feria 4. in Ecclesia Patrum Dominicanorum, Civitatis Vasti, cantari debeant a Canonicis insignis Collegiatae s. Mariae Maioris, seu potius a Regularibus respective dictarum Ecclesiarum ?

Et S. Rit. C. partibus hinc inde informantibus auditis, die 19 ianuarii 1732 rescribendum duxit: *Affirmative quoad primam partem, Negative quoad secundam.*

Verum ad instantiam dictorum Regularium, vigore novae audientiae ab ipsis obtentae, reproposita huiusmodi controversia super dubio: *An sit standum, vel recedendum a decisis?* S. eadem C. ad relationem ipsius Emi Ponentis, sub die 13 septembris dicti anni, ex iuribus a dictis Regularibus noviter deductis rescripsit: *Praevio recessu a decisis, Missas cantandas esse a Regularibus.*

Adversum istam resolutionem petita, et obtenta etiam a Capitulo praefatae Collegiatae nova audientia, idem Emus Ponens sequens dubium declarandum proposuit: An sit standum in primo, vel in secundo loco decisis? Et S. eadem C. iuribus hinc inde deductis mature examinatis, et utraque parte in scriptis, et in voce audita, rescribendum censuit: *Standum esse in secundo loco decisis, et amplius.* Et ita declaravit, et servari mandavit, die 22 ianuarii 1735. *In Theatina.*

73. An Sacerdos debeat extergere purificatorio guttas vini adhaerentes lateribus interioribus cuppae Calicis, quae aliquando resiliunt dum praeparatur ipsemet calix?

Resp. *Praxim extergendi calicem purificatorio magis congruere, et summopere laudabilem esse.* S. Rit. C. die 7 sept. 1816. *Tuden.* ad dub. 28.

74. An Sacerdos celebraturus Missam, pro illa incipienda descendere debeat ad ultimum gradum, vel a primo tantum; et an etiam descendere debeat planitiem, et sufficiat, quod se ab Altari seiungat duobus, vel tribus passibus?

Resp. *Deberet apponi pradella, quae dividat Altare a planitie, et satis esset descendere ipsam pradellam.* S. Rit. C. 16 iunii 1663. *Granatensi.* Seu, Sacerdos celebraturus ad Altare, quod habet plures gradus, non debet necessario descendere usque ad planitiem, sed satis est, ut a pradella descendat.

75. Sacerdos Missam celebrans in Altari sito in medio Presbyterii, omnique ex parte a parietibus disiuncto, debet Chorum versus, et non versus Ecclesiam interiorem dicere *Dominus vobiscum etc.*, si Altare ita sit constructum, ut, qui audire sacrum volunt, chorum adire debeant, nec ab adstantibus in parte inferiori videri possit Sacerdos. S. Rit. C. die 3 decembr. 1701. *Urbis.*

76. Archipresbyter, et Canonici Ecclesiae Collegiatae Oppidi Cherii Taurinensis Dioecesis pro declaratione infrascripti dubii humillime supplicaverunt:

An post Missam solemnem decantatam in nocte Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi liceat successive celebrare Missas privatas, nec non sacram Eucharistiam Christifidelibus illam deposcentibus exhibere ?

S. Rit. C. iuxta alia decreta respondit : *Negative*. Et ita declaravit, die 3 decembr. 1701. *Taurinensi.*

77. Clerus Urbinas supplicavit in S. Rit. C. declarari: An Sacerdos in Missae Sacrificio, post Communionem reponens Calicem in medio Altari, velum, quo in principio Missae operitur, supra bursam debeat plicare, nec ne ?

Et S. eadem C. respondit: *Tam in principio Missae, quam post Communionem Calicem velatum esse debere totum in parte anteriori: et ita in posterum tam in Dioecesi Urbinatensi, quam ubique servari voluit, et mandavit.* Hac die 12 ianuarii 1669. *Urbinatensi.*

78. Episcopus Niciensis quaesivit: An in feriis Quadragesimae possit adstringere Canonicos, ut a Capellanis canere faciant Missam Conventualem feriae cum Diacono, et Subdiacono ? Item, an in Completorio ferre debeat, Canonicos in Choro non in habitu Canonicali, sed cum pallio, et pileo manentes?

Et S. C. respondit ad 1. *Posse adstringi.* Ad 2. *Non ferendos.* Die 17 iulii 1627. *Niciensi.*

79. In Ecclesiis, ubi titulus est Ecclesiae, vel concursus Populi ad celebrandum festum, quod transferri debet iuxta Rubricas Missalis *de translatione festorum*, possunt cantari duae Missae, una de die, alia de festo : sed in Ecclesiis, in quibus non est obligatio cantandi Missam quotidie, cantari potest Missa solemnis votiva de festo occurrente tantum. S. Rit. C. 17 augusti 1709. *Bergomen.*

80. Archipresbyter Cathedralis supplicavit declarari, Missam solemnem in feria 4. Cinerum celebrari debere per illumet, qui distribuit Cineres, iuxta alias resoluta.

Et S. Rit. C. respondit: *Celebrari debere distribuentem Cineres.* Die 26 martii 1639. *Civitatis Castellanae.*

81. Utrum Patena osculanda sit a Celebrante, cum dicitur *da pacem, Domine, in diebus nostris*, in medio, in extremitate partis superioris, aut in qua parte; cum Rubrica *de ritu celebrandi Missam*, cap. 10. num. 2. id non explicet?

Et S. Rit. C. respondit: *Patenam in extremitate, seu ora Patenae congruentius osculandam.* Die 24 iulii 1683. *Albiganen.* ad 5.

82. An in Missa solemni permitti possint duo Missalia unum in cornu Epistolae, aliud in cornu Evangelii?

Resp. *Negative* S. Rit. C. die 7 sept. 1816. *In Tuden.* ad 13.

83. Presbyteri Graeci loci de Sternatia Hydruntinae dioecesis supplicaverunt, posse uti in Sacrificio pane fermentato, sed cocto ad modum hostiarum, quibus Latini utuntur, non autem in furno, ita ut non sit alia differentia, quam in coquendo, vel in coctura?

Et S. C. respondit: *Nihil.* Die 28 martii 1626. *Hydruntina.*

84. An in feria 6. in Parasceve Particula sit immittenda in Calice cum tribus signis consuetis?

Et S. C. censuit *esse immittendam sine praedictis Crucis signis.* Die 7 augusti 1627. *Urbis dubiorum*, ad 5.

85. Parochus terrae Casaldoni supplicavit, prohiberi Sacerdotibus, ne audeant celebrare Missas in diebus festivis in Oratoriis ante Missam conventualem in sua Parochia?

Et S. C. respondit: *Non posse prohiberi.* Die 21 aug. 1640. *In Thelesina.*

86. Magistri caeremoniarum Cathedralis Panormitanae institerunt S. Rit. C. pro declaratione: An quando dies Annuntiationis B. M. V. incidit in Dominica Palmarum, vel feria 5. in Coena Domini, vel die Paschatis, vel alio aliquo die infra octavam eiusdem, ad illa verba Symboli *Et Incarnatus est*, Sacerdos et Ministri debeant genuflectere, prout usque adhuc fieri consuevit in dicta Ecclesia: an potius genuflectendum sit ea die, qua celebratur festum praedictum secundum ritum Ecclesiae transferendum?

Et S. C. decrevit: *Genuflectendum esse in die translationis.* Die 16 iunii 1663. *Panormitana.*

87. An in anno, quo festum s. Ioseph cadit in feria 2. feria 3. vel feria 4. maioris hebdomadae, possint cantari duae Missae, altera de feria, altera de festo, ubi est concursus Confraternitatis totius populi; et, si non possunt cantari duae Missae, an possit dici Missa privata de s. Ioseph, faciendo postea processionem?

Resp. *In hebdomada maiori utraque omittenda.* S. Rit. C. 4 augusti 1663. *Urbis.*

88. Cum saepe confluant Sacerdotes ad Ecclesias Regularium utriusque sexus ad celebrandum in eorum festivitatibus: quaeritur, an recitare possint Missas proprias illorum Ordinum quoad Introitum, Epistolam, Evangelium, etc. cum id vertatur in maiorem decorem, et solemnitatem illarum Ecclesiarum, ubi fit festum, dummodo celebrent iuxta ritum, formam, regulas, et rubricas Missalis Romani, sicuti in simili pro Monialibus Ordinis s. Augustini Civitatis Ferrariae respondit Emus

Card. Bona, ut patet in adnotationibus Calendarii eiusdem civitatis num. 35. his verbis:

S. Rit. C. instantibus pro Monialibus Ordinis s. Augustini sub die 13 *iunii* 1672 *concessit, ut a quibuscumque Sacerdotibus non modo Capellanis earumdem, et Confessariis, sed aliis confluentibus tam saecularibus, quam regularibus, celebrari possint in ipsarum Ecclesia Missae Sanctorum earumdem Ordinis, dummodo utantur Missali Romano.* Et quia propter illam clausulam *dummodo utantur Missali Romano* exorta fuerit dubitatio, qualiter interpretanda, Emus, et Rmus D. Cardinalis Bona sub die 27 augusti 1672 explicando respondit: Per eam clausulam excludi solum ii Ordines Monialium, qui alio ritu, et Missali diverso a Romano utuntur, quia Sacra Congregatio non intellexit concedere usum alterius Missalis, quam Romani; ideoque cum Moniales Ordinis s. Augustini, et in earumdem Ecclesiis Sacerdotes utantur Missali, et ritu Romano, absque ullo scrupulo licet in iisdem Ecclesiis celebrare Missas proprias de novo additas Sanctorum eiusdem Ordinis, dummodo approbatas a sacra Congregatione, quia additae Missali Romano non tollunt, quin Missalia sint Romana. Et idem declaravit Emus, et Rmus D. Cardinalis Cerrus Episcopus Ferrariae pro Monialibus Ordinis Carmelitarum die 1 ianuarii 1680.

Et eadem S. C. respondit: *Attendendum privilegium prout sonat, quod si concedatur soli Ordini non extenditur ad exteros.* Et ita declaravit die 27 decembris 1682. *Faventina*, ad 7.

89. Relata in S. Rit. C. ab Emo, et Rmo D. Card. Colloredo Epistola Rmi Archiepiscopi Senensis, eadem S. C. declaravit: *Prohibitionem Missarum privatarum in Sabbato Sancto iuxta decretum editum anno* 1690 *sub die* 12 *februarii non fuisse pro illo tantum anno, in quo occurrebat solemnitas Annuntiationis Beatissimae Virginis Matris Dei, sed servandam singulis annis in posterum, iuxta priscam Ecclesiae praxim, et doctrinam.* Die 26 aprilis 1692. *Senen. dubium.*

90. Humiliter S. Rit. C. supplicante Archiepiscopo Ianuen. infrascriptum dubium declarari, videlicet:

An in Ecclesiis tam Parochialibus, quam non Parochialibus, ubi deest numerus Cantorum, possit celebrari in Sabbato Sancto unica Missa privata loco solemnis, ut in iisdem Ecclesiis fiat benedictio tam luminis, et cerei, quam aquae, attentis maxime decretis huius S. C. de anno 1690, 11 februarii, et 11 martii eiusdem anni prohibentibus celebrationem Missarum pri-

vatarum, et unicam tantum Missam conventualem una cum Officio eiusdem Sabbati Sancti celebrari praecipientibus ?

Et S. Rit. C. respondit : *Negative* die 13 iulii 1697 *Januen.*

Attamen parvum caeremoniale de mandato Benedicti XIII anno 1725 evulgatum pro Ecclesiis minoribus Parochialibus, istis indicuntur solemnes functiones omnes, *etiam sine numero Cantorum, et Ministrorum*, et praesertim in die Purificationis Beatae M. Virginis, feria 4. Cinerum, Dominica Palmarum, feria 5. in Coena Domini, feria 6. in Parasceve, et Sabbato Sancto. Haec autem tanta sunt, ut non dubitemus, quod praesens decretum limitationem subeat, ac derogationem pro Parochialibus illis, in quibus Missa solemnis vel haberi non potest, aut nonnisi cum maximo aut gravi incommodo. Quid enim unquam designant nobis ea verba *etiam sine numero Cantorum*, nisi pro dictis functionibus fieri posse etiam Missam sine cantu ? Quid illa *sine numero Ministrorum*, nisi etiam Missam privatam, seu sine assistentia sacrorum Ministrorum ? *Cavalieri*, tom. 4. cap. 21. decr. in ord. 342 [1]).

91. In Natali Domini; in tribus Missis: quaeritur, an post sumptionem Sanguinis eundo, et redeundo ad medium Altaris sit facienda genuflexio, et vertendo se celebrans ad *Dominus vobiscum*, vel ad dandam benedictionem, num debeat renes vertere ad Altare, cum (ut creditur) species vini non sint desiccatae in calice. Quid ergo fieri debet ?

Et S. Rit. C. respondit: *Serventur Rubricae Missalis Romani de ritu servando in celebratione Missae* (in quibus nullam genuflexionem faciendam esse praescribitur). Et ita servari mandavit die 20 iulii 1686. *Angelopolitana.*

92. An Sacerdos Missam Dominicalem celebraturus in Ecclesiis collegiatis, debeat aspergere Decanum, et singulos Canonicos singillatim, reliquum autem Clerum, et populum non singillatim, sed quolibet ictu aspersorii plures simul ?

Et S. Rit. C. exquisito prius voto Magistri Caeremoniarum censuit respondendum: *Decanum, et singulos Canonicos affirmative, et reliquos de Clero, si sint in parvo numero, pariter affirmative, si vero in magno numero, negative, et omnes unico ictu quasi in gyrum aspergendos: populum demum a Sacerdote ter in medio, a dextris, et a sinistris aspergendum.* Et ita declaravit 27 septembris 1698. *Leodien.*

[1]) *Memoriale rituum pro aliquibus praestantioribus sacris functionibus persolvendis in minoribus ecclesiis parochialibus* sa: me: Bened. XIII iussu editum prodiit anno 1822 ex hac typographia (Propagandae), S. Rit. Congr. auctoritate munitum. (P. M.)

(Idem respective servandum in minoribus Ecclesiis, velut etiam in Ecclesiis Regularium. Et omnes huiusmodi aspersionem recipere debent stantes, et detecto capite.)

93. An Canonicus hebdomadarius post aspersionem aquae benedictae die dominica possit in medio Altaris ante gradus se spoliare pluviali, et induere casulam in eodem loco immediate celebraturus, etiam Episcopo Assistente?

Resp. *Affirmative, dummodo casulam non accipiat de Altari.* S. Rit. C. die 4 aprilis 1699. *Burgi s. Sepulchri.*

94. An in die s. Laurentii Titularis Ecclesiae Cathedralis Civitatis Perusii sit recitandum Symbolum Apostolorum in Ecclesiis Regularium? (idem intelligendum de s. Ioanne Baptista, ubi est mere titularis)

Resp. *Non esse recitandum Symbolum Apostolorum, nisi in Ecclesia propria.* Et ita declaravit S. Rit. C. die 23 martii 1709. *Perusina.*

95. Institit Vicarius Generalis Emi Archiepiscopi Neapolitani a S. Rit.C. declarari: An liceat in Ecclesiis, in quibus non asservatur SS. Sacramentum, celebrari Missam feria 5. in Coena Domini, et in Sepulchro idem augustissimum Sacramentum asservari?

Et S. C. respondit: *Non licere.* Die 14 iunii 1659. *Neapolitana.*

96. Si Episcopus non sit primum consecratus pro Ecclesia, cui praeest, sed pro alia, a qua ad praesentem fuerit translatus, Missa, quae habetur in Missali quandonam dicenda erit? in die Consecrationis? an Nominationis? an Translationis?

Resp. *De Episcopo translato celebranda est Missa in Ecclesia, cui fuit ultimo loco praepositus, recurrente die, quo Papa eum tali Ecclesiae praefecit. Exemplum habetur in electione Summi Pontificis; festumque huiusmodi erit annuntiandum cum termino* translationis. Et ita declaravit S. Rit. C. die 2 sept. 1741. *Aquen.* ad 11.

97. Quomodo celebranda est dies anniversaria consecrationis Episcopi, si occurrat in die duplici minori?

Resp. *In Missis privatis post alias, si occurrant, faciendam esse commemorationem consecrationis cum collecta* Deus omnium fidelium. *Post Nonam celebrandam Missam solemnem pro electione, vel consecratione Episcopi, cum* Gloria, Credo, *et Praefatione de communi.* S. Rit. C. die 17 sept. 1785. *Portugallien.* ad 3.

98. Cum S. Rit. C. die 21 ianuarii 1741 ad instantiam Patrum Conventualium approbaverit Rubricam, qua praecipitur

recitatio Symboli in festis translationis s. Francisci de Assisio et s. Bonaventurae Ecclesiae Doctoris, P. Fr. Erardus Radkerspurgensis Procurator Generalis Capucinorum humillime supplicavit quatenus declarare dignaretur: an universus etiam Ordo Capucinorum, qui praefata festa sub eodem titulo, ritu, et solemnitate celebrat, sub eadem Rubrica comprehendatur?

Et S. C. referente Emo et Rmo D. Cardinali Ganganelli (deinde Clemente XIV) Ponente rescribendum censuit: *Servandam esse etiam a Patribus Capucinis Rubricam ad instar Patrum Conventualium.* Die 27 augusti 1768. *Ordinis Minorum sancti Francisci Capucinorum.*

99. An Sacerdos pergens ad celebrandum, et Calicem manu sinistra portans, possit ad ianuam Sacristiae accipere aquam benedictam, eaque se signare?

Resp. *Si commode fieri potest, se signet, sin minus, se abstineat.* Et ita declaravit S. Rit. C. die 27 martii 1779. *Ord. Min. Obs. Reformat. s. Francisci*, ad 14.

100. An commemoratio Sancti simplicis occurrentis in duplici secundae classis omitti debeat in Missa conventuali sine cantu, sed lecta a Communitate Religiosa?

Resp. *Affirmative.* S. Rit. C. 27 martii 1779. *Ord. Minor. Observ. Reformator. s. Francisci*, ad 18.

101. Utrum in duplicibus secundae classis locum habeat oratio Sancti simplicis, cuius ad laudes fit commemoratio, in omnibus Missis cantatis cum sacris Ministris, vel sine ipsis, aut omittenda solummodo sit in solemni Missa conventuali?

Resp. *In Missa quocumque modo cantata de festo duplici secundae classis omittitur commemoratio simplicis, quae iuxta Rubricam fit in Missis privatis tantum.* Et ita declaravit, et servari mandavit S. Rit. C. die 9 aprilis 1808. *Compostellana*, ad 4.

102. Aliquae Sodalitates Patronum habent s. Thomam, s. Luciam, ac s. Iosephum sponsum B. M. V. quaeritur, an quando praedicta festa occurrunt in dominicis privilegiatis Adventus, et quadragesimae, attento concursu Sodalium, aliorumque devotorum, possit cantari Missa de Patrono? et quatenus affirmative, an dicenda sit in Missa commemoratio dominicae, et octavae occurrentis, cum ultimo Evangelio in fine Missae?

Resp. *In publicis Oratoriis cantari potest Missa de Titulari occurrente in dominicis Adventus, et quadragesimae privilegiatis, non autem in illis exceptis: et in Missa dicenda est commemoratio Dominicae, et diei octavae tantum occurrentis, cum Evangelio eiusdem Dominicae in fi-*

ne. Et ita declaravit, et servari mandavit. S. Rit. C. die 9 aprilis 1808. *Compostellana*, ad 8.

103. An Sacerdos dicere debeat in Missa solemni *Ite Missa est*, *Benedicamus Domino*, et *Requiescant in pace*, vel dicantur tantum a Diacono?

Resp. *Quoad* Ite Missa est *negative*, *quoad* Benedicamus Domino, *et* Requiescant in pace *affirmative*. S. Rit. C. die 7 septembris 1816. *Tuden*. ad 36.

104. An, celebrante Canonico Cathedralis, Diaconus itidem Canonicus porrigendo Cochlear, Patenam, Calicem, teneatur osculari manum Celebrantis, vel potius quia est Canonicus oscula huiusmodi sint omittenda?

Resp. *Affirmative ad primam partem*, *negative ad secundam*. Et detur decretum in una Urbis 22 aprilis 1690 prout sequitur: Propositum fuit dubium in S. Rit. C. an Canonicus Patriarchalium urbis Diaconi munus exercens, in Missa solemni post petitam benedictionem Evangelii teneatur osculari manum Celebrantis, etiamsi ipse Celebrans non sit Canonicus, neque in aliqua alia Ecclesiastica dignitate constitutus? Et eadem S. C. respondit *Teneri*. Die 22 apr. 1690. Et ita declaravit, et decrevit S.Rit.C. die 31 maii 1817. *Dubiorum*, ad 5.

105. An Sacerdos genuflectere debeat utroque genu in Missis privatis ad verba *Et incarnatus est?*

Resp. *Genuflectendum esse unico genu*. Et ita decrevit S. Rit. C. 22 aug. 1818. *Hispalen. Resolutionis dubiorum*, ad 10.

106. *Praelati Episcopo inferiores in Missis privatis quoad indumenta, Caeremonias, Ministros, Altaris ornatum a simplicibus Sacerdotibus non differant, sumant proinde sacras vestes in Secretario, non utantur Cruce pectorali, unico Ministro contenti sint, non sibi velint aquam ministrari cum pelvi, et urceolo, et duo tantum candelae luceant in Altari.*

De quibus facta per me infrascriptum S. R. C. Secretarium relatione ss. Domino Nostro Pio Papae VII, eadem Sanctitas Sua adprobavit, atque in actis S. Rit. C. referri mandavit. Hac die 27 augusti 1822. Decr. Gen. n. 24.

107. Dum Sacerdos celebraturus Missam privatam est transiturus ante ss. Sacramentum in Altari expositum, si Calicem iam in antecessum ad Altare praeparavit, cum istiusmodi impedimentum non habeat, simul ac detegit expositum Sacramentum, caput debet, amoto bireto, vel amictu, aperire; et in fine, si Calicem non deferat, caput non tegat, nisi postquam e conspectu Sacramenti se subtraxerit, eo nempe mo-

do quo alibi dicetur, ubi de Missa solemni occasione orationis XL Horarum num. 946.

108. Quaeritur, quomodo se gerere debeat Sacerdos ad Altare pergens, vel ab illo recedens, si per Ecclesiam obviam ei fiat deferens Sacramentum vel in Ostensorio patens, vel latens in Pixide?

Respondit saepe cit. Gardellinus in notat. ad instruct. Clement. § VII. n. 13. Quomodocumque, et quandocumque id accidat vel in accessu, vel in recessu, docent Rubricistae genuflectendum esse, donec transeat, et quidem utroque genu, si immorandum sit, unico vero genu, si in transitu, et absque mora genuflectendum est. *Ita Quarti ad Rubric. Missal. part. 2. tit. 2. n. 1. Tonelli, et Merati.*

Haec tamen distinctio, subdit Gardellini, non in omnibus forte amplectenda videbitur: nam si Rubrica iubet, ut dum elevatur Sacramentum, vel dum Fidelibus ministratur, Sacerdos in transitu debeat utroque genu ad terram posito, detecto capite illud adorare, non video cur idem modus servandus non sit in transitu prope Sacerdotem deferentem sacram Hostiam vel in Ostensorio, vel in Pixide, etiamsi non sit in genuflexione immorandum. Si Rubrica extendi debet, ut Liturgici omnes notant, ad transitum ante Sacramentum expositum, et licet Sacerdos immorari genuflexus non debeat, nihilominus utroque poplite inflexo tenetur illud adorare, ut praecipiunt etiam S. Rit. C. decreta, curnam eadem regula servanda non erit in occursu Sacerdotis deferentis Sacramentum? Hinc forte non fallor (sequitur), si existimem, etiam in proposito casu utroque genu in momentanea adoratione esse flectendum, ut fit in transitu ante Altare, ubi expositum est Sacramentum, vel sacra ministratur Eucharistia.

109. *Missae privatae celebrandae non sunt in Altari maiori, dum in Choro cantantur Horae Canonicae: ita neque in Altaribus, quae sita sunt e conspectu Chori.* S. Rit. C. 2 maii 1620. *Oscen.*

Cum enim in Missa privata in facie Chori celebrata omnes de Choro stare debeant ut plurimum genuflexi, cum eorum cantus sit huiusmodi Missae extrinsecus, quomodo id praestandum erit cum chorali observantia? Secus tamen dicendum videtur, quoties Altare per murum a summo ad imum seiungatur a Choro, prout in Ecclesiis FF. Capucinorum.

110. Si Dominica Septuagesima venerit ante festum, vel ipsa die Purificationis B. M. V. secreta de s. Maria erit *Tua Domine*, ut in eiusdem Missa votiva.

111. Die 29 iunii: *Pro Commemoratione in Missa omnium Apostolorum ex decreto Pii PP. VI* 18 *maii* 1798 *pro aliquibus locis. Oratio.* Exaudi nos Deus, salutaris noster, et omnium sanctorum Apostolorum tuorum tuere praesidiis,quorum donasti fideles esse doctrinis. Qui vivis etc.— *Secreta.* Gloriam, Domine, sanctorum Apostolorum tuorum perpetuam celebrantes, quaesumus, ut eamdem, sacris mysteriis expiati,dignam celebremus.Per Dominum etc.—*Postcommunio.* Quaesumus, omnipotens Deus: ut fideles tui venerandas assidue celebrantes sanctorum Apostolorum tuorum passiones, et copiam inveniant perpetuae devotionis, et salutis aeternae suffragia maiora conquirant. Per Dominum etc.

Item Die 26 decembris: *Pro commemoratione in Missa omnium Sanctorum Martyrum ex decreto Pii PP. VI* 18 *maii* 1798 *pro aliquibus locis:Oratio.* Deus, qui glorificaris in concilio sanctorum Martyrum tuorum, respice ad preces humilitatis nostrae, ut quorum solemnia celebramus, eorum precibus adiuvari mereamur. Per Dominum etc.—*Secreta.*Adesto, Domine, supplicationibus nostris,quas in Sanctorum tuorum commemoratione deferimus, ut qui nostrae iustitiae fiduciam non habemus, eorum, qui tibi placuerunt meritis adiuvemur. Per Dominum etc.—*Postcommunio.* Quaesumus, Domine, salutaribus repleti mysteriis: ut quorum solemnia celebramus, eorum orationibus adiuvemur. Per Dominum etc.

Nota. Sub hoc decreto comprehenduntur etiam commemorationes omnium Sanctorum Apostolorum, martyrum faciendae ad vesperas, et laudes, positae in cap. VI. de Officio Divino, sub num. 408.

112. Presbyter ritu graeco ordinatus, a SS. Domino Nostro licentiam petiit ingrediendi Religionem Capucinorum, et celebrandi Missam ritu latino: et cum ex eiusdem SS. Dataria huiusmodi supplicatio ad S. Rit. C. remissa fuerit,S. Rit. C. censuit *licentiam petitam celebrandi ritu latino posse concedi post ingressum Religionis et emissionem Professionis.*Eadem S. Rit. C. 16 octobris 1604. *Anconitana.*

113. An in dominica infra octavam Corporis Christi, aut alia designata per annum, in quibus recitatur Officium ritus duplicis, et solet fieri Processio Sanctissimi Sacramenti per diversas Parochias, et Ecclesias Civitatis, ut in festo Corporis Christi, et certum, ac designatum diem habet cum concursu populi eiusdem Parochiae debeat Missa celebrari pro re gravi de Sanctissimo Sacramento post Nonam, vel dici de Dominica, aut festo cum commemoratione Sanctissimi Sacramenti?

Et S. C. exquisita prius sententia unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris rescripsit: *Missa dici debet de Dominica, aut festo occurrente, cum commemoratione Sanctissimi Sacramenti.* Die 10 sept. 1796. *Bracharen.* ad 6.

114. Rmo Archiepiscopo Pisano. Acceperunt Emi Patres Sac. Rituum Congregationi praepositi ex tuo supplici libello, in quodam rurali sacello sacras peragi functiones nec non sacrosanctum Missae sacrificium cum paramentis textilis serici violacei coloris, etiamsi Missae colori non respondeant. Quae omnia quum Emi Patres rubricarum dispositionibus obstare cognoverint, et ex parte Sacrorum Rituum indemnitati provideri posse confiderint, rescribendum censuerunt in Congregatione ordinaria sub infrascipta die coacta ad Vaticanum: *Archiepiscopus provideat omnibus iuris remediis etiam nomine Sacrae Congregationis.* Et Amplitudini tuae diuturnam ex animo exopto felicitatem. Die 19 decembr. 1829. *In Pisana.*

115. Quando celebrans genuflectit ante Altare Sanctissimi Sacramenti tam expositi quam in tabernaculo reconditi, debet ne genuflectere in plano Presbyterii an in infimo gradu Altaris? Resp. *Serventur rubricae, sed in accessu et recessu in plano est genuflectendum: in infimo autem gradu Altaris quoties genuflectere occurrat.*— Quum celebrans coram ss. Sacramento exposito debeat thurificare et lavare manus extra Altare, debetne stare in supremo gradu Altaris, an in plano Presbyterii? Resp. *Servetur consuetudo, dummodo caveat ne terga vertat Sacramento.*—Genuflexio quae fit coram ss. Sacramento exposito tam in Missa quam in oratione quadraginta horarum, ceterisque functionibus, quando fieri debet unico genu, et quando utroque tum a Celebrante, tum a Ministris, vel ab alio qui exponit, et reponit? Resp. *In accessu et recessu utroque genu: intra Missam unico genu: pro reliquibus functionibus consulantur Rubricistae.* S. Rit. C. *In una Marsorum*, ad 51. 52. 53. Die 12 novembr. 1831.

116. Inter postulata a Rmo Episcopo Vicen. in visitatione ad Limina transmissa unum extat, quo ipse iure conqueritur de confusione colorum in paramentis sacrosancto Missae sacrificio, aliisque functionibus deservientibus, quae etiamsi sacris ritibus opposita, in dicta tamen civitate, et in ceteris Episcopatus Ecclesiis conspicitur. Huic propterea abusui providere, imo de medio tollere volens humillime supplicavit idem Episcopus pro opportuno remedio. Et S. Rit. C. in ordinario coetu ad Vaticanum coacto respondendum censuit: *Serventur omnino rubricae generales, facta tamen potestate Episcopo*

indulgendi ut in Ecclesiis pauperibus permittat illis uti donec consumentur. Die 19 decembr. 1829. *In Vicen.*

Potestne continuari usus illarum Ecclesiarum, quae pro colore tam albo, quam rubro, viridi, et violaceo utuntur paramentis flavi coloris vel mixtis diversis coloribus, praesertim si colores a rubrica praescripti in floribus reperiantur? Resp. *Servetur strictim Rubrica quoad colorem indumentorum.* S. Rit. C. 12 novembr. 1831. *Marsor.* ad dub. 54.

Utrum liceat uti colore flavo vel caeruleo in sacrificio Missae, et expositione ss. Sacramenti? Resp. *Negative.* S.Rit.C. 16 martii 1833. *In Veronen.* ad dub. 4.

117. In festis solemnibus quae occurrunt in feriis quadragesimae licet ne continuare usum canendi Missam de feria post Tertiam, et Missam de festo cui assistit Episcopus post Nonam circa meridiem, an aliter faciendum? Resp. *Negative, sed Rubricae servandae quoad horam solemnis Missae in choro.*

118. Aliqui Rubricistae volunt quotiescumque Nomen Iesu nominatur in Missa, vel dicitur *Gloria Patri,* vel acceditur ad medium Altaris, vel ab ipso receditur, caput Cruci esse inclinandum: alii sentiunt huiusmodi inclinationes tunc tantum faciendas, quum a Rubrica praescribuntur. Quaeritur quando huiusmodi inclinatio sit facienda? Resp. *Serventur Rubricae.*

119. In oratione *A cunctis* ad litteram N. iuxta decretum huius Sac. Rit. Congregationis 26 ianuarii 1793 nominandus est Patronus, seu titularis proprius Ecclesiae in qua celebratur. In Canone Missae ubi dicitur *et pro Antistite Nostro N.* iuxta rubricam tit. 8. num. 2. nominandus est Episcopus loci in quo celebratur etiam a Sacerdotibus alienae dioecesis. Ex his et Rubricae et citati Decreti verbis videtur posse inferri celebrantem in altera Ecclesia non Missam suae Ecclesiae, sed Missam quae celebratur in illa aliena Ecclesia recitare debere. Quum vero variae circa id sint Sacrae Rituum Congregationis decisiones, et varia Rubricistarum placita; quaeritur: 1. Quae Missa celebranda sit a sacrum facientibus in aliena Ecclesia vel oratorio privato? 2. An Patronus nominandus in dicta oratione *A cunctis* intelligi debeat Patronus principalis loci, et quid si plures sint principales Patroni? 3. Qui nominandus sit ad litteram N. si Patronus vel Titularis iam nominatus sit in illa oratione, aut de eo celebrata sit Missa?

Resp. *Ad quaestionem* 1. *servetur decretum in una Varsavien. diei* 7 *maii* 1746. *nimirum Missam concordare debere cum officio quod quisque recitavit, dummodo cum colore Ecclesiae in qua celebrat, aptetur. Ad quaestionem* 2.

nominandus Titularis Ecclesiae. Ad quaestionem 3. si iam nominatus fuerit, omittenda nova nominatio.

120. Rubrica Missalis tit. 8. postquam n. 9. dixit quod Subdiaconus ante medium Altaris sustinere debeat patenam, n. 2. praescribit ut ad *Sanctus* accedere debeat ad Altare cum Diacono ad dicendum *Sanctus* etc. An tollerandus usus earum Ecclesiarum, in quibus Subdiaconus non accedit? Resp. *Servetur cuiuscumque loci consuetudo.*

121. Ubi cantus Chori non producitur usque ad elevationem Hostiae: *Benedictus qui venit* etc. debet cantari post elevationem, an immediate post primum *Hosanna in excelsis?* Resp. *Cantari debet post elevationem.*

122. In Cathedralibus, Collegiatis, et Parochialibus Ecclesiis Crux Altaris, in quo Missa conventualis vel parochialis celebratur, tegi ne debet ipsa Dominica Passionis post Evangelium,an Sabbato praecedenti? Resp. *Serventur Rubricae,nempe tegendas esse Cruces et imagines in primis Vesperis.*

123. In aliquibus multisque Altaribus Deo, Beatae Mariae Virgini, aut alicui Sancto dicatis apponi solet vel stabiliter vel occasione festorum imago alterius Sancti. Quaeritur 1. an visitantes huiusmodi Altare lucrari possint indulgentias concessas visitantibus Altaria postremi huius Sancti? Quaeritur 2. an ratione harum imaginum in eorum festis addi possit *Credo* in Missa? Quaeritur 3. an in eorum festis celebrari queat Missa de his Sanctis etiamsi in Calendario Dioecesano non sint descripti, sed considerentur ut simplices? Resp. *Circa quaestionem primam si Altaria sint consecrata, negative, secus affirmative, dummodo fiat de licentia Ordinarii. Circa quaestionem secundam, negative. Circa quaestionem tertiam, negative.* S. Rit. C. die 12 novembr. 1831. *In una Marsorum*, ad dub. 27. 28. 31. 32. 33. 36. 37. 56.

124. Clerus saecularis Pistorien. Civitatis S.Rit. C. sequentia dubia proposuit: 1. Quum ex Sac. Rit. Congregationis indulto die 20 sept. Missa solemnis celebretur propria B. Mariae Virginis sub titulo *Humilitatis* , etiamsi occurrat aliud officium ritus duplicis, quaeritur an occurrente praedicta die officio Dolorum B. M. Virginis aut die octava, Missa cum cantu celebrari debeat de *Humilitate*, aut Dolorum? 2. An occurrente die 3 octobris, in qua ex pervetusta consuetudine celebratur cum cantu Missa B. M. Virginis votiva de tempore, solemnitate ss. Rosarii, Missa decantari debeat de ss. Rosario, vel votiva de tempore? Resp. *Ad 1. detur decretum in una Bahien. die 26. ianuarii 1793 ad 2. dub. nimirum ce-*

lebrandam esse Missam festivitatis tamquam non votivam. Ad 2. *ut in praecedenti.* Die 12 novembr. 1831. *In Pistorien.*

125. Utrum celebrans in Missa solemni, quum sibi est sedendum dum cantatur *Gloria in excelsis* et *Credo* pergere debeat ad scamnum capite operto, et ita regredi ad Altare, ac utrum ad eos versiculos, ad quos sibi est inclinandum, excepto solo versiculo. *Et Incarnatus*, contecto pariter capite ei liceat inclinari? Resp. *Negative*. S. Rit. C. *In Pisana* 12 nov. 1831, ad 13.

126. An in Dominica Palmarum Parochus, peracta benedictione et distributione Palmarum, in fine Missae debeat dicere Evangelium benedictionis Palmarum, vel s. Ioannis. S. Rit. C. resp. *Si per se expleverit benedictionem Palmarum immediate ante Missam, debet legere Evangelium s. Ioannis.*

127. An in Missa pro sponso et sponsa dicenda diebus Rogationum, earumdem commemoratio facienda sit? Resp. *Affirmative iuxta decreta generalia die* 20 *dec.* 1783 *et* 3 *mar.* 1818. S. Rit. C. in una *Civitatis Castelli* die 28 iul. 1832, ad 3. et 4.

128. Utrum Sacerdos in Missa privata sacris indutus paramentis possit Cineres distribuere, et Sanctorum reliquias deosculandas praebere, uti mos est in Veronensi civitate, expleta Missa? Et quatenus affirmative, an possit sibimet cineres prius imponere genuflexus coram Altare nihil dicens? Resp. *Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.*

129. Utrum in oratione super populum ad verba *Humiliate capita vestra Deo*, Sacerdos debeat inclinare se versus librum, vel versus Crucem? Resp. *Servetur peculiaris rubrica fer.* 4. *Cinerum nihil praescribentis*. S. Rit. C. in *Veronen.* die 16 martii 1833, ad dub. 4. 5. 7.

130. Sutorum sodalitati civitatis Albanensis facta est facultas ab Apostolica Sede celebrandi quotannis festum cum Missis in honorem ss. Crispini et Crispiniani Martyrum. Quaeritur 1. an in Missis lectis celebrandis in honorem praedictorum ss. Martyrum apponenda sit commemoratio Officii occurrentis, ac aliae etiam commemorationes in calendario Dioecesano appositae? 2. An in iisdem Missis apponenda sit commemoratio de infra Octavam ss. Redemptoris cum Credo et Praefatione de Cruce, cum Sanctorum Martyrum festum semper incidat infra octavam ss. Redemptoris, quod in Calendario Albanensi gaudet ritu dup. 2. cl. cum octava? 3. An quod praescribitur pro Missis lectis locum habere queat etiam in Missa solemni? S. Rit. C. respondit ad 1. *Negative in omnibus:* ad 2. *Affirmative in omnibus:* ad 3. *Negative, sed in Missa solemni dicitur Symbolum Credo et Praefatio de Cruce.* Die 26 Aprilis 1834. *In Albanen.*

131. Quaestio orta cum sit inter nonnullos de Clero Imolen. an liceat Missam celebrare quin in sacra Hostia appareat imago Iesu Christi Cruci affixi, eaque ad S. Rit. C. deducta, haec in Ordinario coetu ad Vaticanum coadunata, respondit: *Servetur consuetudo.* Die 26 aprilis 1834. *In Imolen.*

132. An Caeremoniae in Missa coram Sacrae Crucis ligno palam exposito differant ab iis quae in Missa coram ss. Sacramento adhibentur? Resp. *Affirmative et solum est genuflectendum in accessu, et recessu, et quoties transit ante medium Altaris seu a latere ad latus ut in incensatione.*

133. Aliqui Rubricarum expositores dicunt post signum Crucis quod fit in fine *Gloria in excelsis, Credo*, et *Sanctus* manus esse iungendas etiamsi nihil eiusmodi praescribat rubrica. Rectene? Resp. *Serventur Rubricae.* S. Rit. C. 12 nov. 1831. *In una Marsor.* ad dub. 30.

134. An omnes Sacerdotes Ordinis s. Ioannis de Deo uti possint bireto quum a sacristia discedunt pro Missa celebranda? Resp. *Negative.* S. Rit. C. die 17 aug. 1833 *In una Ord. s. Ioannis de Deo*, ad dub. 4.

Alia videnda sub numeris 209. 211. 244. 254. 255. 256. 258. 316. 331. 368. 500. 505. 506. 545. 549. 573. 580. 584. 586. 796. 800. 805. 806. 809. 814. 824. 828. 833. 911. 928.

§ *De Missis votivis*

135. Missa votiva, seu pro voluntate, et ad libitum ea dicitur, quae non est de die, seu quae non correspondet Officio. Duplicis generis sunt Missae votivae, nempe solemnes, et privatae.

136. Missae votivae solemnes sunt eae, quae dicuntur pro re gravi, vel pro publica Ecclesiae causa (velut est etiam apud Regulares in eorum comitiis generalibus vel provincialibus), sicuti apparet ex seq. S. Rit. C. Decreto in *Placentina* 19 maii 1607 ad dub. 14. : Quia dicitur in Rubricis Missalis, quod in Missis votivis non dicitur *Gloria in excelsis*, nec *Credo*, nisi pro re gravi, et pro publica causa Ecclesiae: an sit res gravis propter pluviam petendam, pro serenitate, pro quacumque necessitate, pro Principe infirmo, et similibus, si Missa solemniter celebretur? S. Congr. respondit: *In omnibus casibus propositis potest dici res gravis, quando ab Episcopo et universo Clero, et Civitate Missa votiva solemniter celebratur cum interventu Magistratus et Populi.*

Quae missae votivae solemnes celebrari possunt omnibus diebus, exceptis duplicibus primae classis, et Dominicis primae classis, nempe Dominica prima Adventus, et Quadrage-

simae, Dominica Passionis, Palmarum, et Dominica in Albis; insuper feriis Cinerum, et Maioris Hebdomadae, vigiliis Pentecostes, et Nativitatis Domini. S.Rit.C. 27 martii 1779. *Ord. Minor. Observ. Refor.* ad 20.

137. Adest alia Missa votiva solemnis, sed minoris privilegii, ea nempe, quae occasione solemnis Orationis XL Horarum celebratur (de qua agendum proprio loco).

138. Missae votivae privatae eae sunt, quae ex minori, et privata,sed semper rationabili causa dici possunt omnibus anni diebus,in quibus non prohibentur Missae privatae Defunctorum.

139. Prodit alia Missa votiva privata potioris dignitatis,quae in solemnitate Nuptiarum celebratur, quae ultra praecitatos dies, in quibus non prohibentur Missae privatae Defunctorum, dici etiam potest in duplicibus sive maioribus, sive minoribus, (nunquam vero in Dominicis, aliisque diebus festivis de praecepto) in quibus Missis dicendum non est *Gloria*, neque *Credo*, et in fine dicitur *Benedicamus Domino*. S. Rit. C. 28 februarii 1818. In Decreto Generali.

In diebus vero Dominicis, aliisque diebus festivis de praecepto, ac duplicibus primae, et secundae classis dicitur Missa de festo, cum commemoratione pro sponso et sponsa. S.Rit.C. 20 decembr. 1783. *Urbis, et Orbis*, et 20 aprilis 1822. *Derthonensis* ad 5. et seq. [1]).

140. Extat tandem alia Missa votiva privata de B. M. Virgine potissimi privilegii, quae cum indulto Apostolico a caecutientibus Sacerdotibus, seu tenuitate visus laborantibus recitatur, quaeque singulis anni diebus, nemine excepto, dici potest. S. Rit. C. 20 sept. 1805. *Cordubensis*, ad 5.

141. Quoad ritum in his Missis votivis sive solemnibus, sive privatis servandum, infrascripta notantur:

Missae votivae solemnes semper, et ubique unica tantum oratione donantur, cum *Gloria*, nisi celebrentur in paramentis violaceis, seu nisi Missae qualitas id vetet, et *Credo*, et Praefationem propriam si habeant; si vero non habuerint dicitur Praefatio de Tempore, vel de infra octavam, si adsit, alioquin Praefatio communis. Si tamen Missa votiva solemnis sit pro gratiarum actione, tunc addatur secunda oratio *Deus, cuius misericordiae* etc. sub unica conclusione: nec unquam

[1]) Iuxta Decretum citatum diei 20 aprilis 1822 in *Derthonen.* commemoratio seu oratio pro sponso et sponsa non est recitanda sub unica conclusione in dupl. 1 et 2 classis, et tam diebus praedictis, quam in Dominicis et festis post omnes commemorationes a rubrica praescriptas. (P. M.)

facienda est commemoratio Festi, de quo factum est Officium: ultimum Evangelium s. Ioannis *In principio*, etiam in quadragesima: color semper erit, qui congruit Missae, quae celebratur.

142. Missis vero votivis privatis, etiam in solemnitate Nuptiarum, tres orationes tribuuntur: prima oratio nempe de Missa, quae celebratur, secunda de officio diei currentis, tertia vero, quae aliunde dicenda foret secundo loco in Missa de officio. In Missis tamen votivis de B. V. M. tertia oratio erit de Spiritu Sancto, et in Sabbato, quando de ea factum est officium, secunda oratio de Spiritu Sancto, tertia vero *Ecclesiae*, vel pro Papa. In Missis denique votivis de Apostolis, quando pro tertia oratione ponitur *A cunctis*, eius loco dicitur oratio de B. V. *Concede nos:* et in quocumque casu, si adsit commemoratio de aliquo festo simplici, omittitur tertia oratio praedicta, et eius loco ponitur commemoratio de simplice. Sed in Missis votivis de B. V. in Sabbato, quando de ea factum est officium, commemoratio de simplice ponitur secundo loco, et tertio loco de Spiritu Sancto. *Gloria* numquam dicitur, nisi in Missis de B. V. in Sabbato, et in Missis de Angelis: *Credo* semper omittitur: Praefatio erit prout dictum est in Missis votivis solemnibus: in fine *Benedicamus Domino*, sed in Missis de B. V. in Sabbato, et in Missis de Angelis *Ite Missa est*: et semper in fine Evangelium s. Ioannis *In principio*: color semper erit, qui congruit Missae, quae celebratur.

143. Quoad caecutientes Sacerdotes, de quibus supra, dicenda est ab eis Missa de B. V. votiva assignata secundum tempus, in qua secunda oratio erit semper de Spiritu Sancto, et tertia *Ecclesiae*, vel pro Papa, sine *Gloria* et sine *Credo*, etiam in maioribus solemnitatibus, et in fine *Benedicamus Domino*.

144. Cum vero huiusmodi Sacerdotes devenerint ad omnimodam caecitatem, tunc pro celebrando indigent novo indulto a S. Congregatione Concilii, ut per decretum S. Rit. C. 16 martii 1805 *in Oriolensi*: quo obtento, tunc dicere semper possunt Missam, quae assignata est a Pentecoste usque ad Adventum. S. Rit. C. 12 aprilis 1823. *In Panormitana*.

Possunt tamen tam isti, quam tantummodo caecutientes, quando in Ecclesia, in qua celebrant, non prohibentur Missae privatae defunctorum, dicere Missam de Requiem.

Color in istis Missis votivis de B. M. V. erit etiam semper albus, seu conveniens Missae, quae celebratur.

145. Lubet hic addere pro Missae votivae complemento Sacrae Rituum Congregationis mandatum, prout sequitur:

Sacra Rituum Congregatio de Ordine Sanctissimi mandat,

non amplius dici quasdam Missas votivas, in quibus ritus, et veritas verborum violatur, prout in sequenti decreto, videlicet:

Sanctissimus Dominus Noster Paulus Papa V vivae vocis oraculo declaravit, et sancivit, amplius recipi, aut dici non debere quasdam Missas votivas, seu collectas, quae propriae sunt solemnitatum, aut in Missali Romano designantur: eiusmodi sunt Missae Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis D. N. I. C., Nativitatis, Purificationis, Assumptionis B. M. V., s. Ioannis Baptistae, et aliae huiusmodi, quae proprios habent Introitus, vel collectas, extra proprios dies, vel octavas. Quae vero Missae huiusmodi iam permissae essent, aut receptae, idem Sanctissimus statuit, ut, illis omissis, satisfaciat dicendo de tempore occurrenti. 19 maii 1614.

146. Missae autem votivae aliorum festorum, aut solemnitatum, in quibus veritas, et ritus verborum non violatur, nihil prohibet, quin dici possint; sed quantum fieri potest curare debent Sacerdotes, ut omnes Missae votivae ad eas, quae Missali assignatae sunt, reducantur, ne Ecclesiae ritus ad cuiuslibet arbitrium propriae devotionis praetextu temere mutentur.

147. Pro parte P. Procuratoris Generalis Congregationis Canonicorum Regularium Lateranensium supplicata fuit S.Rit.C. pro declaratione sequentium dubiorum:

An qui in Sabbato infra aliquam octavam B. M. V. recitat Officium de aliquo Sancto eo die occurrente, volens celebrare Missam votivam de B. M. V. teneatur celebrare Missam festivam cum *Gloria* et *Credo*.

Resp. *Affirmative, sed sine* Credo. Ita S.Rit.C. 2 decembr. 1684. *Canonicorum Regularium Lateranensium*, ad 7.

148. An qui in Sabbato recitat Officium de B. V. volens celebrare Missam de aliquo Sancto, teneatur dicere *Gloria*, et Praefationem de B. V. propriam illius diei: an vero Praefationem communem sine Gloria?

Resp. *Dicendum sine* Gloria, *et cum Praefatione communi.* Ita declaravit S. Rit. C. die 2 decembr. 1684. *Ord. Canonic. Regular. Lateranen.* ad 8.

149. An in Missa votiva cantata sine gravi causa omitti debeat commemoratio festi occurrentis; uti omnino omittitur Missa conventualis, quia non debetur, sicuti eiusdem commemoratio omitti debet, ubi cantatur, aut saltem legitur Missa conventualis festi occurrentis?

Resp. *Negative: nempe in iis Ecclesiis, quae non tenentur ad Missam conventualem, faciendam esse in Missis votivis solemnibus sine gravi causa commemorationem festi*

occurrentis. In aliis vero numquam omittendam esse Missam conventualem de die. Et ita declaravit S.Rit.C. die 2 maii 1801. *Carthagien.*, seu *Ord. Minor. de Observant.* ad 17.

150. An Sacerdos habens Officium ritus duplicis, sed celebrans in Ecclesia, in qua fit Officium de semiduplici, possit dicere Missam votivam?

Resp. *Negative.* S.Rit.C. die 7 septembr. 1816 *Tuden.* ad 20.
Alia videnda sub num. 124. 246.

CAPUT II.—DE MISSIS DEFUNCTORUM

151. An Sacerdotes, qui recitant officium de festo duplici, confluentes ad Ecclesias sive Regularium, sive aliorum, ubi dicitur Officium de semiduplici, possint ibi dicere Missas privatas defunctorum?

Resp. *Negative.* S. Rit. C. 7 maii 1746. *In Varsaviensi*, ad 13; et 16 decembr. 1828. *In Mediolanensi.*

152. S. Rit. C. ad preces Ecclesiae Cathedralis Conversanae declaravit: *Sacerdotem Saecularem, sive Capellanum, sive non, qui recitavit Officium semiduplex, vel simplex, vel feriale, illo die celebrans in aliqua Ecclesia Regularium, in qua recitatum est ab ipsis Regularibus eodem die Officium duplex de non praecepto, prout de sancto aliquo sui Ordinis, non posse dicere Missam de Requiem.* Hac die 9 iunii 1668. *In Conversana.*

153. An prohibitio facta a S. Rit. C. in declaratione de anno 1668 die 9 iunii, Sacerdotibus Saecularibus, etiam Capellanis, ne celebrent Missam de Requiem in Ecclesiis Regularium, in quibus recitatum sit Officium duplex de non praecepto, vel de aliquo Sancto eorumdem sui Ordinis, possit, vel debeat intelligi etiam pro Ecclesiis Monialium, quae vere sunt Regularium?

Et S. eadem Rit. C. censuit respondendum: *Affirmative.* Et ita declaravit die 11 febr. 1702. *In Tarvisina*, ad 4.

154. Utrum, quando non prohibentur Missae Defunctorum, possit celebrari Missa de Requiem pro Defunctis vage sumptis, idest pro quibus Communitas debet applicare aliquam, vel aliquas Missas, quin Celebrans sciat determinate, sitne pro Sacerdote, pro Laico, pro viro, pro foemina, etc.? Et quatenus affirmative, quaeritur, quae prima Oratio erit dicenda in tali Missa?

Resp. Ad 1. seu 5. *Affirmative.* Ad 2. seu 6. *dicendam esse primam Orationem:* Deus qui inter Apostolicos Sacerdotes etc., *ut habetur in Missali.* Et ita declaravit, et ser-

vari mandavit. S. Rit. C. die 16 febr. 1781. *Ordinis Carmelitar. Excalceator.* ad 5. et 6.

Si Missa celebratur pro aliqua vel pro aliquibus determinatis personis, quae Celebranti pateant, primo loco dicitur oratio pro iis, pro quibus Missa celebratur, secunda et tertia, quae secundo et tertio loco ponuntur in Missa quotidiana defunctorum, seu secundo loco dicatur alia oratio pro libitu Sacerdotis celebrantis, tertia vero semper *Fidelium Deus.* Merati, part. 1. tit. 5.

155. In Missis quotidianis, quae pro Defunctis celebrantur, possunt quidem plures dici orationes, quam tres, sed curandum ut sint numero impares, et aliquando pro illa *Deus veniae largitor* impune subrogabitur alia v. g. pro Patre pro Matre etc. dummodo ultimo loco dicatur illa *Fidelium* etc. S. Rit. C. 2 septembr. 1741. *In Aquen.* ad 4 [1]).

156. Invaluit consuetudo in Regno Poloniae, celebrandi Missam de Requiem in solemnibus sepulturis, praesente cadavere, in festo duplici minori, non tamen celebri; utrum hoc licite tolerari possit?

Resp. *Missae privatae de Requiem, etiam corpore praesente, et insepulto, dici non possunt diebus, quibus fit de Officio duplici, vel aliis a Rubrica exceptis; et quaecumque consuetudo in contrarium abusus esse declaratur.* Et ita declaravit S. Rit. C. 29 ian. 1752. *Ord. Carm. Excalceat.* ad 12.

157. An iis in locis, ubi una tantum celebratur Missa, diebus Dominicis, et festivis per annum (non tamen solemnibus), dum aliquis mane sepelitur, et Missa dicitur ante sepulturam corpore praesente, debeat haec Missa dici de Requiem, ut in die obitus, vel potius tanquam Missa Conventualis, cui populus assistit, debeat cantari de die, et Missa de Requiem transferri ad primam diem non impeditam?

Resp. *Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.* S. Rit. C. die 26 ianuar. 1793. *In Santanderien.* ad 7.

158. Utrum in Ecclesiis Parochialibus ruralibus, in quibus per annum plerumque unus tantum Sacerdos celebrat, et sine cantu, possit dici Missa de Requiem, quando Anniversaria ex Testatorum dispositione eorum recurrente obitus die, vel quando dies 3. 7. vel 30. incidunt in festum duplex minus?

Resp. *Quoad Missas, et Anniversaria, recurrente obitus die, affirmative, in reliquis negative, et servetur Decretum*

[1]) Ex allato decreto privatam P. Merati sententiam haud sequendam esse dignoscitur. (P. M.)

Generale editum sub die 5 *augusti* 1662. Et ita declaravit die 19 iunii 1700. *In Curiensi.*

Decretum—De non celebrandis Missis privatis pro Defunctis in Festo duplici

159. Cum Sanctissimus Dominus Noster in visitatione Ecclesiarum Urbis acceperit in plerisque Ecclesiis abusum irrepsisse celebrandi Missas privatas pro defunctis, etiam in Festis duplicibus contra praescriptum Rubricarum Missalis Romani, eumdemque abusum decreto Congregationis eliminari praeceperit; innotuerit vero S. Rit. C. huiusmodi abusum etiam in aliis Ecclesiis ubique gentium existentibus inductum pariter reperiri.

S. eadem C. ut missalis Rubricae inviolate serventur, districte praecipit omnibus, et singulis Sacerdotibus tam Saecularibus, quam Regularibus cuiusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, et Instituti etiam necessario exprimendi, ut in posterum omnino dictam Rubricam servent, ita ut Missas privatas pro defunctis, seu de Requiem in duplicibus nullatenus celebrare audeant, vel praesumant.

Quod si ex Benefactorum praescripto Missae huiusmodi celebrandae incidant in festum duplex, tunc minime transferantur in aliam diem non impeditam, ne dilatio animabus suffragia expectantibus detrimento sit, sed dicantur de festo currenti, cum applicatione Sacrificii iuxta mentem eorum Benefactorum.

Curentque Ecclesiarum Rectores, Sacristae, aliique, ad quos pertinet, ut huiusmodi decretum inviolate servetur, et in Sacristia affixum retineatur, ubi commode ab omnibus celebrare volentibus conspici, ac legi possit. In eos autem, qui contra facere ausi fuerint, vel praemissa adimplere neglexerint, Locorum Ordinarii tum Saeculares, tum Regulares pro modo culpae animadvertant. Die 5 augusti 1662.

Et facta de praedictis Sanctissimo relatione, *Sanctitas Sua* annuit, *et cum applicatione Sacrificii satisfieri, ac Benefactorum mentem impleri voluit.* Die 5 augusti 1662.

160. Utrum ex privata devotione Parochianorum petentium saepius per annum Anniversaria pro defunctis parentibus, fratribus, amicis, et aliis defunctis, Missa solemnis in ruralibus Ecclesiis cantari possit de Requiem in festo duplici minori, altera Missa cantata de die festo, ubi adsunt plures, vel saltem duo Sacerdotes?

Resp. *Affirmative, dummodo sermo sit de die vere anniversaria a die obitus.* Et ita declaravit die 19 iunii 1700. *In Curiensi.*

Circa mox allegatum decretum, seu concessionem aliqua

sunt notanda ex P. Cavalieri decr. VII in Ord. 35 *de Anniversariis*. Et *primo:* Si dies illa anniversaria sit impedita, minime transferri posse in diem aliam impeditam festo duplici, et in ea decantari, cum hoc licitum tantum sit, quando Anniversaria indicta fuerunt a Testatore.

Secundo: Quoad aliam Missam cantatam de festo, ubi adsunt plures, vel saltem duo Sacerdotes, hoc intelligi debere, quatenus alias adsit obligatio.

Denique quoad illud *ex devotione Parochianorum*, *et in ruralibus Ecclesiis*, non stant haec verba restrictive, aut limitative, ita ut dumtaxat id liceat, si Parochiani petant, et fiat in ruralibus Ecclesiis: apud Ecclesiam enim acceptio personarum non est, nec fideles reliqui aequum est, nec Ecclesiae simili consolatione privari. Quare allegata verba ratione solius petitionis in decretum irrepsisse credimus, decretumque fidelibus cunctis, atque Ecclesiis non minus esse favorabile.

Reliquum dumtaxat est, praedicta Missa censeatur exclusa, praeter superius dicta, a quocumque Officio duplici maiori, in quo caeteroquin Anniversaria per Testatores indicta locum reperiunt. *Huc usque Cavalerius.*

161. An in die Anniversarii,et depositionis possit cantari defunctorum Missa loco Conventualis, ut Rubrica innuere videtur?

Resp. *Negative.* S.Rit.C. die 5 iulii 1698. *in Collensi*,ad 10.

162. An Missae de Requiem possint cantari in Ecclesiis Regularium pro Benefactoribus defunctis (qui apud ipsos non sepeliuntur) in die obitus illorum, occurrente festo duplici minori, et maiori, sed non de praecepto, seu festivo?

Resp. *Affirmative*. S. Rit. C. 11 maii 1754. *Ord. Minor. de Observ.* ad 3.

163. Missae cantatae de Requiem sine praefixione dierum, debent celebrari diebus a Rubrica permissis. S.Rit.C. die 23 augusti 1766. *In Carthaginensi*, ad 1.

164. An diebus 3. 7. et 30. a depositione defuncti, in quibus occurrit officium duplex per annum, non tamen festivum de praecepto, celebrari possint Officium, et Missa defunctorum? Et an praedicti dies numerari debeant a die obitus, vel a die depositionis?

Resp. *Affirmative ad primam partem*, *dummodo sermo sit de Missa Cantata: Ad secundam partem*, *praedictos dies 3. 7. et 30. posse numerari a die obitus*, *sive a die sepulturae iuxta diversam Ecclesiae consuetudinem.* Et ita declaravit S. Rit. C. die 23 aug. 1766. *In Carthaginensi.*

165. An Anniversaria, sive Missae quotidianae cantatae de

Requiem, relictae ex dispositione Testatorum pro certis diebus, iisque impeditis die Dominico, seu alio festo de praecepto, cantari possint in diebus subsequentibus, seu antecedentibus, in quibus occurrunt Officia de festo duplicis maioris non tamen de praecepto, praecipue de Sanctis proprii Ordinis?

Resp. Indulgeri posse, non relicta tamen Missa in cantu de festo duplici minori occurrente, quatenus adsit obligatio cantandi. S. Rit. C. 4 maii 1686. *Canonic. Regular. Lateranensium.*

166. Utrum Anniversaria perpetua in die obitus quotannis celebranda, si contingat transferri ultra aliquas octavas privilegiatas, gaudeant adhuc, ut possint celebrari in duplici maiori? Resp. *Negative.* S. Rit. C. 3 decembr. 1701. *In Bergomensi.*

167. An in Anniversario translato ob festum de praecepto, variari debeat Oratio, in qua vitiatur veritas verborum, seu potius omittere sufficiat illa verba: *Cuius Anniversarium depositionis diem commemoramus?*

Resp. *Recitandum Orationem prout in Missali.* S. Rit. C. die 4 maii 1686. *Canonic. Regular. Lateranens.* ad 3.

168. Per diversa decreta S. Rit. C. prohibentur huiusmodi Anniversaria in duplicibus primae, et secundae classis, item in vigilia Nativitatis Domini, et in tota eius octava, infra octavam Epiphaniae, feria quarta Cinerum, in maiori Hebdomada, infra octavam Paschae, in vigilia Pentecostes, et eius infra octavam, infra octavam Corporis Christi, tandem in omnibus diebus festivis de praecepto.

169. An Anniversarium Regis, vel Principis supremi reputandum sit causa gravis, adeo ut infra octavas Epiphaniae, Paschae, Pentecostes, etc., cantari possit Missa de Requiem?

Resp. *Non posse cantari.* S. Rit. C. 20 novembr. 1677. *In Taurinensi.*

170. Cum primum accipitur nuntium de obitu in loco dissito alicuius de gremio, potest statim, vel prima die non impedita cantari Missa de Requiem, ut in die obitus pro eius anima in festo duplici maiori, vel minori non tamen de praecepto, ut citius suffragetur animae defuncti, non relicta tamen Missa in cantu de festo duplici minori occurrente, quatenus adsit obligatio cantandi. S. Rit. C. 4 maii 1686. *In una Canonic. Regular. Lateranens.* et 27 martii 1779. *In una Ord. Minor. Observ. Reform.*

171. An Missa de Requiem, quae cantatur cum primum accipitur nuntium de obitu alicuius de gremio in loco dissito, cantari possit in vigilia Epiphaniae, et infra octavas privilegiatas?

Resp. *Affirmative quoad primam partem, Negative quoad*

secundam. S. Rit. C. die 27 martii 1779. *Ord. Minor. Observ. Reformat.* ad 3.

172. Quando Cadaver sit insepultum, sed non praesens, quaenam Missa dici debeat?

Resp. *Si Cadaver tumulatum non fuerit, sed ea, qua decet, religione servetur in loco decenti proximiori Ecclesiae, etiamsi in Ecclesia praesens non sit, celebrari potest una Missa solemnis de Requiem, ut in die obitus diebus etiam festivis de praecepto, et duplicibus secundae classis, apposito tamen in Ecclesia lodicis, seu nigri panni signo ab eo diverso, quod in Anniversario adhibetur.* S. Rit. C. 25 apr. 1781. *In Florentina.*

173. An pro defuncto sepeliendo ad vesperam ob aliquam rationabilem causam, dici possit aliqua hora matutina Missa de Requiem iisdem diebus, quibus locum habet corpore praesente?

Resp. *Si Cadaver sit insepultum, et non praesens, detur decretum in Florentina 25 aprilis* 1781 (ut hic supra). *Si vero terrae traditum, celebrari poterit una Missa cantata ut in die obitus, dummodo non sit duplex primae vel secundae classis, aut festivum de praecepto.* S. Rit. C. 7 sept. 1816. *In Tudensi*, ad 43.

174. Missa tamen unica solemnis insepulto corpore, et praesente celebrari poterit etiam in Dominicis, et festis diebus, non tamen solemnioribus primae classis, ut per Decretum S. Rit. C. 29 ianuarii 1752. *Ord. Carmelitar. Excalceat.* ad 12. et 13. Excipiuntur idcirco duae Dominicae, quae sunt duplicia primae classis, nempe Paschatis, et Pentecostes: Insuper triduum mortis Christi, omnia duplicia primae classis festiva de praecepto (inter quae numerantur apud minores solemnitates Immaculatae Conceptionis B. M. V., et S. P. Francisci). Potest tamen cantari in feria secunda Paschae, et Pentecostes, licet sint duplicia primae classis, et festiva. S. Rit. C. 2 sept. 1741. *In Aquensi* ad 4: imo et in aliis duplicibus primae classis festivis de praecepto, quoad Ecclesias, quae talem non habent extrinsecam solemnitatem; prout etiam in duplicibus primae classis non festivis de praecepto, licet cum multo apparatu, et pompa exteriori celebratis, dummodo non sit festum Titulare. S. Rit. C. 9 aprilis 1808. *In Compostellana*, ad 1. Denique in Dominica prima Adventus, et Quadragesimae, Dominica Passionis, et Palmarum, et Dominica in Albis, eo quod istae Dominicae, licet sint primae classis, non sunt tamen duplicia primae classis, et revera non excludunt commemorationem simplicium in illis occurrentium (quamvis hanc commemorationem,

et quascumque alias excludat Missa Dominicae Palmarum).

175. Quaenam dicenda sit Missa in die obitus, vel depositionis alicuius defuncti Sacerdotis? An prima, quae est pro Episcopis assignata, ut in commemoratione omnium Fidelium Defunctorum cum Oratione: *Deus qui inter Apostolicos Sacerdotes*, an illa, quae est secundo loco posita, quae est in die obitus, seu depositionis in communi, cum Oratione: *Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes*. Et insuper quaenam dicenda sit Missa in exequiis solemnibus post sepulturam Cadaveris?

Resp. *Una, vel altera Missa dici poterit in sepultura Cadaveris, vel Anniversario pro Sacerdote defuncto, dummodo Oratio pro eo designanda* Deus qui inter Apostolicos Sacerdotes *omnino adhibeatur.* S. Rit. C. 29 ianuar. 1752. *Ord. Carmelitar. Excalceat.* ad 14.

176. An in diebus, in quibus fit de festo duplici, cum non possit dici Missa de Requiem nisi praesente Cadavere, cantata Missa de Sancto possit fieri in fine huius Missae absolutio iuxta lecticam collocatam in plano Ecclesiae, canente Choro: *Libera me Domine?*

Et S. Rit. C. respondit *Negative.* Et ita decrevit die 4 augusti 1708. *In Picena.*

177. An Responsoria solemnia pro Defunctis post Missam de festo, cantari debeant cum pluviali coloris festi, vel nigro?

Resp. *Praedicta nullo modo licere, et ab Ordinario esse prohibenda.* S. Rit. C. 23 sept. 1684. *Hispaniarum*, ad 3.

178. An Sacerdos in Missa de Requiem ponere debeat manum sinistram super Altare, dum facit dextera signum Crucis ad Introitum?

Resp. *Affirmative.* S. Rit. C. 7 sept. 1816. *In Tudensi*, ad 42.

179. An inclinandum sit caput, quando nominantur in Canone Sancti, qui nominantur in Canone, si sint ritus semiduplicis, et Missa dicitur de Requiem, num inclinandum sit caput, quando in Canone nominantur dicti Sancti?

Resp. *In Missis de Requiem negative.* S. Rit. C. 12 apr. 1823. *In Panormitana*, ad 13.

180. In die commemorationis omnium Fidelium Defunctorum Sacrificia possunt a Sacerdotibus celebrantibus applicari ad libitum, scilicet vel pro omnibus Fidelibus Defunctis, vel pro aliquibus tantum. S. Rit. C. 4 augusti 1663 *in una Dalmatiarum*; 14 decembr. 1709 *in una Ord. Capucinorum;* et 2 septembr. 1741 *in una Aquensi*, ad 4.

181. Lectae fuerunt litterae Archiepiscopi Ianuen. respondentis, in sua Metropoli immemorabili tempore solitum fuisse

in Missis mortuorum adhiberi etiam organum, sed sono quodam moesto, et lugubri, quibus stantibus: S. Rit. C. respondit: *Id etiam posse permitti in Ecclesia Savonen. non obstante prohibitione Ordinarii.* Die 31 martii 1629. *Savonen.* [1]).

182. Cum sa. mem. Alexander PP. VII dubia in diversis mundi partibus occasione decreti S. Rit. C. die 5 aug. 1662 emanati, et a Sanctitate Sua approbati, de non celebrandis Missis defunctorum in festis ritus duplicis exorta dirimere cupiens, aliud eiusdem S. C. decretum in una Novarien. die 22 nov. 1664 editum approbaverit, quo declaratum fuerat: *Anniversaria, et Missas Defunctorum causa, ex dispositione testatorum quotannis recurrente ipsorum obitus die celebrandas, tametsi dies obitus huiuscemodi in festum ritus dup. mai. incideret, non comprehendi in dicto primo decreto.*

Ac ulterius: *Quod Altaria privilegio Apostolico pro animabus fidelium defunctorum in perpetuum decorata, et in quibus quotidie proinde etiam in festis ritus dup. celebrandae essent Missae defunctorum ex obligatione*, declaraverit *per celebrationem Missarum de festo currentis satisfieri iniunctis obligationibus, et indulgentias per huiusmodi privilegia Apostolica concessas animabus fidelium defunctorum in Purgatorio existentibus suffragari, perinde ac si celebratae fuissent Missae defunctorum ad formam dictorum privilegiorum prout in Brevi Apostolico desuper die 22 ianuarii 1667 expedito continentur.*

Eadem S. C. intellecto, quod etiam dubitaretur, utrum praedicti Brevis dispositio quoad Altaria pariter quidem privilegiata, sed non in perpetuum, nec pro omnibus hebdomadae die-

[1]) Quoad praesens dubium sequentes auctoritates attendere maxime interest. Concilium Romanum a Benedicto XIII P. M. habitum in Basilica Lateranensi anno 1725. tit. 15. cap. 6. « Pro eo autem quod musicam in Ecclesiis spectat, praeter Extravagantem *Docta* de vita et honestate Clericorum, Edictum pariter fel. rec. Alexandri VII innovandum esse statuimus, prout hoc nostro Decreto innovamus, ulteriusque prohibendum ducimus ne in Missis Defunctorum, diebusque Adventus, et Quadragesimae, festis dumtaxat exceptis, organa pulsentur, nec aliud quodvis musicum instrumentum adhibeatur, quo tempore Dominica scilicet Adventus tertia, et dicta *Gaudete*, et Quadragesimae quarta nuncupata *Laetare*, pulsari organa permittuntur tantummodo in Missa conventuali ». Caeremoniale Episcoporum iussu Summorum Pontificum editum et approbatum, et a Benedicto XIV castigatum, et auctum, lib. 1. cap. 28. num. 13. « In Missis et Officiis Defunctorum nec organo nec musica, quam figuratam vocant, utimur sed cantu firmo ». (P. M.)

bus, et ad quae Missae non ex obligatione, sed ex sola fidelium devotione celebrarentur, locum haberet, re mature perpensa censuit: *Declarationem a memorato S. M. Alexandro VII sicuti praemittitur editam extendendam esse ad Altaria, ut praefertur, non in perpetuum, sed ad septennium, vel ad brevius, et longius tempus, ac non pro omnibus, sed aliquo, vel aliquibus tantum hebdomadae diebus nunc, et in futurum quandocumque privilegiata.*

Et proinde si SS. D. N. placuerit, indulgendum fore, *ut Missae, quae ibidem de festo occurrenti, in quo Missae defunctorum celebrari non possint sive ex obligatione, sive ex sola fidelium devotione celebrabuntur, suffragentur, ita ut animae Christifidelium, pro quibus celebratae fuerint, Indulgentias per privilegia huiusmodi concessas consequantur in omnibus, et per omnia, perinde ac si Missae defunctorum ad formam eorumdem privilegiorum celebratae fuissent.* Die 20 iulii 1669.

Et facta relatione SS. D. N. Clementi PP. IX, Sanctitas Sua sententiam approbavit, et Breve desuper expediri mandavit. *Hac die* 13 *augusti* 1669.

183. *S. Rit. C. piis precibus serenis. Ducissae Sabaudiae benigne indulsit, ut in praesenti anno die* 12 *iunii celebrari possit Anniversarium cl. mem. Ducis Sabaudiae Car. Emmanuelis II, non obstante quod dicta die occurrit octava solemnitatis Corporis Christi.* Hac die 19 apr. 1681. *Sabaudien.*

184. Ex parte P. Ministri Fratrum Minorum Observantium conventus s. Thomae Apostoli Provinciae Pedemontis Civitatis Taurinen. S. Rit. C. humillime expositum fuit, ex diversorum benefactorum mente, non tamen testatorum dispositione, multiplices Missas solemnes de Requiem pro defunctis in eorum Ecclesiis debere celebrari, quae Missae diebus ritu dup. impeditis minime possunt satisfieri : quapropter pro facultate eas celebrandi in festis etiam ritu duplici impeditis, non tamen solemnibus, et de praecepto eidem S. Rit. C. humillime supplicavit.

Et eadem S. Rit. C. habita prius Rmi Archiepiscopi informatione, ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Ponentis, et Praefecti rescribendum censuit. *Consulendum SS. pro indulto pro feria secunda cuiuslibet hebdomadae, non omissa Missa conventuali de Sancto, vel feria occurrente, et dummodo non sit dies festivus de praecepto, vel altioris ritus, si SS. D. N. placuerit.* Die 4 septembris 1773.

Factaque deinde per me infrascriptum Secretarium de praedictis eidem SS. D. N. relatione, Sanctitas Sua benigne annuit,

decretumque sacrae Congregationis confirmavit. *Die* 11 *eiusdem mensis, et anni* 1773. *Taurinen.*

185. Pater F. Ioseph a B. V. M. Prior, et Fratres Ordinis Carmelitarum Excalceatorum Conventus Bardiczoviae Dioecesis Kioviensis humillime S. Rit. C. supplicarunt pro resolutione sequentis dubii :

An Anniversaria, et Missae solemnes de Requiem a Testatoribus relictae in Ecclesia praedicti Conventus Bardiczoviae persolvendae, cantari, et celebrari omnes debeant diebus quibus cadunt, seu potius, attenta eorum pluralitate, transferri possint in dies etiam ritus duplicis, tantummodo non sint de praecepto, quando dies feriales, et ritus semiduplicis non sunt sufficientes ?

Et S. eadem C. audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scripto exarato, typisque vulgato, ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Corsini Episcopi Sabinen. Ponentis, rescribendum censuit: *Consulendum SS. pro concessione indulti ut in feria* 2.ª *cuiuslibet hebdomadae etiam occurrente duplici officio, non tamen primae, aut secundae classis, et festis de praecepto celebrari possint Anniversaria etiam translata.* Et ita etc. die 25 febr. 1777. *Kiovien.*

Et facta per me deinde infrascriptum Secretarium de praedictis eidem SS. D. N. relatione, Sanctitas Sua benigne annuit. *Die* 1 *martii* 1777.

186. Cum in Constitutionibus Ordinis s. Benedicti cap. 31. praecipiatur, ut quoties aliqua ex Religiosis decesserit, toties diebus 3. 7. et Anniversaria celebretur una Missa cantata de Requiem, ut in die obitus, in suffragium cuiuscumque Religiosae : Abbatissa, et Religiosae Monasterii s. Iustinae Ordinis praedicti s. Benedicti Civitatis Lucanae S. Rit. C. humillime supplicaverunt, quatenus declarare dignaretur: An liceat praedictam Missam celebrare, quoties dictis diebus 3. 7. et 30. et Anniversaria occurrat festum duplex ?

Et eadem S. C. referente Emo, et Rmo D. Card. Archinto Praefecto, et Ponente, audito etiam voto R. P. D. Iosephi Dini Apostolicis Caeremoniis Praefecti, re mature perpensa, respondit: *Licere, exceptis duplicibus primae, et secundae classis, ac diebus festivis de praecepto.* Die 2 augusti 1783. *Lucana.*

187. Ex parte Antonii de Padova Canonici in Lusitania inquiritur, qualis in die Commemorationis Defunctorum, cum pro uno tantum Missa applicatur, dici debeat, nimirum si prima propria diei, aut vero Missa communis sub ritu semiduplici ?

Et S. C. audito prius voto unius ex Apostolicarum Caere-

moniarum Magistris respondit: *Cum Lusitani gaudeant privilegio tres Missas celebrandi in die Commemorationis Defunctorum, qualemcumque trium a Benedicto XIV ipsis praescriptarum possunt dicere, licet pro uno tantum Missa applicetur.* Et ita decrevit, et servari mandavit. Die 20 decembris 1783. *Lusitana.*

188. Ad nonnullas dirimendas quaestiones, quae in Parochialibus Ecclesiis rurium Fanensium frequenter insurgunt quoad Missam de Requie canendam,praesente Cadavere: quum alii dicant omnibus diebus festivis primae classis illicitam esse Missam cantatam, exceptis tamen secunda et tertia feria Paschae et Pentecostes; alii vero dicant Missam cantatam illicitam tantum esse omnibus diebus festivis primae classis solemnioribus, non vero et praedictis feriis et Dominica prima Quadragesimae, primaque post Pascha et Pentecosten, et prima etiam sacri Adventus tamquam diebus primae classis minus solemnibus; alter ex Parochis memoratae Fanens. dioecesis, perpensis aliquibus S. Rit. C. decretis hisce de rebus, quae nullo modo cantari posse Missam solemnem de Requie etiam praesente Cadavere, in festis duplicibus primae classis (nulla distinctione facta inter festa maioris minorisve solemnitatis) statuit decreto 5 iulii 1698 quod confirmavit 21 martii 1744 sub qua interrogata fuit, num licitum id foret in Dominicis primae classis, cum nihilominus inter tot controversias res in dubio adhuc sit, enixis precibus S. Rit. C. rogat, ut declarare dignetur utrum praesente Cadavere illicitum sit canere Missam de Requie non solum in duplicibus primae classis solemnioribus,ut alii dicunt, nempe diebus etiam Dominicis supradictis. Et S. Rit. C. rescribendum censuit: *Detur Decretum in Veronen. die* 23 *iulii* 1607, *nimirum non licere Missam Defunctorum canere praesente corpore diebus solemnibus*, *et in Bergomen. die* 21 *martii* 1744 *ad tertium dubium*, *nec non in Compostellana die* 8 *aprilis* 1808 *ad primum et secundum dubium*. Die 17 iulii 1830. *In Fanen.*

189. Caeremoniale Episcoporum iniungit Episcopo (lib. 2. cap. 20.) ut memoriam habeat praedecessoris sui proxime defuncti. Quid faciendum si proximus praedecessor translatus sit ad aliam Ecclesiam? Resp. *Illius Episcopi*, *qui decessit Cathedram tenens.*

190. Anniversaria quae celebrantur a Capitulis Collegiis Confraternitatibus etc. pro omnibus in genere Canonicis, Confratribus etc. defunctis, possunt ne celebrari si in illa die occurrat officium duplex? Resp. *Negative iuxta decreta*, *praeser-*

tim in Corduben. 5 decembr. 1733. S. Rit. C. *In una Marsorum* die 12 novembr. 1831, ad dub. 18. 55.

191. Quotannis in Ecclesia Cathedrali Pisana celebratur anniversarium pro Canonicis, Capellanis, et Clericis Defunctis ipsius Ecclesiae.Ea propter pridie immediate post vesperas omisso ℣ *Fidelium animae*,proceditur ad coemeterium,ibique cantatur cum Invitatorio Nocturnum Defunctorum, et post tertiam lectionem dicitur Responsorium *Libera me Domine* et fit absolutio ut in Rituali. Quod idem servatur ad sepulchra Henrici VII Imperatoris, et Beatricis Matris Comitissae Mathildis in eorum anniversariis. Haec consuetudo, licet rubricis Missalis et Ritualis contraria, retinetur ratione suae longaevitatis. Resp. *Serventur Rubricae.*S. Rit. C. 12 novembr. 1831. *In Pisana*, ad 15.

192. Blasius Lentini Archipresbyter et Parochus primariae Ecclesiae oppidi de Laurea considerans caput de exequiis § 5. Ritualis Romani, ac dispositionem Missalis Romani, quod suo loco assignat Missam in die obitus seu depositionis defuncti, atque internoscens Rubricistarum omnium sententiam asserentium hanc Missam canendam esse ut locus illi fiat in diebus festis vel ritus duplicis, ratus est pauperes defunctos, queis vires non suppetunt pro obtinenda Missa solemni de requie in die depositionis, inferioris esse conditionis respectu divitum; propterea ne hoc peculiari ritu ab Ecclesia statuto priventur concedendum esse ut pro defunctis pauperibus Missa a Rituali recensita die praescripta legi etiam valeat in diebus festis et ritus duplicis, atque ad hoc indultum obtinendum S. Rit. C. humillime supplicavit. Et S. eadem C. ad Quirinale in ordinario coetu coadunata omnibus rite consideratis, praesertim decretis sa: me: Alexandri PP.VII rescribendum censuit: *Negative et serventur rubricae.* Die 17 aug. 1833. *Oppidi de Laurea.*

Alia videnda sub numeris 212. 245. 246. 252. 304.

CAPUT III. — DE FIDELIUM COMMUNIONE

193. *Non licet Regularibus in die Dominica Resurrectionis D.N.I.C.devotionis causa administrare SS.Eucharistiae Sacramentum personis saecularibus.* C.Concilii 14 ianuar.1736.

194. An in die magni concursus ad Indulgentiam plenariam, vel Iubilaeum, possit ministrari sacra Eucharistia fidelibus aliqua hora ante auroram, et post meridiem?

Resp. *In casu, de quo agitur, affirmative a tempore ad tempus, quo in illa Ecclesia Missae celebrantur vel ad formam Rubricae, vel ad formam indulti eidem Ecclesiae concessi.* S. Rit. C. 7 sept. 1816. *In Tudensi*, ad 37.

195. *In Communione Monialium debet Sacerdos descendere, et reverti per gradus anteriores, et non laterales Altaris.* S. Rit. C. 15 sept. 1736. *In Toletana*, ad 8.

196. In reponendo SS. Sacramentum post Communionem fidelium Meratus vult omitti debere versic. *Dominus vobiscum*, Cavalieri vero censet debere dici. P. Cavalieri tom. 4. Decr. in Ord. 166. [1]).

197. An data distantia Ecclesiae Parochialis ab infirmo Sanctissimo Viatico reficiendo, et proximitate Ecclesiae Regularium, quae sita est intra limites Parochiae: Parocho, vel eius Coadiutori petenti sacram Eucharistiam extrahere ab Ecclesia Regulari praedicta, ut opportune consulat saluti spirituali Infirmorum, liceat Regularibus ipsis cuiuscumque sint Ordinis, Instituti, vel Societatis illam denegare, sub motivo exemptionis, et privilegiorum?

Resp. *Non licere nec Regularibus, nec Presbyteris saecularibus etiam exemptis in casibus necessitatis tantum denegare.*

Secundo: An in dicto casu Regulares ipsi teneantur praestare patientiam, ut exerceantur a Parocho in reditu ad Ecclesiam functiones praescriptae a Rituali Romano, et a praefatis edictis respective pro maiori veneratione SS. Eucharistiae, quae peragere solet Parochus in propria Ecclesia, scilicet canere *Tantum ergo Sacramentum*, thurificare, breviter hortari populum ad associandum Venerabile, indulgentias publicare associantibus concessas, et denique populo benedicere?

Resp. *Negative.*

Tertio: An in dicto casu liceat Regularibus aliquas ex supradictis functionibus peragere; an vero ad Parochum omnes spectent?

Resp. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Quarto: An in dicta occasione Regulares teneantur aliquem actum venerationis exhibere erga SS. Sacramentum, in aedificationem, et populi exemplum: et an aliqui ex Regularibus teneantur comitari SS. Eucharistiam, dum defertur ad infirmum, vel saltem obviam illi ire in reditu ad Ecclesiam ipsorum, et simul cum caeteris canere, et interesse functionibus supradictis?

Resp. *Non indigere responsione, cum S. Rit. C. satis fidat pietati Religiosorum.*

Quinto: An in dicto casu Regulares teneantur tam in exitu

[1]) Sequenda in hoc sententia P. Cavalieri quae Rituali Romano conformis invenitur. (P. M.)

SS. Eucharistiae ab eorum Ecclesiis, quam in reditu pulsare campanas? Resp. *Ut ad* 4.

Sexto: An ad pulsationem campanarum teneantur caeteri Regulares, quando SS. Viaticum non exit ab eorum Ecclesiis, sed tantummodo ante Regulares Ecclesias transit? Resp. *Ut ad* 4.

Et ita declaravit S. Rit. C. die 22 augusti 1705. *Venetiarum.*

198. Parocho reumate laboranti, et SS. Sacramentum infirmis deferenti solet indulgeri usus pileoli in itinere, non tamen intra Civitatem, vel Oppidum, de consensu tamen Episcopi. S. Rit. C. 5 martii 1633. *In Asculana*, et 10 ianuarii 1693. *In Trevirensi.*

199. Viaticum ob locorum distantiam, difficultatem itinerum, viarum asperitatem, ut a Parocho deferri possit equitando, S. Rit. C. indulget, iuxta tamen arbitrium, et prudentiam Episcopi. 23 ianuarii 1740. *In Laudensi.*

200. An Diaconus in Ordine tantum Diaconatus constitutus extra casum necessitatis possit distribuere fidelibus Communionem?

Resp. *Negative.* S. Rit. C. 25 februarii 1777. *Ord. Minor. Observ. s. Francisci.*

201. An pixis, in qua proprio velo cooperta defertur SS. Viaticum infirmis, debeat etiam cooperiri extremitatibus veli oblongi humeralis, etiamsi SS. Viaticum cum solemnitate deferatur?

S. Rit. C. respondit: *Decere deferri pixidem coopertam etiam extremitatibus veli oblongi humeralis.* Et ita declaravit die 21 martii 1699. *Bergomen.*

202. Utrum a Parocho Viaticum ad infirmos deferente antiphona *Asperges me*, aut *Vidi aquam* tempore paschali sit recitanda: et ab ipso quoque ad Ecclesiam reddito dicenda oratio *Deus qui nobis*, aut *Spiritum nobis Domine*, etc.?

Resp. *Servandum esse omnino Rituale, nulla habita ratione temporis paschalis.* Et ita declaravit S. Rit. C. die 11 februarii 1702. *Lerinen.* ad 7.

203. An sit laudandus Parochus, qui in feria 6. in parasceve, dum defert SS. Sacramentum ad domum sui Parochiani infirmi pro ministrando ei Viaticum, per vias publicas recitat consuetos psalmos, sed in fine illorum omittit ℣. *Gloria Patri*, et ingressus Ecclesiam statim reponit Sacram Pixidem, et dimittit populum absque benedictione?

Et S. Rit. C. audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris rescribendum censuit: *Non est reprobandus Parochus, qui defert SS. Viaticum infirmo feria* 6. *in Parasceve, dummodo private, et submissa, quinimo sub-*

mississima voce recitet psalmos consuetos per vias publicas, etiamsi dicat ℣. Gloria Patri, etc. *quia in tali circumstantia actio talis nihil habet esse cum functionibus Ecclesiae huius diei; et considerandum est, quod defert cum stola, et pluviali albi coloris, quando in feria supradicta color paramentorum est niger pro Ecclesiae functionibus: ideoque, si defert privatim pro aliqua necessitate, non est reprobandus, si populum benedictione dimittat feria* 6. *in Parasceve, quia in publica Ecclesia non debet recondi.* Et ita etc. Die 15 maii 1745. *Lucana.*

204. Proposito ab Emo, et Rmo D. Card. Corsini Episcopo Sabinensi Ponente in Congregatione Sacrorum Rituum ordinaria,instante Collegio Parochorum Urbis, infrascripto dubio:

An in festis solemnioribus anni, aut occasione particularis Iubilaei, aut indulgentiae, quibus temporibus a Parochis maximo apparatu, et pompa defertur SS. Eucharistiae Sacramentum Infirmis, omnes Ecclesiae sive Saecularium, sive Regularium, sive Monialium, non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili in contrarium, teneantur, ac debeant solemniter pulsare campanas, dum praefatum SS. Sacramentum tam in eundo, quam in redeundo transit non solum ante portas maiores, et laterales earumdem Ecclesiarum, verum etiam quando transit ante ianuam domus, Conventus, Monasterii, Aedis Parochialis, et Capitularis, quae respectivis Ecclesiis sit adnexa?

S. eadem C., audita sententia unius ex Apost. Caerem. Magistris, rescribendum censuit *Affirmative: et Decretum typis imprimatur.* Et ita servari mandavit. Die 10 martii 1787.

205. Quum in Civitate Urbinatensi vigeat consuetudo, ut Confessarii Asceteriorum Monialium, postquam easdem communicaverint, per cancellos cum sacra Pixide, in qua asservatur SS. Sacramentum, eisdem benedicant, iidem Confessarii S. Rit. C. enixe supplicarunt, ut in infrascripto dubio quid servandum sit decernere dignaretur, nempe: An consuetudo dandi benedictionem cum sacra Pixide Sanctimonialibus ritu superius expresso sit sustinenda, vel reiicienda?

S. eadem C. exquisita sententia unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, audito etiam Rmo Archiepiscopo, rescripsit *Negative in omnibus.* Die 16 ianuarii 1693. *Urbinaten.*

206. Sacerdotes in die Coenae Domini SS. Christi Corpus sumpturi possunt deferre stolam vel ante pectus, vel a collo pendentem. *S. Rit. C.* 30 *septembr.* 1679. *In una Capucinorum.*

207. Ex pio quodam legato tenentur Moniales Ordinis s. Cla-

rae Civitatis Tarentinae in propria Ecclesia ad Altare maius publicae venerationi SS. Eucharistiam exponere tribus postremis diebus carnis privii. Ne vero in Sacro audiendo ipsarum pietas fraudetur, humillimas S. Rit. C. preces porrexerunt pro facultate celebrandi Missam Conventualem sine cantu ad Altare ubi fit expositio. S. C. rescripsit: *pro gratia dummodo in Missa Sacra Eucharistia non distribuatur*. Die 12 novembr. 1831. *In Tarentina.*

208. An servandum sit Rituale Romanum in administrando Infirmis Viatico, seu potius consuetudo benedicendi nimirum cum Sanctissimo retrocedentem populum extra portas civitatis regionis, sive domus infirmi quando fertur Viaticum agrariis ? S. Rit. C. resp. *Ex speciali gratia posse consuetudinem servari.* 7 apr. 1832. *In una Massae et Populoniae*, ad 2.

209. Si quando Communio danda est inventus non fuerit sufficiens numerus Hostiarum, poterunt aliquae Hostiae dividi in plures particulas, quae singulis distribuantur: et quatenus negative utrum quibusdam saltem in circumstantiis temporis locorum et personae haec regula sequi possit ? Resp. *Servetur consuetudo dividendi Particulas consecratas si adsit necessitas.*

210. Utrum in Communione fidelium extra Missam Sacerdos antequam populo benedicat osculari debeat Altare ut praecipit Pontificale Romanum de visitatione, vel non ut Rituale Romanum innuere videtur ? Resp. *Servetur dispositio Ritualis Romani nihil praescribentis.* S. Rit. C. die 16 martii 1833. *In Veronen.* ad 1. et 6.

211. An tempore Missae in administratione Viatici praesertim in xenodochiis liceat ab Altare recedere usque ad aegrotorum lectum recitando interim Ps. *Miserere* ut fieri solet extra Missam. Resp. *Negative quoad Ps.* Miserere. *Insuper animadvertendum quod si Celebrans pro administratione Viatici intra Missam Altare a conspectu suo amittat, hanc administrationem non licere.*

212. Utrum tempore Missae possit administrari Viaticum in paramentis nigris? Resp. *Affirmative.* S. Rit. C. 19 decembr. 1829. *In Florentina*, ad 1. et 2.

Alia videnda sub numeris 56. 76. 839. 870. 947. 975. 976. 977. et in cap. XII.

§ I. *De Communione in Missis vivorum, cum Particulis praeconsecratis*

213. An in Missa vivorum post Communionem Celebrantis administrari licite possit Fidelibus Communio cum particulis existentibus in Tabernaculo ?

Resp. Non noscitur apud S. C. agitatam unquam fuisse talem quaestionem, cum pro parte affirmativa quibusque res pateat. Etenim praeterquamquod nullus S.Rit.cordatus scriptor hoc impugnaverit,omnes quinimo docuerunt ritum in tali administratione tenendum.Pro omnibus sufficiat audire quid de hoc, ulla absque distinctione, vel exceptione,dicant PP. Bartholomaeus Gavantus, Merati, et Cavalieri in rebus liturgicis facile principes.

214. Gavantus itaque part. 2. tit. 10. n. 9. ait: *Diaconus cooperto Calice cum palla, eoque posito paulo ultra medium corporalis infra aram versus cornu Evangelii, collocat in medio corporalis Pixidem : quod si ea extrahenda sit de Tabernaculo, idem ipse extrahat cum genuflexionibus antequam extrahat, et postquam extraxerit: genuflexo interim Celebrante, et aliis circa Altare, Diaconus in cornu Epistolae stans profunde inclinatus dicit alta voce* Confiteor *iunctis manibus* etc.Idem dicit Meratus, part. 2. tit. 10. n. 52.

215. Cavalieri quoque tom. 5. cap. 22. num. 30. ait: *Si adsint communicandi in Missa,Celebrans post sumptionem Sanguinis . . . si Particulae consecratae sint plures, et extra Pixidem, in hac eas ponat: et praecipue si Pixis sit intra Tabernaculum genuflexio non est facienda, nisi postquam Celebrans adaperuerit ostiolum Tabernaculi, et antequam extrahat pixidem, qua extracta, et intra corporale posita, et adaperta, iterum genuflectit,et surgens facie ad Altare versa stat oculis semper in Sacramentum intentis, donec, absoluta a Ministro confessione, subsumere debeat,* Misereatur vestri, etc. Idem dicit tom. 4. cap. 4. decr. 11. n. 9.

216. Neque taedeat, quid de hoc casu s. Alphonsus Maria de Ligorio, *Delle cerimonie della Messa*, part. 1. cap. 11. scripserit audire. Ipse namquam, postquam ritum in Communione cum Particulis in eadem Missa consecratis observandum exposuerit, aliorum instar subsumit: *Se poi le particole fossero già consecrate, e stassero nella Pisside dentro la Custodia, allora il Celebrante, assunto il Sangue, collochi il Calice verso la parte del Vangelo: e tenendo i pollici ed indici uniti apra la Custodia, genuflletta, cavi fuori la Pisside, collocandola in mezzo all' Altare, la scuopra, di nuovo genufletta, e si fermi colle mani giunte davanti al petto, finchè il Ministro termini il* Confiteor, etc.

217. Adest insuper praxis universalis Ecclesiae (etiam almae Urbis) communicandi scilicet indiscriminatim in Missa Fideles cum Particulis, quae in Tabernaculo asservantur, immediate post Communionem Celebrantis.

Nec obstat Rituale Romanum: licet enim modum edoceat tenendum in Missa in Communione Fidelium post illam Celebrantis cum particulis in eadem Missa consecratis, et nullam faciat mentionem de tali Communione cum particulis in Tabernaculo existentibus, non sequitur, quod istam condemnet, imo rationabiliter hoc fecit; cum iam enim immediate ante edocuerit ritum pro Communione extra Missam, et ritum pariter immediate post indicet pro Communione in fine Missae, et certe cum Particulis praeconsecratis, sufficiens non aderat ratio hunc ritum denuo repetendi.

218. Iuvat hic addere: mentem in sacris Ritibus Scriptorum, et ipsiusmet S. Rit. C. esse, ut fidelium Communio in Missa quoad fieri potest fiat immediate post Communionem Celebrantis, sive Particulae sint in eadem Missa consecratae, sive non, excepto casu, quod multi essent communicandi, et Populus proinde Missam audiens taedio afficiatur, in quo casu expectandum post Missam, vel fiat ante.

§ II. *De Communione in Missa de Requiem*

219. Utrum in Missa de Requiem conveniat Communionem Fidelibus ministrare, vel post illam; et in casu convenientis administrationis post Missam cum paramentis nigris, conveniat dari benedictionem, an vero benedictio omittenda?

Resp. *Non esse contra ritum: si tamen administretur Communio post Missam omittendam esse benedictionem.* S.Rit.C. 24 iulii 1683. *In Albinganensi*, ad 2.

220. An in Missa de Requiem sacram liceat distribuere Eucharistiam?

Resp. *Omnino negative.* S. Rit. C. 22 ianuar. 1701. *Congregationis Montis Coronae*, ad 11.

221. An Decretum, quo prohibetur dare Communionem in Missis pro Defunctis, debeat ita intelligi, ut Sacerdos celebrans tales Missas in quacumque occasione nequeat absolute Communionem dare, scilicet nec tempore Celebrationis, ante, post Communionem, nec post celebrationem, finito scilicet Evangelio s. Ioannis?

Et S. Rit. C. ad relationem Emi,et Rmi D. Cardinalis sancti-Clementis respondendum censuit: *Negative in omnibus*, die 21 iulii 1710. *Ord. Capucinorum Provinciae Lugdun.* ad 4.

222. Verum sub die 21 martii 1711, ab eodem Emo, et Rmo D. Card. sancti-Clementis reproposito quarto dubio, nempe: an decretum, quo prohibetur dare Communionem in Missis pro Defunctis, debeat ita intelligi, ut Sacerdos celebrans talem Mis-

sam in quacumque occasione nequeat absolute Communionem dare, scilicet nec tempore Celebrationis, ante, post Communionem, nec post Celebrationem, finito scilicet Evangelio sancti Ioannis ?

Eadem S. Rit. C. respondendum censuit: *Dilata*, *et ad mentem*, et mens fuit, *ut resolutio ad* 4. *edita* 21 *iulii* 1710 *non extra detur*. Et ita declaravit, et servari mandavit, die 21 martii 1711.

223. An possint in Missa de Requiem consecrari Hostiae infra eam distribuendae ?

Resp. *In Missis Defunctorum in paramentis nigris non ministratur Eucharistia per modum Sacramenti, extrahendo Pixidem a Custodia, potest tamen ministrari per modum Sacrificii prout est quando Fidelibus praebetur Communio cum Particulis infra eamdem Missam consecratis.* S. Rit. C. 2 septembr. 1741. *In una Aquensi*, ad 4.

224. Quaestio saepe exorta est, utrum in Missa de Requiem cum paramentis nigris celebrata, post Communionem Celebrantis administrari possit Fidelibus adstantibus Eucharistia cum Particulis praeconsecratis, asserentibus nonnullis, posse : 1. Quia in operibus Ferdinandi Tetami Decretum S. C. die 2 septembr. 1741 tanquam apocriphum habendum esse dicatur. 2. Quia affirmativum fuit responsum Iosephi Dini Apostolicarum Caeremoniarum Magistri, sententiae innixi Benedicti XIV in suo opere de Sacrificio Missae: ut autem omnis hac de re tollatur scrupulus quaesitum fuit:

An pro certa tenenda sit sententia affirmativa Benedicti XIV, et Tetami, vel supradictum Decretum sub die 2 *sept.* 1741 ?

Et S. Rit. C. exquisita prius sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, scripto pandita, et praelo cusa, ad relationem Emi, et Rmi Card. Cacciapiatti Ponentis censuit rescribendum: *Dilata*, die 12 aprilis 1823. *In Panormitana*, ad 9.

Seu (ut ait in suis adnotationibus Illmus et Rmus D. Aloysius Gardellini Sub-Promotor Fidei , et S. Rit. C. Assessor) S. C. non respondit, sed satius duxit ampliare iudicium, remque maturiori examini subiicere, tum quia non infimae, imo summae auctoritatis Scriptores (quos inter principem locum tenet Benedictus XIV, quem certe latere nequibat decretum anni 1741, cum eius opus *de Sacrificio Missae* latine redditum recusum Romae fuerit multo post, scilicet anno 1748) contrariam sententiam et tuentur, et pluribus rationibus sustinent, tum etiam, quia non una, eademque est apud omnes Ec-

clesias, et Sacerdotes consuetudo. Expectandum est igitur (subdit) novum S. C. Decretum (quod usque modo non apparuit.)

Nota. Praedicta Ferdinandi Tetami assertio, de habendo ut apocripho Decreto S. Rit. C. 2 septembr. 1741 confirmari posset, ex quo Decreta S. Rit. C. non obligent, nisi directe, vel indirecte, expresse, vel tacite approbata sint a Summo Pontifice; sed Benedictus XIV (qui eo tempore regnabat) praecitatum Decretum nullo modo approbavit, cum constet, post emanationem huiusmodi Decreti, ibi de Fidelium Communione contenta in suo Tractatu de Sacrificio Missae latine reddito reprobasse.

225. Nullius momenti restat dicenda eorum opinio, qui in Missis Defunctorum prohibitam etiam volunt renovationem, aut meram consummationem SS. Sacramenti, imo et aperitionem Tabernaculi, cum circa ista omnia nunquam noscatur motam fuisse quaestionem, nec aliquis inveniatur in rebus liturgicis vel leviter versatus, qui hoc inficietur.

Alia de Fidelium Communione intra Missam cum Particulis praeconsecratis habebis in quaestione indefinita finem versus. Alia etiam, si placet, videnda apud Merati part. 2. tit. 10. n. 28. et seq.

CAPUT IV. — APPENDIX DE EUCHARISTIA

226. Eucharistia saltem semel in hebdomada mutetur, et renovetur. *Caeremonial. Episcopor. lib.* 1. *cap.* 6.

227. Pro parte Petri Pellicioni Canonici Ecclesiae Cathedralis Collensis supplicatum fuit per S. Rit. C. declarari: An in benedicendo populum cum SS. Sacramento sit servandus modus infrascriptus :

Cum Sacerdos stat ante populum, Ostensorium ante pectus tenet, tum elevat illud decenti mora non supra caput, sed tantum usque ad oculos, et eodem modo illud demittit infra pectus; mox iterum recta illud attollit usque ad pectus, et deinde ad sinistrum humerum ducit, et reducit ad dexterum, et rursus ante pectus reducit, ibique aliquantulum sistit, tunc girum perficiens collocat Ostensorium super Altare. *Michael Bauldry, part.* 4. *cap.* 16. *art.* 3. *num.* 34.

Et S. C. respondit: *Si ei placet, potest observare praedictum modum, quem tradit idem Bauldry loc. cit., sin minus servandus est modus dispositus in Caeremoniali Episcoporum lib.* 2. *cap.* 33., *ubi requiritur tantummodo, ut cum eodem SS. Sacramento Celebrans producat Crucis signum*

super populum. Et ita declaravit, hac die 21 martii 1676. *In Collensi.*

Praedictus itaque modus, quem tradit Bauldry, est tantum permissivus (ut ait saepe laudatus Gardellini in Instruct. Clement. § 3. n. 15.); ille autem praescriptus a Caeremoniali Episcoporum est praeceptivus, et iste utique servatur in omnibus Ecclesiis Romae, prout testatur etiam Meratus part. 4. tit. 12. n. 2. dicens: *Communis usus Ecclesiarum Urbis est, ut postquam Sacerdos reduxit Ostensorium ad latus dexterum, non debet rursus ante pectus reducere, sed statim ad cornu Evangelii se convertere, et ita perficere circulum sicut cum dicit* Orate fratres.

228. Extat ne aliquod Decretum prohibens, ne in benedictione Sanctissimi, ante Orationem dicatur *Dominus vobiscum?* Asserunt multi, Rituale tamen etiam nuper a Benedicto XIV editum id praescribit in Festivitate Corporis Christi post reditum Processionis.

Resp. *In Benedictione SS. Sacramenti ante Orationem non debet dici* Dominus vobiscum, *iuxta Decretum S. Rit. C. in Granatensi* 16 *iun.* 1663, *et in Salernitana* 28 *sept.* 1675, *quod ita se habet: In Festo SS. Corporis Christi servanda est dispositio Caeremonialis Episcoporum lib.* 2. *cap.* 33. *de reponendo SS. Sacramento, ubi nulla fit mentio de ver.* Dominus vobiscum, *non vero Rituale Romanum, ubi dicitur addi* Dominus vobiscum : *et sic servat in Urbe Summus Pontifex, et servatur ab omnibus.* S. Rit. C. die 3 martii 1761. *In Aquensi,* ad 7.

229. Ad aures S. Rit. C. delatum est in nonnullis Monialium publicis Ecclesiis, tum extra, tum quandoque intra almam hanc Urbem existentibus, sensim irrepsisse abusum, ut SS. Eucharistiae Sacramento in earumdem Monialium Ecclesiis Fidelium venerationi exposito, antequam illius fiat depositio, et confluenti populo cum illo benedictionem Sacerdos de more concedat, idem Sacerdos primum, et separatim benedicat Monialibus in interiori earumdem Choro, sive Oratorio post Altare, vel alibi genuflexis, et deinde populo in publica Ecclesia adstanti.

S. eadem C. referente me infrascripto Secretario loco Celsitudinis Regiae Emi et Rmi D. Card. Ducis Eboracensis Ponentis, *ad hanc reprehensibilem, et a sacris ritibus, et Ecclesiae praxi deviam consuetudinem radicitus convellendam praesenti generali Decreto districte prohibet illam in posterum observari, etiamsi diuturno, et immemorabili tempore, ac usu convaluerit: ac praecipit, ut Sacerdos sacram*

illam exercens functionem in quibusvis Ecclesiis Monialium ubique locorum erectis, cuiusvis sint Ordinis, et Instituti (*omissa speciali, ac separata Monialium benedictione*) *unicam tantum cum eodem SS. Sacramento benedictionem interessenti populo impartiatur.* Et ita decrevit, et servari mandavit, die **11** decembr. **1773.** *Urbis, et Orbis.*

230. An conveniat cantare aliquas cantiones vulgari sermone, non tamen profanas, in festivitate SS. Sacramenti ?

Resp. *Non convenire.* Et ita declaravit S. Rit. C. die 21 martii 1609. *Abulensi.*

231. An Chorus, dum recitat Horas Canonicas ante SS. Sacramentum velo coopertum in loco eminenti, sedere, et tegere caput cum bireto valeat, vel stare debeat nudo capite, quasi esset sine velo ?

Resp. *Poterit Clerus sedere tecto etiam capite cum bireto; sed laudandus esset, si sederet detecto capite.* S. Rit. C. 10 septembr. 1796. *In Bracharensi*, ad 3.

232. An Patribus s. Columbae Min. Observ. Oppidi Molleani liceat publice adorandum exponere SS. Eucharistiae Sacramentum in eorum ecclesia singulis diebus festivis totius anni, exceptis quadragesimalibus et Dominicis ? S. Rit. C. respondit : *Licere de licentia Emi Archiepiscopi.* 22 ianuar. 1701. *In Firman.*

233. An toleranda sit consuetudo quorumdam, qui contra quod praescribitur in Missali, exponunt patenter Hostiam consecratam conservandam a feria 5. in Coena Domini usque ad ipsius consumptionem in feria 6. in Parasceve ?

Resp. *Servandam omnino Rubricam Missalis.* S. Rit. C. 14 febr. 1705. *Ordinis Capucinorum Galliae*, ad 7.

234. Exposuit S. Rit. C. Archipresbyter Loci dicti de Novi Caputaquen. Dioecesis, consuetudinem inolevisse in sua Ecclesia in actu benedicendi populum cum SS. Eucharistiae Sacramento, ut populus, vel Ministri Altaris canerent versiculum psalmi 68 *Benedicat nos Deus, Deus noster, Benedicat nos Deus*, hanc consuetudinem reputans adversari opinionibus expositorum Sacrorum Rituum, petit ut S. C. declarare dignetur, an consuetudo praedicta uti abusus eliminari debeat ?

Audito igitur per S. C. voto unius ex Magistris Caeremoniarum respondendum censuit: *In benedicendo populum cum SS. Sacramento Celebrans nihil dicere, Cantores, et Musici nihil quoque canere interim debent, ad praescriptum Ritualis Romani, et Caeremonialis Episcoporum, non obstante quacumque contraria consuetudine.* Et ita declara-

vit, et servari mandavit, die 9 februarii 1762. *Caputaquensi.*

235. Moniales SS. Annuntiationis de Bastia supplicarunt pro facultate asservandi in earum Ecclesia SS. Eucharistiam.

Et S. Rit. C. respondit: *Aut Monasterium est canonice erectum, et non indiget; aut non, et non est approbandum.* Die 16 aprilis 1644. *Marianen.*

236. Duo petiit Episcopus Urbaniae: *Primo* An ipse possit in sua Dioecesi uti decretis alias editis non licere Regularibus exponere SS. Eucharistiae Sacramentnm sine licentia Ordinarii ?

Et S. C. respondit: *Debere uti, etiam non obstante contraria consuetudine.*

Secundo: An iidem Regulares habere possint conciones, et sermones, non petita prius benedictione ab Episcopo, iuxta Constitutionem Gregorii XV ?

Et S. C. respondit: *Non posse.* Die 12 iunii 1638. *Urbaniae.*

237. Augustinus Taddeus Rector Ecclesiae Parochialis B.M.V. de Plebe Cunei, Dioecesis Montis Regalis, Provinciae Taurinensis, declarari postulavit: non potuisse, nec posse Regulares quoscumque, etiam Societatis Iesu exponere SS. Sacramentum in eorum Ecclesiis, nisi de licentia Parochi, intra cuius Parochiae limites sita est Regularis Ecclesia.

Et S. C. respondit: *Regularibus licentiam Episcopi satis esse.* Die 9 iunii 1657. *Montis Regalis.*

Item S. Rit. C. inhaerendo decretis saepius per orbem terrarum promulgatis, Dioecesis, et Civitatis Toletanae Clero tam Saeculari, quam Regulari, Monialibus, atque Confratribus SS. Eucharistiae Sacramentum publice exponere, nisi cum speciali Ordinarii licentia non licere; et inobedientes poenis, et censuris coercendos esse declaravit. Die 18 dec. 1647. *In Toletana.*

238. An in expositione SS. Sacramenti pro defunctis, dicendo psalmum *De profundis*, sive *Miserere*, liceat in fine dicere *Requiem aeternam*, *A porta Inferi* etc. pro Oratione defuncti, sive defunctorum, sicuti multis in locis faciunt ?

Resp. *Tolerandam consuetudinem, si adsit.* S. Rit. C. die 16 decembr. 1828. *In Volaterana.*

239. Episcopus Nucerinus Paganorum prohibuerat Ecclesiis SS. Sacramenti Nuceriae superioris, et B. Mariae de Carmine inferioris, Nucerinae Dioecesis, retinere SS. Sacramentum, ex quo non erant Parochiales; et habito recursu S. C. approbavit decretum Episcopi: qui tamen Episcopus modo scripsit in favorem dictarum Ecclesiarum, narrans se ideo prohibuisse, ut Oeconomi dictae Ecclesiae recurrerent pro licentia ad S. C., prout recurrerunt.

Et S. C. respondit: *Nihil, quia ubique prohibitum est.* Die 12 septembr. 1626. *Nucerina Paganorum.*

240. An toleranda, vel eliminanda sit consuetudo, quae in dies invalescit, superimponendi Sanctorum Reliquias, pictasque imagines Tabernaculo, quo Augustissimum Sacramentum asservatur, ita ut idem Tabernaculum pro basi inserviat?

Et S. Rit. C. respondit: *Assertam consuetudinem tanquam abusum eliminandam esse.* Die 31 martii 1821. *Decretum generale*, ad 6.

241. An Thuriferarius, dum Sacerdos benedicit populo, debeat Sacramentum incensare quaestio est, quae cum novissime Romae consulta fuerit sub die 16 martii 1746 rescriptum extitit: *Servari posse utrumque*, nempe Sacramento adhiberi posse, et omitti thurificationem. P. Cavalieri tom. 4. cap. 9. in Ord. 70. (In dioecesi Nicensi servatur huiusmodi thurificatio) [1]).

[1]) Altera se offert discutienda quaestio: num scilicet thuriferarius, dum Sacerdos benedicit populum debeat incensare Sacramentum? Silentium quod tenent *Caeremoniale*, *Rituale*, *Instructio Clementina*, et auctores fere omnes, qui ceteroqui nihil omiserunt de iis, quae in hac sacra actione servanda sunt, plane suadet hanc incensationem esse omittendam: nihilominus *Cavalieri* (tom. 4. cap. 9. dec. 7. num. 7.) et *Tetamus* qui eum sequitur (in appendic. cap. 3. art. 6. num. 45. et 48. in fin.) innixi Decreto, quod dicunt Romae datum 16 martii 1746, et Rubric. Missalis tit. 13. existimant faciendam esse, vel saltem in arbitrio relinqui. Videtur tamen magis congruere contrariam sententiam consectaneam silentio Caeremonialis, Ritualis, et Instructionis. Cur enim in his licet enumerentur ritus et caeremoniae omnes servandae, de hac una ne verbum quidem fit? Non alia est ratio nisi quia locum habere nequit. Si quaeris: cur? Dicam: quia dignior idest Sacerdos, iam Sacramentum thurificavit, nec inferior debet postea thurificationem iterare. Dum benedicitur populus supplet vices incensi bonus adorationis odor. Nec me commovent assertum decretum, et Missalis rubrica. Nam ad illud quod attinet iam supra notavi decretum illud non reperiri in regestis S. Rit. C., ac penitus ignorari a qua Congregatione, vel cuius auctoritate datum fuerit, et forte nil aliud est nisi privatum responsum ad consultationem factam alicui Rubricarum perito, qui potius variam ecclesiarum consuetudinem attendens, quam rationum vim, respondit: *Servari posse alterutrum.* Quod vero spectat *rubricam Missalis*, longe diversa militat ratio. Ideo enim Rubrica praescribit in Missa solemni: *Thuriferarius genuflexus in cornu Epistolae ter incensat Hostiam cum elevatur, et similiter Calicem, posito incenso in thuribulo absque benedictione;* tum quia unica haec est incensatio, quae ad Sacramentum adolendum fit in Missa solemni, tum quia alius non est thuriferario

242. Archiepiscopus Smirnensis petiit responderi: An Regulares intra hebdomadam Corporis Christi inter Missarum solemnia, et ad vesperas possint exponere SS. Sacramentum absque eius licentia?

Et S. C. respondit: *Posse Regulares in casu proposito publice exponere SS. Eucharistiae Sacramentum absque licentia Ordinarii.* Die 20 aprilis 1641. *Smirnensis.*

243. S. Rit. C. mandavit *servari decreta antiqua, scilicet non licere Regularibus etiam in eorum propriis Ecclesiis SS. Eucharistiae Sacramentum palam adorandum exponere, nisi ex causa publica, quae probata sit ab Ordinario, ex causa vero privata licere dummodo non extrahatur a tabernaculo, et maneat velatum, ita ut ipsa sacra Hostia videri non possit, nec non circa decentiam in exponendo standum esse definitioni et iudicio Ordinarii.* Die 31 maii 1642. *In Savonen.*

244. Ex parte Magistri Caeremoniarum Regiae Capellae, et Monasterii Monialium Reformatarum Ordinis s. Augustini S. Rit. C. humillime supplicatum fuit pro declaratione:

An in Missis solemnibus, quae celebrantur in Altari, in quo publicae venerationi est expositum SS. Sacramentum, Subdiaconus sustinens Patenam debeat genuflectere, quando Celebrans post Offertorium genuflexus thurificat SS. Sacramentum, sicut genuflectit in actu Consecrationis, et Elevationis?

Resp. *Negative.* Et ita declaravit S. Rit. C. die 11 februar. 1764. *Toletana*, ad 1.

245. Petitum fuit responderi: An liceat in die Parasceve deferre SS. Eucharistiae Sacramentum processionaliter in quadam bara super humeros? Et S. Rit. C. respondit: *Nullo mo-*

dignior, qui eo fungatur munere; nam Sacerdos celebrat, Diaconus ei assistit, Subdiaconus impeditus est Patena, Caeremoniarius invigilat ut quisque suo fungatur officio. Id adeo verum est, ut in Missa defunctorum cum dignior thuriferario Subdiaconus non sit impeditus, Sacramentum incensat, iubente Rubrica: *Subdiaconus non tenet Patenam post Celebrantem, sed tempore elevationis Sacramenti in cornu Epistolae illud incensat;* contra vero dum benedicendus est populus cum Sacramento, curnam iteranda erit thurificatio per Acolythum, si iam ab omnium in ea actione ministrantium dignissimo, Celebrante scilicet, peracta fuerat? Si has rationes parvi fieri oportere existimas, haud contemnendum censeas librorum ritualium silentium, qui certe hanc thurificationem demandassent, quemadmodum iusserunt fieri ad hymni cantum ante orationem. (Gardellini in notis ad Instruction. Clementin. § XXXI, num. 23.) (P. M.)

do licere, neque permittendum. Die 4 febr. 1640. *In Brixien.*

246. Capitulum insignis Ecclesiae Regiae Varsaviensis S. Rit. C. humillime supplicavit pro declaratione sequentium dubiorum, nempe: Cum in insigni Ecclesia Varsaviensi quotidie cantetur in Capella Crucifixi Missa votiva de SS. Trinitate cum expositione Sanctissimi in Pixide, ac in aliis etiam Ecclesiis contingat saepius cantare, seu legere Missas votivas, seu de die etiam ante Sanctissimum expositum in Pixide, utrum in his Missis debeat fieri commemoratio de Sanctissimo?

Resp. *Commemoratio de SS. Sacramento in Missis privatis poterit fieri, quando eius expositio fiat ex publica causa.*

Item: In dicta Capella Crucifixi durante expositione Sanctissimi in Pixide, an, permittente Rubrica, possint in Ecclesia, vel aliis Capellis celebrari Missae de Requiem?

Resp. *Missae de Requiem extra Altare, ubi est expositum SS. Sacramentum, poterunt celebrari dummodo tamen oratio coram Sacramento non sit ex publica causa.*

Item: Transeundo circa Sanctissimum expositum in Pixide, uno, an utroque genu ante illud genuflectendum sit?

Resp. *Quoad genuflexiones utroque genu sunt faciendae a transeuntibus ante illud, etiamsi fuerit in Pixide patenter expositum.*

Item: Cum in Polonia frequenter fiant expositiones Sanctissimi publice in maiori Altari, et praeter Missam solemnem dicantur etiam Missae privatae ad idem Altare maius, et ad Altaria minora durante expositione Sanctissimi, an debeat fieri commemoratio de eodem SS. Sacramento?

Resp. *Poterit fieri commemoratio de SS. Sacramento durante expositione.* Et ita decrevit, et servari mandavit S. Rit. C. die 7 maii 1746. *Varsaviens.* ad 9. et 10.

247. Interrogata S. Rit. C. An, quo modo, quove in Altari fieri debeat benedictio Palmarum ante Missam celebrandam Dominica in Ramis pro repositione SS. Sacramenti, expleta Oratione XL Horarum?

Resp. *In casu, de quo agitur, si fieri debeat, vel deceat ut fiat benedictio Palmarum, haec facienda erit in alio Sacello laterali, quo magis fert Ecclesiae structura, distante ab ara maxima, in qua SS. Sacramentum expositum est, servatis omnibus caeremoniis in Missali praescriptis, sed absque Processione.* S. Rit. C. 17 sept. 1822. *Dubiorum*, ad 10.

248. In Ecclesia Regalis Monasterii s. Laurentii Excurialensis consuescunt plerique audire sacras Conciones sedendo in gradibus Altaris maioris, terga vertendo SS. Sacramento,

sit, vel non sit expositum. Et cum hoc videatur maxime absurdum, idcirco quaeritur, an haec consuetudo, sive corruptela debeat tolerari?

Resp. *Negative.* S.Rit.C. die 20 sept.1806.*In Toletana*,ad 3.

249. Obtento a Confratribus Confraternitatis Disciplinantium Cunei Montis-Regalis Dioecesis Indulto sub die 10 octobris 1674 in forma Brevis expedito asservandi in perpetuum in eorumdem Oratorio s. Sebastiani nuncupato SS. Eucharistiae Sacramentum, dummodo quotidie in eodem Oratorio quatuor Missae celebrarentur:

Cum hodiernus Episcopus Montis-Regalis in actu visitationis Oratorii s. Sebastiani praedicti compererit, pro celebratione trium Missarum tantum redditus certos assignatos reperiri, et haesitaverit, an obstante defectu quartae Missae quotidianae cum eleemosynis Confraternitatis praedictae celebrandae, etiamsi plures ultra dictas tres missas ab aliis Sacerdotibus aliunde percipientibus eleemosynam fere quotidie in eodem Oratorio celebrentur, esset in posterum ut supra recensito indulto permittenda continuatio?

S. Rit. C. Confratribus praedictis humiliter supplicantibus pro facultate continuandi in asservatione SS. Eucharistiae Sacramenti praedicta: S.ead.Rit.C. audita relatione Episcopi Montis-Regalis, cui pro informatione scriptum fuerat, ad relationem Emi et Rmi D. Card. Colloredi: *Pro continuatione gratiae respondendum censuit.* Die 21 martii 1699. *Montis-Regalis.*

250. S. Rit. C. censuit *expositionem Sanctissimi in Ecclesiis Regularium ad tollendum in posterum absurda et scandala, quae propter frequentem illius expositionem oriuntur, esse faciendam et regulandam arbitrio Archiepiscopi tam quoad causas exponendi, quam etiam loca, horas, et assistentiam ad illius securitatem, et decentiam.* 13 febr. 1666. *In Ragusina.*

251. An quando in gratiarum actione cantatur hymnus *Te Deum* coram SS.Sacramento publice exposito,Clerus tam ad altare,quam in Choro debeat manere genuflexus, vel potius stare?

Resp. *Standum esse.* S. Rit. C. 27 martii 1779. *Ord. Minor. Observ. s. Francisci*, ad 17.

252. Sodalitas SS. Sacramenti erecta in Collegiata Ecclesia civitatis Aci-Reale in Dioeces. Cathanien. expostulat facultatem cantandi Missam de Requie cum SS. Sacramento exposito in Altari laterali. S. Rit. C. rescripsit: *Obstat Instructio Clementis XI nec non decreta S. Rit. C.* Die 19 decembr. 1829. *In Cathanien.*

253. Moniales s. Spiritus Ordinis s. Spiritus in civitate Hispalensi rogarunt pro facultate retinendi pallium coloris rubri in Altari in quo exponitur SS. Sacramentum Dominica Pentecostes, et duabus sequentibus feriis. S. Rit. C. respondit: *Obstant decreta*. Die 19 decembr. 1829. *In Hispalen.*

254. Quando Celebrans genuflectit ante Altare SS. Sacramenti tam expositi quam in tabernaculo reconditi, debetne genuflectere in plano Presbyterii, vel in supremo gradu Altaris? Resp. *Serventur rubricae: sed in accessu et recessu in plano est genuflectendum: in infimo autem gradu Altaris quoties genuflectere occurrat.*

255. Cum Celebrans coram SS. Sacramento exposito debeat thurificare et lavare manus extra Altare, debetne stare in plano Presbyterii, an in supremo gradu Altaris? Resp. *Servetur consuetudo, dummodo caveat ne terga vertat Sacramento.*

256. Genuflexio quae fit coram SS. Sacramento exposito tam in Missa, quam in Oratione XL horarum ceterisque functionibus, quando fieri debet unico genu et quando utroque, tum a Celebrante tum a Ministris, vel alio qui exponit, et reponit? Resp. *In accessu et recessu utroque genu, intra Missam unico genu: pro reliquis functionibus consulantur Rubricistae.* S. Rit. C. *In una Marsorum*, die 12 novembris 1831, ad dub. 51. 52. 53.

257. Utrum servari queat consuetudo, ex qua dum SS. Sacramentum publicae venerationi expositum est, continuo duo clerici superpelliceo induti, Diaconi autem et Sacerdotes etiam stolam albam habentes ut in Coena Domini, flexis genibus intra Presbyterium assistunt, quisque per horae spatium? Resp. *Affirmative iuxta Instructionem Clementis XI.* S. Rit. C. die 17 aug. 1833. *In Brixien.* ad 2.

258. An in Missa solemni celebrata cum cantu ante SS. Sacramentum solemniter expositum in festo Sac. Cordis Iesu apponi debeat commemoratio SS. Sacramenti, et quatenus affirmative, an locum habeat sub unica conclusione? Resp. *Commemorationem in casu esse omittendam.* S. Rit. C. die 6 sept. 1834. *In Ostunen.*

259. Cum in Mexicanae Dioecesis Ecclesiis solemnis expositio SS. Sacramenti quadraginta horarum quatuor complectatur dies, dubitari assolet in qua ex duabus integris diebus celebrari debeat Missa votiva solemnis pro Pace, ad quam quidem dubitationem eliminandam S. Rit. C. supplicatum est pro opportuna declaratione. Emi itaque ac Rmi Patres sacris ritibus tuendis praepositi animadvertentes in Instructione Cle-

mentina quoad huiusmodi expositionem § 13. nihil sancitum fuisse pro qualitate huiusmodi Missae votivae, ibidemque praescriptum fuisse Missam pro Pace celebrandam, donec aliter Summus Pontifex constituat, probe senserunt in dioecesibus ab Ordinariis locorum constituendum quae et quando Missa votiva tali occasione celebrari debeat, ac proinde in Ordinariis comitiis ad Vaticanum habitis respondendum censuerunt: *Arbitrio Episcopi quoad qualitatem Missae votivae, et assignationem diei vel secundae vel tertiae.* Die 23 maii 1835. *In Mexicana.*

Alia videnda sub numeris **107. 113. 115. 116. 131. 535. 540. 541. 542. 543. 544. 555. 556. 560. 561. 568. 575. 576. 580. 674. 918.** et in capite XI.

CAPUT V. — DE SEPULTURIS

260. *Regulares possunt Laicis* (seu Saecularibus), *qui degunt intra septa Monasterii, eiisque actu inserviunt, ministrare Sacramenta Eucharistiae, etiam tempore Paschali, ac extremae Unctionis, nec non sepulturam dare in propria Ecclesia: non tamen iis, qui quidem actu inserviunt, sed degunt extra septa Monasterii.* Congr. Concilii, iunii 1587. et 25 ianuarii 1738.

261. Quoad istos vero, qui actu inserviunt, sed degunt extra septa Monasterii, velut etiam si quis hospitalitatis causa, vel spiritualis recessus, aut alio consimili casu infirmatur in aliquo Monasterio, possunt Regulares, quatenus ob repentinam necessitatem non detur spatium petendi licentiam a Parocho, ipsis administrare Viaticum, et extremam Unctionem. Idem dicendum de aegrotantibus extra Claustra Monasterii.

Haec autem differentia est inter infirmos intra Claustra,et extra, quod ad communicandos existentes extra, quatenus tempus adsit, requiritur licentia petita,et obtenta; ad communicandos vero existentes intra Claustra sufficit licentia petita, licet non obtenta,quia cum Parochorum iurisdictio exerceri non valeat in locis Regularibus,et immunibus,omnino irrationabiliter illam denegarent, exponerentque infirmum manifesto periculo immunitum decedendi sine adeo utilibus,et necessariis Sacramentis.

Nec etiam posset Parochus occasione decessus ingredi in Monasterium, vel Ecclesiam Regularium, sed privatim efferendus esset defunctus extra ianuam eiusdem Monasterii, vel Ecclesiae ut ab eodem Parocho ut moris est ad sepulturam deducatur. P. Cavalieri ut infra.

262. Quoad Religiosos proprii Ordinis, qui decedunt extra ipsorum Monasteria, possunt Regulares eosdem communire extremis Sacramentis in quocumque loco detineantur infirmi, absque eo quod impediri valeant a Parochis, aut necesse sit eorum licentiam exquirere, quibus propterea etiam inconsultis (ut per Dec. C. Concilii 2 iulii 1620. decisum manet) eorum item cadavera a Regularibus ad proprias Ecclesias deferri posse, etiamsi a Curatis Sacramenta recepissent in necessitatis casu. Si vero cadavera Religiosorum, qui extra Monasterium moriuntur, ad ipsum Monasterium commode deferri nequeant, tunc si ipsi Religiosi, vel eorum Praelatus Provincialis, vel Localis sepulchrum elegerint, ibi sepeliantur, secus in sepulchro Ecclesiae Parochialis, in qua mortuus est, vel in Regulari alterius Ordinis, si ibi vitam finivit. Cavalieri ut infra.

263. Quod dictum est de Religiosis Professis, idem dicendum de Novitiis, qui extra Conventum Novitiatus e vita decedunt, quia secundum omnes in favorabilibus perfruuntur cunctis privilegiis, gratiis, et favoribus, perinde ac si Religiosi Professi forent. Cum vero isti proprium velle, et nolle habeant, possent utique ubicumque moriantur sibi eligere sepulturam, sicut et testari. Cavalieri tom. 4. decr. 14. cap. in Ord. 32. et tom. 3. decr. 14. cap. in Ord. 191. et S. C. 14 aug. 1665.

264. An servandum sit Decretum ab Episcopo Fossanensi factum, quod ad funera vocatis non liceat expectare Defunctum per vias, vel illius domum petere, sed quod debeant convenire ad Ecclesiam Parochialem, ad quam funus defertur, vel ad Cathedralem, si Cathedralis capitulariter interveniat, consuetudine immemorabili in contrarium non obstante?

Resp. *Tam Saeculares, quam Regulares etiam exemptos ad funera mortuorum vocatos in Ecclesiam Cathedralem, alias in Parochialem, ad quam funus defertur, convenire debere, et nullo modo permittendum, quod expectent per vias, vel adeant domum defuncti, consuetudine etiam immemorabili in contrarium non obstante.* S. Rit. C. 21 iulii 1645. *In Fossanensi*, ad 1.

265. S. Rit. C. respondit ad Episcopum Niciensem: *Regulares vocatos ad funus associandum nullo modo expectare debere per vias, aut in domo defuncti, sed prius convenire debere ad Ecclesiam Parochialem defuncti, et inde cum Clero dictae Parochiae se conferre ad levandum cadaver, non obstante contrario usu etiam immemorabili: ut etiam resolutum fuit in Fossanensi* 21 iulii 1645. S. Rit. C. hac die 9 augusti 1670. *In Niciensi.*

266. Expositionis tempore cadavera inferenda non sunt in Ecclesiam, et quando necessitas ea inferri cogeret, tumulari debent privatim, et absque solemnitate ulla, adeoque et sine Missa. Cavalieri tom. 4. decr. 45.

267. An in feria 6. Parasceve, expleta huius diei officiatura, solemnes exequiae supra cadaver cuiusdam Monialis expositum in Ecclesia interiori libere celebrari possint a Sacerdotibus in Ecclesia exteriori, ut moris est, decantantibus mortuale Officium cum intortitiis accensis?

Et S. Rit. C. audita prius informatione Episcopi respondendum censuit: *Negative per totum triduum: et Officium, et preces recitentur privatim.* Die 11 aug. 1736. *In Placentina.*

268. In funere defuncti parvuli in feria 5. 6. et Sabbato maioris hebdomadae omitti potest *Gloria Patri* pro conformitate temporis. S. Rit. C. 16 ianuar. 1677. *Hispalensi.*

269. Moniales Benedictinae Monasterii s. Mariae Civitatis Iserniae conquestae sunt de Canonicis Cathedralis praetendentibus, vocatis ad funus in Ecclesia ipsarum Monialium, facere Officium super cadaveribus in dicta Ecclesia: supplicantes coerceri.

Et S. C. respondit: *Non ad Canonicos Cathedralis in casu proposito spectare Officium facere super cadaveribus, sed ad Confessarium, sive Capellanum inservientem in Ecclesia ipsarum Monialium*, die 20 aprilis 1641. *Isernien.*

270. An in Ecclesiis Ordinis Capucinorum possint sepeliri cadavera saecularium eademmet sepultura, in qua reconduntur cadavera Religiosorum?

Et S. Rit. C. respondit: *In casu pauperis derelicti, vel alicuius conspicuae personae a Superiore dispensatae* (quod raro, et non sine iusta causa censuit esse faciendum) *posse huiusmodi cadavera sepeliri in Ecclesia dicti Ordinis, sed in loco separato ab illo, in quo tumulantur Religiosi.* Die 19 ianuar. 1692. *Ordinis Capucinorum.*

271. An in depositione defunctorum in verbis illis *Non intres in iudicium cum servo tuo, Domine, etc.* quando defunctus sit mulier, aut sint plures defuncti, possint verba *servo tuo* immutari in *serva tua*, vel *servis tuis* absque sacrae Rubricae laesione?

Et S. Rit. C. respondit: *Servandum esse Rituale.* Die 31 augusti 1697. *Fanensi.*

272. S. Rit. C. Illmo D. Card. Millino referente censuit: *Non prohiberi Regulares habentes privilegia recipiendi corpora defunctorum in eorum sepulturis, quominus iuxta dispositionem iuris communis possint in eis sepelire corpuscula par-*

vulorum, quando in eorum Ecclesiis adest sepulchrum Maiorum, vel concurrente consuetudine ab eorum Patribus est electa sepultura in praedictis Ecclesiis: curare autem debere eosdem Regulares, ut habeant Coemeterium separatum pro sepulturis Parvulorum. Eadem S. C. 12 decembr. 1620. *Civitatis Castellanae.*

273. Parochus, seu Vicarius s. Romani in Civitate Ferrariensi petiit a S. Rit. C. declarari, an ad funera, et exequias, quae fiunt et celebrantur in sua Parochia, possit ad libitum vocare quos Clericos, vel Presbyteros voluerit, an vero teneatur, ut aliqui praetendunt, vocare viciniores ?

Eadem S. Rit. C. respondit: *Posse Parochum ad libitum vocare quos voluerit, dummodo illi sponte velint accedere, nisi aliter disponant haeredes defuncti, quorum voluntatem servandam esse* censuit, et declaravit. Die 7 septembr. 1613. *Ferrariensi.*

274. Prior Ecclesiae Curatae s. Angeli Terrae Sassoferrati petiit declarari : An Canonici Ecclesiae Collegiatae eiusdem Terrae, quando associant mortuos sepeliendos in Ecclesia Parochiali ipsius Prioris, debeant ipsum Priorem, qui defert stolam, praecedere ?

S. Rit. C. respondit: *Illum Presbyterum, seu Curatum, seu Priorem, qui defert stolam, et ad cuius Ecclesiam funus defertur, alios omnes praecedere debere.* Et ita declaravit. Die 24 octobr. 1609. *Sassoferr. Nucerin. Dioecesis.*

275. S. Rit. C. iuxta alias resoluta respondit: *Officium super cadaveribus in Ecclesiis Regularium per ipsos Regulares, non autem per Parochos defunctorum peragi debere: ac ita in Ecclesia s. Mariae Rotundae per Monachos s. Alexii in Civitate Albanensi* servari mandavit. Die 9 dec. 1638. *Albanensi.*

276. 1. An Congregationi Sacerdotum Saecularium sub invocatione s. Philippi Nerii in associatione Confratrum defunctorum competat praecedentia supra Regulares ? 2. An eidem Congregationi occasione associationis eorumdem Cadaverum liceat elevare propriam Crucem ?

Et S. Rit. C. iuribus hinc inde deductis mature consideratis, et tam in scriptis, quam in voce utriusque partis Procuratoribus informantibus auditis, rescribendum censuit: *Ad* 1. *et* 2. *Affirmative, et amplius.* Et ita decrevit, et servari mandavit. Die 19 augusti 1719. *Imolensi.*

277. Contendente Rectore Ecclesiae Parochialis s. Silvestri Civitatis Sutrinae, in funeribus sui Parochiani, in Processionibus, et aliis functionibus Ecclesiasticis, praesentibus Capi-

tulo, et Archipresbytero Ecclesiae Cathedralis eiusdem Civitatis, sibi competere nonnullas praeeminentias. Hinc super eisdem controversiis exortis, Capitulum una cum Archipresbytero pro declaratione infrascriptorum dubiorum humiliter supplicavit:

Primo: An Parochus s. Silvestri teneatur accedere ad Cathedralem ad levandum Capitulum Cathedralis pro associando Cadavere sui Parochiani defuncti, vel in quacumque alia Ecclesia etiam Regularium, quando Capitulum interveniat in associatione? Resp. *Affirmative.*

Secundo: An etiam Regulares in casibus praedictis teneantur prius accedere ad Cathedralem ad levandum Capitulum, non autem ad Parochialem s. Silvestri? Resp. *Affirmative.*

Tertio: An Capitulum, et Canonici non solum in via, sed etiam in propria Ecclesia Parochiali praecedere debeant ipsi Parocho in funeribus, et aliis functionibus, non obstante praetensa contraria consuetudine? Resp. *Affirmative, praeterquam in actu faciendi Officium, quod spectat ad Parochum.*

Quarto: An Parocho praedicto tam in via, quam in Ecclesia Parochiali, quando associat Cadavera suorum Parochianorum, prohibita sit erectio propriae Crucis praesente Capitulo Cathedralis? Resp. *Affirmative, praeterquam in actu peragendi Officium.*

Quinto: An liceat dicto Parocho occasione Processionum discedere a sua Parochia, accedere, et transire per Parochiam Cathedralis cum Stola, et Cruce erecta, et simili modo redire ad suam Parochiam, vel potius debeat in Cathedrali erigere, et deponere Crucem, et Stolam? Resp. *Affirmative quoad primam partem, Negative quoad secundam.*

Sexto: An deceat Capitulum, et Canonicos assistere praedicto Parocho solemniter Celebranti in Festivitatibus ss. Annae, et Silvestri, quando invitantur ad Ecclesiam Parochialem: an vero unus de Capitulo debeat Missam cantare? Resp. *Affirmative quoad primam partem, Negative quoad secundam.*

Septimo: An liceat Archipresbytero Cathedralis in associatione cadaverum, aliisque Processionibus ingredi Ecclesiam Parochialem cum stola, an vero debeat illam in ianua deponere? Resp. *Affirmative quoad primam partem, Negative quoad secundam.*—Et ita declaravit, et servari mandavit. S. Rit. C. tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, die 28 aprilis 1703. *Sutrina Praeeminentiarum.*

278. Exortis inter Capitulum, et Mansionarios Ecclesiae Cathedralis Civitatis Caietanae ex una, et Parochos dictae Civitatis ex altera partibus controversiis, super praecedentia tam

in Choro, quam in Processionibus, aliisque functionibus Ecclesiasticis peragendis, illisque ad S. Rit. C. delatis, infrascripta dubia coram Emo et Rmo D. Cardinali Paulutio Ponente concordata decidenda proposita fuerunt, nempe:

Primo: An praecedentia tam in Choro Cathedralis Caietae, quam in publicis Processionibus, quae fiunt sub unica Cathedralis Cruce, etiam funebribus, debeatur Mansionariis intervenientibus cum Capitulo, seu potius Parochis dictae Civitatis? Resp. *In Choro servetur solitum, in reliquis praecedentiam deberi Mansionariis, et amplius.*

Secundo: An liceat Parochis intervenientibus in dicto Choro deferre stolam? Resp. *Negative, et amplius.*

Tertio: An interveniente Capitulo Cathedralis ad funus, Parochus defuncti, caeterique de Clero tam Saeculari, quam Regulari, sicut et Confraternitates teneantur convenire hora statuta ad dictam Ecclesiam Cathedralem, ut inde ordinate procedant ad domum dicti defuncti? Resp. *Affirmative, et amplius.*

Quarto: An Parochi, caeterique de Clero tam Saeculari, quam Regulari teneantur incedere sub unica Cathedralis Cruce in processionibus funebribus? Resp. *Affirmative, et amplius.*

Quinto: An in funere defuncti alterius Parochiae, interveniente Capitulo, liceat primae dignitati Cathedralis, sive, ea absente, alteri de Capitulo in ordine digniori incedere cum pluviali, et stola nigri coloris? Resp. *Affirmative, et amplius.*

Sexto: An in tumulatione cadaveris tam Canonici, quam alterius in dicta Ecclesia Cathedrali, debeatur Parocho defuncti quarta funeralis? Resp. *Negative.* S. Rit. C. in omnibus utraque parte scripto, et voce prius audita, visisque iuribus hinc inde deductis. Et ita decrevit, et servari mandavit, die 16 iulii 1757. *Caietana.*

279. An interveniente Capitulo Ecclesiae Cathedralis pro simplici funeris associatione absque ullo titulo Parochialitatis, spectet ad primam dignitatem stolam nigram deferre, seu potius privative ad solum Parochum domicilii defuncti hominis?

Resp. *Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.* S. Rit. C. die 11 septembr. 1802. *Tiburtina.*

280. An in Ecclesiam restituto funere, in qua Capitulum Cathedralis nullam habet Parochialem iurisdictionem, ad primam Capituli dignitatem spectet funeris Officium peragere, seu exequias celebrare cadaveris sibi non subiecti, sive potius ad Parochum, intra cuius Parochiae fines sita est Ecclesia, in qua cadaver eidem Parocho ratione domicilii subiectum est, tumulandum in casu, etc.?

Resp. *Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.* S. Rit. C. 22 ianuar. 1803. *Tiburtina.*

281. An in absolutione in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum sit dicenda tota conclusio in Oratione?

Resp. *Negative.* S. Rit. C. 5 iulii 1698. *In Collensi.*

282. An post absolutionem, quae fit super cadaver in die obitus, vel supra tumulum in die anniversario, aut supra lecticam, seu castrum doloris in die commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, dicto versiculo *Requiescant in pace*, subiungi debeat: *Anima eius, et animae omnium Fidelium Defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace*, cum de hoc nullam mentionem fecerit Gavantus, et alii Caeremoniales, quod tantum legitur in Rituali Romano de exequiis in fine?

Resp. *Servetur Rituale: at in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum nihil superaddendum.* S. Rit. C. die 2 decembr. 1684. *Ord. Canon. Lateran.* ad 11.

283. *Est abusus non tolerandus, quod campana aliqua pro solis nobilibus pulsari reservetur, sed pulsari debet pro quibuscumque petierint.* S. C. Episcopor. et Regular. 19 iunii 1583.

Addatur: An liceat Parocho independenter transire cum Cruce per alienam Parochiam, associando cadaver tumulandum in Ecclesia Regularium extra Parochiam propriam: Et an parentes cadaveris super dicto transitu teneantur ratione funeralium solvere aliquam portionem? Et S. Rit. C. respondit Ad 1. *Affirmative.* Ad 2. *Non teneri.* Die 15 sept. 1685. *In Sutrina.*

Item: An in exequiis defunctorum Sacerdotum, praesente corpore, subdiaconus se sistere debeat ad caput defuncti Sacerdotis, vel ad pedes? Et S. Rit. C. censuit rescribendum: *Servetur Rituale Romanum; et in exequiis defuncti Sacerdotis praesente corpore locetur Crux ad caput defuncti inter feretrum, et Altare.* Die 3 sept. 1746. *Massae, et Populoniae.*

284. Plebanus Bastiae Assisiensis Dioecesis conquestus est de abusu introducto per Regulares s. Crucis eiusdem terrae accedendi etiam non vocatos ad funeralia, et praetendentes ratam quamdam panni nigri, supplicans provideri.

Et S. C. respondit: *Absque exactione aliqua posse accedere Regulares non vocatos.* Die 31 martii 1629. *Assisien.*

285. Confratres Pietatis Loci Populi Sulmonen. Dioecesis aggregati Confraternitati Mortis Urbis conquesti sunt de Archipresbytero Loci, quod contra institutum Confraternitatis impediat, quominus non associent mortuorum cadavera ad sepeliendum. Et S. C. respondit: *Confratres praedictos non posse impediri.* Die 18 augusti 1629. *Sulmonen. et Valven.*

286. Procuratores Generales Ord. Mendicantium supplicaverunt declarari, esse in arbitrio haeredum defunctorum vocare Regulares, qui funus associare debeant, et nullo modo ad Curatos civitatis Senarum, non obstante Decreto Synodali disponente ad Curatos hoc munus pertinere.

Et S. C. iuxta alias resoluta respondit: *In arbitrium haeredum Defunctorum residere numerum Regularium, qui funeri intervenire debent, non autem in voluntatem Parochorum, non obstante contrario Decreto Synodali.* Die 7 dec. 1641. *Senar.*

287. Supplicantibus Choralibus Basilicae Liberianae s. Mariae Maioris de Urbe pro resolutione: an dicendum sit in fine absolutionis mortuorum *Requiescat*, vel *Requiescant?*

Et S. Rit. C. respondit: *Quando absolutio est pro uno defuncto in singulari, pro pluribus in plurali: in Missa vero semper* Requiescant. Et ita declaravit, et servari mandavit. Hac die 22 ianuarii 1678. *Urbis.*

288. Cum expositum sit per Archipresbyterum Altamurae, quod ibi anno praeterito decessit vir quidam nobilitate, et auctoritate praecipuus: hunc cum caeteri Nobiles inusitato aliquo, ac peculiari honore prosequi voluissent, apprehensis per quatuor principales viros extremi panni limbis feretrum operientis, ad locum usque sepulturae funus duxerunt.

Decedenti postmodum Sacerdoti etiam nobili, eodem ferme modo, quo cum laicis consueverant, in sacris vestibus a Sacerdotibus elato fimbrias itidem huiusmodi opertorii detulerunt. Quapropter supplicatum fuit pro declaratione, an id sit prohibendum?

Et S. Rit. C. respondit: *Prohiberi Ecclesiasticis tantum.* Et ita decrevit die 20 septembr. 1681. *Altamurae.*

289. Super controversiis inter Parochos, et Patres Theatinos, nonnullosque alios regulares Civitatis Mantuanae in associatione cadaverum exortis, propositis in S. Rit. C. ab Emo, et Rmo D. Card. Colloredo infrascriptis dubiis, nempe:

Primo: An liceat Parochis in associatione cadaverum suorum Parochianorum ingredi Ecclesias Regularium in casu etc., et quatenus affirmative?

Secundo: An liceat ingredi cum stola, et superpelliceo, et cruce erecta, ita tamen quod in absolutione funeris sola adhibeatur Crux Ecclesiae tumulantis?

Et S. Rit. C. respondit: *Ad* 1 *et* 2 *affirmative, absque tamen facultate deferendi Crucem intra Ecclesiam.* Et ita declaravit, et servari mandavit die 30 maii 1699. *Mantuana.*

290. In causa funerum, et associationis cadaverum inter Regulares, et Parochos Civitatis Mantuae alias sub die 30 maii

proximi praeteriti resoluta, et decisa: ad instantiam modo Regularium pro peculiari declaratione resolutionum humiliter supplicantium, proposito ab Emo, et Rmo D. Card. Colloredo infrascripto dubio, videlicet:

An ingressus Parochorum cum stola, et superpelliceo in Ecclesia Regularium, iuxta resolutionem S. C. sub die 30 maii proximi praeteriti, sit intelligendus ad effectum dumtaxat secedendi in angulo Ecclesiae, et ibi deponendi supradictam stolam, et superpelliceum, an vero eisdem liceat etiam functionibus super cadavere peragendis assistere, et quomodo?

S. eadem Rit. C. unica tantum parte informante audita, respondit: *Posse Parochos pro eorum commoditate ingredi sine Cruce elevata, non tamen pro assistendo functionibus exequialibus.* Et ita declaravit et servari mandavit. Die 12 septembr. 1699. *Mantuana.*

291. Quaesitum fuit ab Episcopo Civitatis Lauden. declarari: An Canonicis Parochis Cathedralis Ecclesiae funera concomitantibus liceat deferre Cappam choralem, per quam a caeteris simplicibus Presbyteris distinguantur?

Et S. Rit. C. respondit: *Negative.* Die 19 dec. 1699. *Lauden.*

292. Exposito a Patribus Oratorii s. Philippi Nerii, Civitatis Mexicanae in Indiis occidentalibus, eorum Congregationem fuisse auctoritate Ordinaria erectam, et postea a S. M. Innocentio XII confirmatam, cum omnibus, et singulis privilegiis, ad instar Congregationis s. Mariae in Vallicella, et s. Gregorii de Urbe, ut ex Brevi exhibito sub dat. 24 decembr. 1697.

Cum autem in Ecclesia dictorum Patrum plures tumulari iusserint, et iubeant, Parochi in associandis ad eorum Ecclesiam cadaveribus parentalia, et omne aliud, quod in exequiis fieri solet, in ea peragere voluerint, ita ut Patres praedicti pluries a recipiendis defunctis se abstinuerint, et abstineant, et quando ab hoc se expedire non potuerunt, intrante Parocho eorum Ecclesiam semper protestati fuerunt, iurisdictionem ad se, non ad illum spectare, idcirco ad evitanda scandala, quae ex hoc oriri possunt, demisse S. Rit. C. supplicaverunt, quatenus benigne declarare dignaretur: quibus competat,Parochis ne, an Patribus in eorum Ecclesia exequias persolvere?

Et S. eadem C. audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, respondendum censuit: *Quando Ecclesia tumulans est a Parochiali diversa, ducto funere ad Ecclesiam, non Parochus, sed alius Sacerdos eiusdem Ecclesiae, ad quam cadaver delatum est, indutus Cotta, et Stola, vel etiam Pluviali nigri coloris prosequatur Officium*

a Rituali Romano praescriptum. Et sic S. Rit. C. servandum esse censuit in Ecclesia praedictorum Patrum Congregationis Oratorii s. Philippi Nerii in Civitate Mexicana, sine tamen praeiudicio iurium Parochis competentium, ut possint, si velint illa experiri in hac S. C. Et ita, etc. die 3 septembr. 1746. *Mexicana in Indiis occidentalibus.*

293. Quinam ritus servandus est in exequiis solemnibus sive ad feretrum, corpore praesente, sive ad tumulum?

Resp. Servetur Rubrica XIII Missalis Romani n. 4. ubi dicitur: *Celebrans (existens) in capite loci inter Altare, et tumulum, aliquantulum versus cornu Epistolae, et Subdiaconus cum Cruce ad pedes tumuli, cantatur* ℟. Libera me, Domine, *et circa illius finem ponit incensum in thuribulum, benedicens illud more solito, ministrante Diacono naviculam: et finito* Kyrie eleison *incipit intelligibili voce* Pater noster, *et secreto prosequendo reliqua accipit aspersorium de manu Diaconi, et circumiens tumulum aspergit aqua benedicta, ter a parte dextera, et ter a sinistra, et eodem modo, quo asperserat, incensat.*

Ad quae P. Cavalieri *tom.* 3. *decr.* 62. *in Ord.* 174. *n.*17. *tit.* De exequiis Adultorum, addit: *Sacerdos locatus ut supra, circumiens feretrum per latus dexterum (defuncti, seu Crucis), ter hoc aspergit, scilicet in pede, medio, et capite (eo quod defunctus, dum viveret insignitus fuerit signaculo SS. Trinitatis), deinde ter aspergit sinistrum latus, sed prius in capite, deinde in medio, et pede: et hoc sive cadaver praesens sit, sive absolutio fiat ad coenotaphium.*

294. Si vero cadaver sit Sacerdotis, et praesens, cum tunc caput Sacerdotis sit versus Altare, et Crux inter feretrum, et ipsum Altare, ut per decr. S. Rit. C. 8 septembr. 1746, in tali casu Celebrans locari debet ad pedes defuncti in medio inter feretrum, et fores Ecclesiae, ita ut Crucem directe respiciat, prout habetur in Caerem. Episcopor. lib. 2. cap. XI. n. 22. cum enim apud Ecclesiam non sit acceptio personarum, quod ibi statuitur pro Episcopis, et Praelatis Sacerdotibus, de omnibus Sacerdotibus intelligendum esse censetur, prout pro omnibus Sacerdotibus indiscriminatim editum fuit modo cit. decretum de Cruce statuenda inter feretrum, et Altare, secus non posset Celebrans directe Crucem respicere: in quo casu aspersio, et incensatio incipiendae erunt a parte dextera Crucis, seu defuncti, nempe in pede, medio, et capite, deinde a parte sinistra in capite, medio, et pede.

295. In exequiis tamen non solemnibus, sive corpore prae-

sente, sive non, sufficit, ut Celebrans sine circuitione ter ducat aspersorium super feretrum, vel tumulum, nempe in medio, a latere dextero, et a sinistro.

296. In absolutionibus vero ad tumulum, licet Sacerdotis, iuxta Caerem. Episcopor. lib. 2. cap. XI, n. 15., et Cavalieri in Appendice ad cap. XV. *De exequiis Adultorum*, quando cadaver praesens non est, Crux collocanda est inter tumulum, et fores Ecclesiae, licet huiusmodi tumulus repraesentet praesentiam Sacerdotis ; et Celebrans stare debet iuxta solitum inter Altare, et tumulum, ut supra dictum est.

297. An in exequiis solemnibus alicuius defuncti, in trina aspersione per quodlibet latus cadaveris, vel tumuli, haec facienda sit singillatim in modum Crucis, et similiter quoad incensationem, an haec fieri debeat pariter singillatim duplici ductu thuribuli, nullibi constat; unde in casu gratis, vel ex abundantia hoc fieri censetur, et satius esse (salvo meliori iudicio), si simplicitas in hoc effulgeat.

298. An in iisdem exequiis, dum post orationem Celebrans dicit *Requiem aeternam dona eis Domine*, facere debeat manu dextera signum Crucis super tumulum, vel feretrum ? Respondetur Affirmative, prout expressum habetur in praecitata Rubrica XIII Missalis n. 4. in fine, et Caeremon. Episcop. lib. 2. cap. XI. num. 12. licet Rituale Romanum sileat.

299. An ubi in commemoratione omnium Fidelium defunctorum in absolutione facienda in Presbyterio pro Sacerdotibus, vel etiam ad sepulchrum pro particularibus defunctis : statuuntur duo candelabra cum candelis accensis, loco tumuli, Celebrans in aspersione , et incensatione circuire debeat illa duo candelabra, ut fit ad tumulum ? Resp. Negative, sed sufficere, stando Celebrans in loco suo, ter aspersorium, et thuribulum ducere super pavimentum, nempe primum iactum in medio candelabrorum, secundum a latere dextero, et tertium ad sinistrum. Idemque servandum in fine exequiarum in die depositionis defuncti, quoad aspersionem corporis post canticum *Benedictus*, idest, ut ait Cavalieri loc. cit. *sine circuitione circa feretrum*.

300. Cadavera Episcoporum, Sacerdotum, Diaconorum, aliorumque de Clero debentne sepeliri cum vestibus proprio ordini congruentibus, aut sufficit ut cum his in Ecclesia exponantur ? Resp. *Servetur cuiusque loci consuetudo*.S. Rit. C. in 12 novembr. 1831. *In una Marsor*. ad 25.

301. Omissum semper fuit Anniversarium pro ultimo Archiepiscopo defuncto ex cap. 36. lib. 2. Caeremonialis, curis et

impensa Capituli quotannis faciendum. Putant quidam Canonici se ad id non teneri tum quia omni tempore factum est ita, tum quia superiores Archiepiscopi, si aliquibus cordi fuit hoc annuo suffragio post mortem frui posse, congruos census mensae capitulari in perpetuum legarunt. Resp. *Servandam esse dispositionem Caeremonialis*. S. Rit. C. die 12 novembr. 1831. *In Pisana*, ad 14.

302. Ex immemorabili pene consuetudine in Ecclesia Cathedrali Viglevanen. solet Capitulum post Laudes recitare Ps. *De profundis* cum aliquibus orationibus in fine. Inter hos locum habet oratio *Inclina Domine aurem tuam* in suffragium Francisci II Sforza Mediolani olim Ducis ac Fundatoris tum Episcopatus Viglevanensis tum ipsius Capituli. Modus autem hanc orationem recitandi causa controversiarum inter Canonicos nonnullis abhinc annis fuit. Aliqui namque dicunt in oratione *famuli tui Francisci*, nonnulli superaddunt *olim Ducis nostri*. Sed cum multi contendant Pontificali Romano, Decretisque S. Rit. C. adversari vel tituli vel dignitatis nominis defuncti dum pro eo recitatur oratio, propterea ad evellendas controversias eliminandumque scandalum quod non raro usuvenit vel inter Clericos choro assistentes vel inter Laicos ipsos, qui eo temporis momento Ecclesiam adeunt, S. Rit. C. humillime supplicavit R. D. Petrus Ghilardini Canonicus et Capituli Cancellarius quatenus decernere dignaretur modum recitandi recensitam orationem pro uniformitate obtinenda. Et S. Rit. C. in ordinario coetu ad Vaticanum coadunata rescribendum censuit: *Oratio* Inclina Domine *legenda sine nomine uti iacet in Breviario et Missali Romano: citra tamen probationem consuetudinis dicendi has preces post Laudes, quae iuxta rubricas dicendae forent post Primam.* Die 7 aprilis 1832. *In Viglevanen.*

303. *Antiphona et Psal.* De profundis *nec non versiculus* Animae eorum *in die commemorationis omnium fidelium defunctorum post absolutionem ad tumulum sunt omittenda iuxta decretum in una Ord. Canonic. Regul. Lateran.* 2 *decembr.* 1684. S. Rit. C. die 29 *iulii* 1832. *In una Ord. Minor. s. Francisci Provinc. s. Pauli Vallisoletanae.*

304. An anniversaria occurrentia in diebus festivis aut impeditis, a testatoribus tamen non adsignata transferri valeant ad aliam diem, in qua occurrat officium ritus duplicis minoris; in eaque praeter officium etiam Missa de Requie decantari possit ut in Anniversario?

Resp. *Posse iuxta decretum in una Papien. die* 17 *martii* 1629, *sed petendum Indultum.*

305. Quamvis Ritualis rubrica tit. *de Exequiis* praescribat ℟. *In Paradisum* decantari solummodo debere cum Cadaver ad sepulchrum defertur, tamen in civitate Brixien., ob Sepulchreti distantiam usus invaluit praedictum responsorium cum aliis precibus decantari tempore absolutionis: quaeritur utrum usus an rubrica servari debeat? Resp. *Posse continuari iuxta consuetudinem aliarum Ecclesiarum.*

306. An prosequi possit consuetudo cantandi Ant. *Si iniquitates*, cum Ps. *De profundis* cum celebrata Missa de Requie, ad medium progreditur processionaliter pro exequiis absolvendis? Resp. *Negative: Antiphona, et Ps.* De profundis *dici debent post absolutionem ad tumulum in reditu ad sacrarium.* S. Rit. C. die 28 iulii 1832. *In Brixien.* ad 1. 2. 3.

Alia videnda sub numeris 764. 788. 919.

CAPUT VI. — DE OFFICIO DIVINO

307. *In occurrentia festorum eiusdem ritus, et alias quomodocumque parium, talis ordo servetur, ut primum locum habeat Officium Ecclesiae particularis: secundum Ordinis, seu Religionis: tertium Dioecesis: quartum Nationis: quintum Ecclesiae universalis.* Et ita declaravit S. Rit. C. 22 aprilis 1741. *Vilnensis*, ad 6.

308. *Pro translatione* tamen *festorum talis ratio habeatur, ut prius fiat Officium de prius descripto in Calendario, nullo habito respectu, quod Officium translatum sit Ecclesiae universalis, Nationis, Dioecesis, Ordinis, et Ecclesiae particularis. Quando occurrit festum aliquod in Dioecesi, quod sit de praecepto quoad forum, Regulares debent de eo Officium facere, nisi apud ipsos occurrat eadem die aliud festum, quod sit eiusdem classis, ritus, et maioris dignitatis.* S. Rit. C. 5 maii 1736. tit. 10 de Translat. Festor. *Einsielden.* dub. 5.

309. *Quando plura Officia de praecepto eadem die ita fixe occurrunt, ut translatio alicuius, vel aliquorum sit perpetua, tunc prima dies proxime non impedita assignata censetur in perpetuum pro die prima festi translati.* S. Rit. C. 18 octobr. 1696. *Quae assignatio fieri potest S. C. inconsulta.* S. Rit. C. 22 april. 1741. *In Vilnensi*, ad 7. (ubi citatur praecedens Decr. anni 1696.)

310. Assignatio diei festo in perpetuum translato censetur facta a Superiore, v. gr. Episcopo, Parocho, Provinciali, vel Guardiano, quando fit ab iis, qui ex eorumdem mandato Calendarium pro Cleri directione componunt. P. Cavalieri tom. 1. cap. 9. decr. in Ord. 91.

311. Occurrente Patrono Loci cum Titulari Ecclesiae Regularium, fieri debet de Patrono, et transferendum Titulare, quia ille est Patronus loci totius, hic autem unius Ecclesiae particularis, tum quia in Rubrica semper praeponitur Patronus Titulari tamquam dignior. Ita Rubricae particulares Breviarii Ordinis Capucinorum post mens. decembr. n. 2. Excipitur tamen apud Minores festum s. Francisci.

312. Si Patronus, vel Titularis Ecclesiae incidit in Dominica prima Adventus, et Quadragesimae, in Dom. Passionis, Palmarum, in Albis, et SS. Trinitatis, in vigiliis Nativitatis Domini, et Pentecostes, in die Circumcisionis, in die octava Epiphaniae, in feria 4. Cinerum, in tota maiori hebdomada, et infra octavam Paschae, et Pentecostes, transfertur. *Gavant. sect.* 3. *§* 12. *n.* 10. *et Rubrica Breviarii* de Translat. Fest.

313. In anno bissextili, si littera Dominicalis sit A, vel B, vel G, in Sabbato ante Dominicam Septuagesimae nihil fit de Dominica post Epiphaniam, cum nulla supersit, secus fit semper saltem commemoratio cum 9 lectione Homiliae.

314. An quando contingit transferri, festum alicuius Sancti Confessoris a die sui obitus in diem proxime sequentem, debeat tunc in primis suis vesperis dici in hymno *Meruit beatas*, et in Matutino, et secundis vesperis *Meruit supremos?*

Resp. *In casu proposito tum in vesperis, tum in reliquo Officio continuandum versum* Meruit beatas. S. Rit. C. die 13 iunii 1682. *Ordinis Minor. s. Francisci*, ad 6.

Secus tamen dicendum, si in primis vesperis de s. Confessore facta sit tantum commemoratio, tunc enim sive ad Matutinum, sive in secundis vesperis dici deberet *Meruit supremos.*

315. Si festum Stigmatum s. Francisci transferatur, an facienda sit in hymno aliqua mutatio?

Resp. *In festo translato Stigmatum s. Francisci nulla est facienda mutatio in hymno.* S. Rit. C. 2 sept. 1741. *In Aquensi*, ad 8.

316. An si feria sexta post octavam Ascensionis occurrat festum novem lectionum, facienda sit in Missa commemoratio illius diei?

Resp. *Faciendam commemorationem feriae* 6, *nisi festum fuerit ex solemnioribus iuxta Rubricas.* S. Rit. C. 4 apr. 1705. *In Lyciensi*, ad 6.

317. An si occurrat Dominica quarta Quadragesimae festum primae classis habens proprias lectiones primi nocturni, lectiones Exodi eidem Dominicae quartae assignatae reassumendae sint intra illam hebdomadam in illo primo festo occurrente, et non habente lectiones proprias primi nocturni, de quo, si

fieret Officium post Quadragesimam, illae lectiones essent de Scriptura occurrente desumendae?

Resp. *Lectiones primi nocturni de Exodo Dominicae quartae Quadragesimae, quoties ista sit impedita aliquo festo primae classis, resumendas esse intra illam hebdomadam in festo occurrente carente lectionibus propriis primi nocturni, quae desumerentur de Scriptura occurrente, si festum illud extra Quadragesimam incidisset.* S.Rit. C. 26 novembr. 1735. *Hispalensi*, ad 6.

Ait hic P. Cavalerius tom. 2. cap. 34. decr. XI. cap. in Ord. 307. Num per festum primae classis impeditis Dominicis Sexagesimae (Septuagesima namque cum contineat initium libri Genesis hoc utique resumi debet, quoties impeditur), Quinquagesimae, secundae, tertiae, et quartae Quadragesimae, lectiones primi nocturni earumdem Dominicarum infra hebdomadam resumi debeant, dubium iam excitavit Guyetus lib. 4. cap. 16. q. 3. illudque resolvit affirmative, dummodo infra hebdomadam occurrat festum non habens lectiones proprias, vel de communi assignatas, et ducitur, quia etsi lectiones praedictae non sint initia libri alicuius, sed mera continuatio, continent tamen singulae insignes historias ab aliis penitus distinctas, propriisque nominibus Noemi videlicet, Abrahami, Iacobi, Iosephi, et Moysis nuncupatas, quodque ad rem facit maxime non fortuito, seu obvia currentis libri serie, sed cum delectu hisce Dominicis privilegiatis addictas, utpote eximias ex Sanctorum Patrum interpretatione figuras, ac veluti praeludia quaedam Mysteriorum Redemptionis nostrae, cuius tunc primordia recoluntur. Cavalerius, loc. cit.

318. An festa perpetuo translata, etiamsi sint semiduplicia, transferri possint in dies infra octavas non privilegiatas, in quibus fieri deberet de octava tamquam in dies proprios?

Resp. *Affirmative.* S.Rit.C. die 7 decembr. 1743. *Mediolanensi* ad 2. (hoc tamen intelligendum non est de semiduplici ad libitum.)

319. Utrum, interveniente necessitate movendi in perpetuum aliquod festum, cui assignata fuerat dies alia propria, moveri etiam debeant alia festa, quibus pariter assignati fuerant dies proprii, ita ut per modum translationis omnia ista cedant locum antiquioribus?

Resp. *Cum aliquod festum iam translatum iterum moveri contigerit a die sibi semel assignata, non est opus, ut caetera alia festa post ipsum translatum a diebus sibi respective assignatis denuo removeantur; ni forte nova Calendarii constructio ex integro assumeretur.* Et ita declaravit S. Rit. C. die 22 augusti 1744. *In Cracoviensi*, ad 4.

320. An dum per solam commemorationem anticipatur Officium alicuius Dominicae post Epiphaniam in sabbato ante Septuagesimam, in qua occurrat festum novem lectionum non habens lectiones primi nocturni proprias vel de communi assignatas, legi debeant illae de sabbato occurrente, an vero, istis omissis, vel praecedenter lectis, si sint de initio alicuius Epistolae, legendum sit Epistolae Divi Pauli initium assignatum illi Dominicae, cuius Officium per commemorationem anticipatur?

Resp. *Legendas esse lectiones de Dominica anticipata, dummodo in sabbato antecedenti non occurrat initium alterius Epistolae s. Pauli.* S. Rit. C. 28 martii 1775. *Urbis, seu Ord. Minor. Observ. s. Francisci*, ad 10.

321. Ex parte Guardiani, et Religiosorum Capucinorum Conventus Vippacci Provinciae Styriae Aquileiensis Dioecesis S. Rit. C. humillime supplicatum fuit idiomate vulgari:

Come essendo nato un dubbio circa il giorno anniversario della Dedicazione della loro Chiesa, stante che il documento della Consecrazione della medesima parla in questi termini: *Consecravimus anno* 1643, *ipsa Dominica quatuor Temporum post festum Exaltationis s. Crucis Ecclesiam*, etc. E dandosi alcuni anni, che fra l' Esaltazione di santa Croce, e le quattro Tempora intermedia una Domenica, si domanda, se questa Domenica, che antecede le quattro Tempora, o quella che immediatamente segue, debba considerarsi propriamente *ipsa Dominica quatuor Temporum*, nella quale si debba celebrare l' anniversario d' essa Consecrazione?

Et S. eadem C. audito voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris rescribendum censuit: *Dominicam quatuor Temporum esse illam, quae sabbatum quatuor Temporum immediate sequitur, non est prorsus ambigendum.* Et ita declaravit, die 31 augusti 1743. *Aquileiensis.*

322. In pluribus locis hebdomada quinta novembris ob multitudinem Officiorum habentium lectiones primi nocturni proprias, vel de communi, saepe non remanent dies pro recitandis omnibus initiis Prophetarum minorum, quamvis tria initia una die recitentur: Quaeritur, an in casu omittenda sint initia, quae locum habere non possunt, vel dicenda sint in Officio semiduplici, et duplici maiori, vel minori, licet habeant lectiones primi nocturni proprias, vel de communi?

Resp. *Negative ad primam partem, Affirmative quoad secundam.* S. Rit. C. 27 martii 1779. *Ord. Minor. Observ. s. Francisci*, ad 13.

323. Quando Dominica quarta septembris fuerit ultima, et feria 5. 6. et Sabbato legi non potest liber Esther, eo anno

omittatur. Ita Rubrica Breviarii sub feria 5. Dominicae quartae praedicti mensis.

324. Quando Dominica quarta octobris fuerit ultima mensis, et feria 5. 6. et Sabbato legi non possunt lectiones martyrii Machabaeorum, eo anno omittuntur. Ita Rubrica Breviarii ad fer. 5. Dominic. 4. octobr.

325. Quando una die poni debent duo initia, seu *incipit*, legantur duae lectiones de *incipit* feriae currentis; minus enim quam potest laedi debet ius uniuscuiusque. Cavalieri tom. 2. cap. 34. decr. 13. cap. in Ord. 309.

326. Initia debent solum transferri intra hebdomadam; quoniam vero ex Libris quidam sunt, quorum lectio per duas, aut plures hebdomadas perseverat, dubium non est, quod per hebdomadas omnes, quibus eorumdem lectio durat, etiam eorum initium resumi valet, nec tamen propterea censetur eorum initium extra suam hebdomadam transferri; et in paritate impedimenti, dies sequens semper est praeferendus diei praecedenti, dummodo sit intra hebdomadam. Cavalieri, tom. 2. cap. 34. etc., ut supra.

327. Occurrente festo non habente lectiones proprias in die, cui nullae lectiones de Scriptura attributae sunt, recurri non debet ad commune Sanctorum, si adsit initium aliquod Scripturae reponendum, sed hoc erit recitandum, ut mandat Rubrica posita in festo ss. mm. Cleti, et Marcellini 26 apr. Et haec ratio ostendit, quod eo in casu non recurrit ad commune, nisi ob defectum Scripturae, ac consequenter ad commune recurrendum non est, quoties Scriptura non deest. Qui casus facile evenire potest in feriis Rogationum, et quatuor Temporum septembris, quando initium praecedentis Dominicae fuit impeditum. Cavalieri, tom. 2. cap. 34. etc., ut supra.

328. An in die octava dedicationis Ecclesiae pro tertio nocturno semper legi debeant, ac repeti lectiones festi, ut innuit Rubrica Breviarii, an vero possint desumi ex die aliqua infra octavam, de qua ob impedimentum aliquod Officium actum non est?

Resp. Si quandoque non fiat Officium de aliqua die infra octavam, potest legi Homilia, quae omissa est, in die octava ad varietatem, et ad libitum. Ita Gavantus sect. 7. cap. 9. num. 1. loquens de die octava s. Ioannis Baptistae, in qua etsi similiter assignentur lectiones tertii nocturni quae lectae fuerunt in festo (ut patet in Breviariis vetustae editionis), adhuc in ea legi posse asserit de Homilia s. Ambrosii, quae habetur in secunda, vel quarta die infra octavam eiusdem, si de aliqua ex his diebus ob Dominicam occurrentem contingat non

fieri Officium: hocque, ibidem subdit, conforme est Rubricis Octavarii Romani. Cavalieri cap. 1. decr. 21. num. 8. et 9.

329. Quando recitatur de s. Confessore, et in Laudibus fieri debet commemoratio de infra octavam alterius Confessoris propriam non habentis, quaeritur, unde desumenda est antiphona, ex primis vesperis, an potius ex secundis, cum infra octavam primas non habeat vesperas?

Resp. *Negative quoad primam partem, et Affirmative quoad secundam, scilicet pro Laudibus sumendam esse Antiphonam de secundis vesperis, et pro secundis vesperis de Laudibus, in utroque tamen casu cum vers. de primis vesperis.* S. Rit. C. 18 decembris 1779. *Ord. Minor. s. Francisci de Observ.* ad 6.

330. An quando Antiphonae, et versus in vesperis variantur, pro commemoratione alicuius simplicis facienda, prius accipiendus sit versus ex vesperis, quam ex Laudibus, si diversi sunt: an vero recurrendum prius ad Antiphonam, et versum Laudum, quam ad Antiphonam, et versum secundarum vesperarum?

Et S. Rit. C. respondit: *Ad Vesperas primo accipienda est antiphona cum versu Laudum: si vero plures sint commemorationes simplicium, tunc secunda commemoratio sumatur ex secundis vesperis cum versu secundi nocturni, tertia vero commemoratio fiet desumendo antiphonam primam ex tertio nocturno cum versu eiusdem nocturni.*

Ad Laudes prima commemoratio cum versu erit propria ex primis vesperis: secunda commemoratio fiet cum antiphona tertia, et versu assignatis iam in primis vesperis: tertia autem commemoratio fiet desumendo antiphonam et versum dictos secundo loco in primis vesperis, nempe antiphonam secundarum vesperarum, et versum secundi nocturni. Die 5 maii 1736. *Ad instantiam P. Abbatis Monasterii Einsieldensis Ordinis s. Benedicti Congr. Elvetiae*, tit. 24. de Versibus, dubio 3.

331. Quaesitum fuit: An in Civitate Monopolitana pro Officio s. Sebastiani martyris cuius Festum cum sit eiusdem Civitatis Patronus primus principalis, celebratur seorsim a s. Fabiano, in primo nocturno recitandae sint lectiones communes unius martyris *A Mileto*, et an celebranda sit Missa *Statuit* de eodem communi?

Et S. Rit. C. *In primo nocturno recitandas esse lectiones* Fratres debitores sumus, *et Missam* In virtute tua *de communi unius martyris non Pontificis celebrandam censuit. Et insuper Officium s. Fabiani sub ritu tantum semiduplici*,

et secundum Rubricas transferendum esse respondit. Die 13 aug. 1695. *In Monopolitana.*

332. An ubi fit de s. Sebastiano martyre non Pontifice tanquam de principali Patrono, seu Titulari, dicenda sit Oratio *Infirmitatem nostram*, ut vult Talù n. 25. ab aliqua praxi secutus, an potius alia de communi unius martyris non Pontificis, ut vult Cavalerius tom. 1. cap. 5. decr. 2. ?

Resp. *Negative ad primam partem*, *Affirmative ad secundam.* Et ita declaravit S. Rit. C. die 2 maii 1801. *Ord. Minor. de Observ.* ad 6.

333. *Concurrentibus secundis vesperis Conceptionis B. Mariae V.*, ubi *celebratur ritu duplici primae classis*, *cum primis vesperis dedicationis Ecclesiae propriae*, *vesperae erunt integrae de dedicatione*, *utpote Festum Domini*, *cum commemoratione Conceptionis.* S. Rit. C. 19 sept. 1801. *Ord. Eremit. s. Augustini*, ad 1. [1])

334. Cum iam declaratum sit a S. Rit. C. dedicationem Ecclesiae esse festum Domini: quaeritur, an Octava dedicationis propriae Ecclesiae dignior sit Octava Conceptionis B. M. V. ubi celebratur ritu duplici primae classis, et Octavis Assumptionis eiusdem B. V. et omnium Sanctorum ?

Resp. *Negative.* S. Rit. C. die 13 martii 1804. *Ord. Clericor. Minor.* ad 3. et 4.

335. Festum gaudens octava, si transferri contingat, et dies non impedita occurrat priusquam octava finem habeat, in repositione praeferendum est aliis Festis etiam maioris ritus, vel dignitatis prius translatis, quae tamen vel non gaudent octava, vel post eam transferuntur. S. Rit. C. die 14 maii 1803. et 13 martii 1804. *In una Ord. Carm. Excalceat.* ad 4. dub. quae fuit dilata.

336. Cum nonnullis in Ecclesiis aliquando accidat, ut quaedam Festa secundae classis celebrari non possint in die propria, sed transferri debeant ad aliam diem non impeditam iux-

[1]) S. Rit. C. animadvertens plurima ex hac sententia (nempe quod Dedicatio Ecclesiae sit festum Domini) exoriri dubia quum de huius festi qualitate omnino sileant Rubricae, imo in tabella duplicium primae classis collocent idem festum post illa B. Mariae V., nativitatis sancti Ioannis Baptistae, ss. Apost. Petri et Pauli, ac omnium Sanctorum, et solummodo praeferant festis Patroni et Tituli Ecclesiae; satius duxit se conformare ordini, et regulae praefatae rubricae, cui adhaerens in sequenti quaestione decrevit Octavas Assumptionis, et Conceptionis praeferendas esse octavae Dedicationis, et servandas esse rubricas. (Gardellini in Indice Gen. Decret. S. Rit. C.) (P. M.)

ta Rubricas, et intra annum non supersit ullus dies vacuus, in quo dicta Festa reponi possint :

S. Rit. C., referente Emo, et Rmo D. Cardinali Litta, re maturius discussa declaravit: *Eadem Festa transferenda esse in proximiorem diem etiam impeditum Festo semiduplici, aut duplici, quod illo anno redigatur ad ritum simplicem, firmis remanentibus aliis declarationibus ab ipsa sacra Congregatione emanatis de Festis inferioris ritus in simili casu non transferendis, sed ad ritum simplicem redigendis.* Et ita declaravit, et ubicumque servari mandavit. Die 13 martii 1804. *Decretum generale.*

337. An, occurrente Festo s. Andreae Apostoli in Dominica prima Adventus, transferri debeat tamquam in diem propriam in primam diem decembris, translato quocumque Festo etiam aequalis ritus, sed minoris dignitatis eo die occurrente, iuxta Rubricam Breviarii PP. Conventualium *de Translatione Festorum*, n. 14, in quo citantur decreta S. Rit. C. 5. sept. 1739, et 21 ian. 1741 (in quibus eadem S. C. adprobat praedictum Breviarium), inserta in Constitutione Benedicti XIV incipiente *Praecipuum* 16 febr. 1742 eidem Breviario praemissa ? Et quatenus affirmative, an tali privilegio gaudeat etiam Festum s. Thomae Apostoli impeditum a Dominica quarta Adventus ?

Resp. *Negative, nisi in casu, quo infra annum iuxta generale decretum de die* 13 *martii* 1804, *non supersit ullus dies vacuus, quo reponi possint.* S. Rit. C. 20 sept. 1806: *In Brixiensi*, ad 11. et 12.

338. Cum S. Rit. C. sub die 16 iulii 1672 ad preces Patris Procuratoris Generalis Congregationis Cassinensium concesserit, ut officium s. Benedicti a tota Congregatione Cassinensi recitari possit qualibet feria tertia non impedita sub ritu semiduplici; nunc pro parte Iosephi Gamba Confessoris Monialium s. Benedicti Panorm quaeritur:

Primo : An possit ex concessione praedicta Officium ut semiduplex s. Benedicti recitari in Adventu, Quadragesima, et vigiliis ? Resp. *Negative.*

Secundo: An occurrente in tertia feria festo semiduplici debeat transferri, et celebrari eo die Officium s. Benedicti ? Resp. *Recitandum Officium de semiduplici occurrente.*

Tertio: An debeat recitari in tertiis feriis infra octavas Sanctorum, in quibus festa semiduplicia recitantur ? Resp. *Negative.*

Quarto: Si aliquod festum translatum semiduplex deberet celebrari in tertia feria, utpote in die , quae prima occurrit non impedita, debeat ulterius transferri, et recitari ea die s.

Benedicti ? Resp. *Recitandum Officium de semiduplici translato.*

Quinto: Quid agendum sit in simili casu, quando festum translatum non sit semiduplex, sed duplex, vel primae, vel secundae classis, et deberet celebrari in feria tertia, die scilicet proxime succedente non impedita ? Resp. *Recitandum Officium de duplici quocumque translato.*

Eadem S. Rit. C. die 30 septembr. 1679. *Panormitana.*

339. Cum Clemens PP. IX sub datum die 23 iulii 1667 concesserit Clero Civitatis, et Dioecesis Compostellanae, ut possit singulis diebus lunae, exceptis Adventus, et Quadragesimae, atque festo duplici, vel semiduplici non impeditis recitari Officium s. Iacobi Apostoli unici, et singularis Hispaniarum Patroni. Quaesitum fuit pro parte P. Fr. Petri a Iesu Maria Proc. Generalis Carmelitarum Excalceatorum a S. Rit. C. declarari:

Primo: An praedictum Officium recitari debeat de praecepto, an potius ad libitum ?

Secundo: An commemoratio praefati Sancti, quando iuxta regulas Breviarii Romani aliae fiunt commemorationes, fieri debeat de praecepto, an ad libitum?

Et eadem S. C. tam ad primum, quam ad secundum respondit: *Ad libitum.* Die 17 iunii 1679. *Hispaniarum.*

340. Officium votivum alicuius Sancti, quod singulis mensibus recitatur, omittendum est iis in mensibus, in quibus recitatur de eodem Sancto ritu duplici. S. Rit. C. die 5 octobr. 1697. *In Tarentina.*

341. An quando recitatur Officium semiduplex sanctae Clarae quolibet mense, in secundo, et tertio nocturnis recitari possint lectiones ex octavario Romano de communi Virginum desumptae, et in fine aliquorum recentiorum Breviariorum dispositae, vel potius illae, quae habentur in dictae Sanctae nativitate die 12 augusti, et in eiusdem translatione die 3 octobris ?

Resp. *Recitari debere lectiones de Nativitate eiusdem, quae habentur die* 12 *augusti.* S. Rit. C. die 13 iunii 1682. *Ord. Minor.* ad 8.

342. Quando fit Officium votivum s. Francisci semel in mense, pro utentibus Breviario Ord. Capucinor. lectiones primi nocturni, si non adsint de Scriptura, sumendae non sunt ut in die Natali eiusdem 4 octobr. sed in Festo Translationis 25 maii, quae incipiunt *Ecce qui in vita sua*, prout innuit Rubrica posita in Breviario eiusdem Ordinis sub die 4 octobris, dicendo: tale Officium sumi debere ut in Festo Translationis praeter Orationem, Lectiones secundi, et tertii nocturni etc.

343. Cum Frater Antonius Tronus Ordinis Minimorum s. Francisci de Paula petierit a S. Rit. C. declarari:

An Provinciae Lombardiae eius Religionis, ex vi decreti facti Parmae in Capitulo, ut ipsi vocant, Definitorio de anno 1673, liceat recitare in quacumque feria quinta Officium SS. Sacramenti, et in qualibet die sabbati Officium Conceptionis B. M. V. et an, qui ea recitant, satisfaciant praecepto recitandi illis diebus Officium divinum?

S. C. respondit: *Quod neque ex Decretis alicuius Capituli Definitorii, vel Provincialis, vel Generalis, neque ex praetensa participatione privilegiorum aliarum Religionum liceat Provinciae Lombardiae, vel cuicumque Religioni, aut Regulari recitare Officia praedicta SS. Sacramenti in quacumque feria* 5., *et Conceptionis Beatissimae Virginis in sabbatis, vel huiusmodi, absque expresso, et speciali Sedis Apostolicae indulto: et qui absque eo ausi fuerint recitare, S. C. declarat, quod non satisfaciant praecepto de recitando Officio Divino.* S. Rit. C. die 19 ianuar. 1692. *Ordinis Minimorum.*

344. Cum a S. M. Benedicto XIII concessum fuerit universo Dominio Regis Sardiniae indultum recitandi Officium SS. Sindonis in qualibet feria sexta a festo duplici, vel semiduplici non impedita, et specialiter in Quadragesima: Ad tollendas dissentiones, quae singulis annis in huiusmodi recitatione oriri solet, Ioannes Baptista de Comitibus Caeremoniarum Magister Civitatis Fossanensis S. Rit. C. humillime supplicavit, quatenus benigne declarare dignaretur, an dictum Officium recitari debeat solum in Quadragesima, vel indistincte in aliis feriis Adventus, vigiliarum, et quatuor Temporum?

Et S. eadem C. audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Gotti rescribendum censuit: *Suffragari indultum pro sextis feriis Quadragesimae tantum.* Et ita declaravit, die 8 iulii 1741. *Fossanensi.*

345. Cum non obstante generali Decreto, quo sub die 7 iulii 1753, a S. Rit. C. mandatum fuit: *Quod in posterum preces recitandi Officia votiva semel in hebdomada, vel semel in mense amplius non recipiantur:* frequentes petitiones fiant pro facultate recitandi huiusmodi Officia votiva, nec petentes tam facile acquiescant, rati, quod praefata generalis dispositio ob diuturnum temporis lapsum in desuetudinem abierit, ideo Emi, et Rmi DD. Card. eidem Sacrae Congregationi praepositi *memoratum generale Decretum ad omnimodam observantiam revocari, eiusdemque exemplar, ut cunctis pateat, ad Secretariae parietes affixum perpetuo retineri iusserunt,* die 11 maii 1816, *Decretum generale.*

346. Supplicatum fuit apud S. Rit. C. pro declaratione: An in Regno, Dioecesibus, et Locis, in quibus S. Rit. C. concessit, quod in eis recitetur Officium alicuius Sancti ad libitum sub ritu duplici, possit dictum Officium recitari in Dominica, quando incidit in ea, attento quod Officium Sancti sub ritu duplici, recitatur in Dominica?

Quaesitum fuit etiam: An Officium Sancti sub ritu duplici ad libitum incidens in Dominicis privilegiatis, in festa mobilia, et in eorum octavas, possit eo anno transferri, attento quod celebratur sub ritu duplici?

Et eadem S. C. respondit ad 1. *Officia ad libitum duplicia, si quae ab eadem S. C. concessa sub hoc ritu fuerunt, recitari posse in Dominicis non privilegiatis, quando in ipsis occurrunt, nec obstare decretum die* 2 *decembr.* 1673 *emanatum. Ad* 2. *Negative, et obstare praedictum decretum.* Hac die 7 maii 1678. *Avenionen.*

347. Cum ab hac S. Rit. C. alias declaratum sit, quod quando festa ad libitum occurrunt in Dominicis diebus, vel in festis mobilibus, non esse transferenda, sed pro illo anno omittenda, ideo in praesenti quaeritur:

An quando dicta festa ad libitum occurrunt eodem die cum aliis festis de praecepto, puta in die octava, vel cum festo alicuius Religionis, vel Dioecesis, si debent dicta festa ad libitum omitti semper, vel debent transferri in primam diem non impeditam: et si hoc debet intelligi tam de festis duplicibus ad libitum, quam de semiduplicibus?

Et eadem S. C. respondit: *Festa ad libitum esse omittenda, et non transferenda, et hoc intelligi debet tam de festis duplicibus ad libitum, quam de semiduplicibus.* Et ita declaravit die 24 ianuar. 1692. *Granaten.*

348. Festis Sanctorum ad libitum perpetuo impeditis S. Rit. C. permisit Ordinario, ut semel, et pro semper assignare possit diem non impeditam extra Dominicam, et octavam, non immutata tamen lege Sanctorum ad libitum. Die 7 maii 1746. *Varsav.*

Decretum Generale — De non transferendis Officiis Sanctorum ad libitum

349. Cum alias S. Rit. C. decreverit, Officia Sanctorum ad libitum non esse transferenda, quando dies eorum festivitatum sunt impediti die Dominico, aut aliquo alio die festorum mobilium, quaesitum fuit declarari, quae regula servanda sit, quando occurrunt eodem die cum Officiis Sanctorum Calendarii proprii, vel translatis, vel demum semel per hebdomadam, vel per mensem recitari concessis?

Et S. eadem C. respondit: *Praedicta Officia Sanctorum ad libitum etiam duplicia occurrentia in diebus Dominicis, Octavis, et Natalitiis Sanctorum alicuius Religionis, vel Dioecesis ex vi Calendarii proprii a Sede Apostolica approbati, quamvis sub ritu semiduplici de praecepto celebrandis, non esse transferenda, sed omitti debere. Si autem occurrant eodem die, in quo alias aliquod festum translatum poni deberet, tunc liberum fore declaravit, eadem Officia ad libitum recitare, et Officium translatum ulterius ad aliam diem non impeditam transferre, prout etiam, omisso Officio, quod semel per hebdomadam, aut per mensem ex Apostolico Indulto recitari concessum est, Officium ad libitum eadem die occurrens recitari posse decrevit.*

Et ita ab omnibus, qui ad Horas Canonicas tenentur servari mandavit. Hac die 24 ianuarii 1682.

350. Quando festum Annuntiationis incidit in Dominicam 2. 3. 4. aut 5. Quadragesimae non fit de Annuntiatione, nisi in Ecclesiis dedicatis Annuntiationi. Eadem est ratio de festo Purificationis incidente in Dominicam Septuagesimae.

S. Rit. C. audita relatione facta ab Illmo, et Rmo D. Card. Bellarmino, praedictam relationem approbavit, die 1 septembr. 1612. *Ulysbonen.*

351. *Quando festum Annuntiationis B. M. V. transfertur simul cum praecepto audiendi Sacrum ad feriam secundam post Dominicam in Albis, praefertur cuicumque duplici etiam primae classis, eo die occurrenti. Si vero transfertur absque praecepto audiendi Sacrum, praefertur cuicumque festo translato licet primae classis, non autem festis eo die occurrentibus*. S. Rit. C. 2 sept. 1741. *In Aquensi*, ad 1.

352. An, quando festum Annuntiationis B. M. V. iuxta decreta transfertur in feriam secundam post Dominicam in Albis tamquam in diem propriam, celebrari debeat cum octava in illis Ecclesiis, ubi Annuntiatio est Titularis, si transferatur tantum quoad Chorum? An vero celebrari debeat cum praedicta octava solum quando transfertur simul quoad Chorum, et Forum?

Resp. *Negative ad primam partem, excepto casu, quod translatio fiat infra octavam. Affirmative ad secundam.* S. Rit. C. 14 maii 1803. *Ordinis Carmelit. Excalceat.* ad 1.

Decretum Generale

353. *Primo:* Decretum editum die 2 sept. 1741 in Aquensi in responsione ad dubium 1. videlicet: *Quando festum Annuntiationis transfertur simul cum praecepto audiendi Sacrum ad fer. 2. post Dominicam in Albis, praefertur cui-*

cumque duplici etiam primae classis eo die occurrenti, intelligendum esse de quocumque festo in ea die occurrente, etiamsi sit Patroni principalis, vel Titularis, vel Dedicationis, quod cedere debet festo Annuntiationis translato quoad Chorum simul, et forum, hoc est cum praecepto audiendi Sacrum.

Secundo: Festum primae classis, quod eo die occurrat, vel sit de Patrono principali, vel de Titulari, vel de dedicatione Ecclesiae, transferendum esse iuxta modum a Rubrica praescriptum, nisi ab Apostolica Sede tributum fuerit, ut in feriam tertiam, vel in aliam certam diem assignatam reponatur.

Tertio: Octavam vero Annuntiationis in iis tantum Ecclesiis, et Locis, quibus indultum est de ea fieri etiam in Quadragesima, vel in quibus huiusmodi festum Tituli, vel principis Patronatus honore gaudet, iuxta diversas occurentias peragendam esse, quando idem festum in feriam secundam post Dominicam in Albis transfertur, ut sequitur. Si nimirum Translatio fiat cum praecepto audiendi Sacrum, integra octava illud gaudere, ac si feria illa secunda esset dies propria: Si vero quoad Chorum tantum solius scilicet Officii translatio sit, nihil agendum de octava, nisi forte translatio occurrat infra octavam: tunc quippe de ea fieri Officium poterit iis tantum diebus, qui de octava supersunt iuxta generales Rubricas, prout decretum fuit die 14 maii 1803 in una Carmelit. Excalceat. Congr. Lusitaniae in Resp. ad 1.

Quarto: Si fiat integra octava, dum festum transfertur quoad Chorum, et Forum, vel dimidiata, iis nimirum diebus dumtaxat, quae ex ea supersunt, dum illud intra Paschatis octavam occurrit, lectiones primi nocturni esse debere de Scriptura occurrente: lectiones secundi nocturni petendas esse ex Octavario Romano pro alio quolibet festo B. M. V. lectiones demum pro tertio nocturno de Homilia in Evangelium *Missus est* haberi in festo s. Gabrielis Archangeli, vel Expectationis Partus, vel Translationis Almae Domus Lauretanae: quin imo repeti etiam libere posse tam in secundo, quam in tertio nocturno lectiones pro die festo assignatas. Et ita, etc. Die 22 martii 1817.

Et facta per me infrascriptum Secretarium relatione SS. D. N., Sanctitas Sua praefatum Decretum S. Rit. C. approbavit, confirmavit, iussitque praelo tradi, ac publici iuris fieri. Die 25 martii 1817. Iul. M. Card. de Somalia S. Rit. C. Praefectus.

354. Emis, et Rmis PP. S. Rit. C. praepositis resolvenda proposita fuerunt sequentia dubia, nimirum:

Primo: Occurrente Festo Sacratissimi Cordis Iesu, ubi gaudet ritu primae classis, et octava, cum Festo Nativitatis s. Io-

annis Baptistae, aut ss. Apostolorum Petri, et Pauli, quaeritur, de quo sit faciendum, et quod transferendum?

Resp. *Primaria Festa Nativitatis s. Ioannis Baptistae, et ss. Apostolorum Petri, et Pauli in casu esse facienda, et Officium SS. Cordis Iesu, utpote de Festo Domini secundario, esse transferendum.*

Secundo: Quae regula servanda sit in praelatione, et translatione, si cum Festo Sacri Cordis Iesu ritus duplicis primae classis concurrant alia Festa aequalis ritus, puta Dedicationis Ecclesiae, Patroni, Titularis etc.?

Resp. *Primaria tantum Festa Civitatum, et Dioecesum, nempe Dedicationis Ecclesiae, Patroni, vel Titularis esse in casu praeferenda, et Festum SS. Cordis Iesu transferendum.*

Tertio: Quod si declaretur, faciendum esse Officium Nativitatis s. Ioannis Baptistae, ss. Apostolorum Petri, et Pauli, Dedicationis Ecclesiae propriae, Patroni, vel Titularis Ecclesiae, quaeritur, quomodo, et in quam diem reponendum sit Officium SS. Cordis Iesu?

Resp. *Festum SS. Cordis Iesu transferendum esse in primam diem non impeditam iuxta Rubricas.*

Quarto: Quae regula servanda sit, ubi Festum SS. Cordis Iesu gaudet privilegio exclusivo quoad omnia alia Festa solemniora aequalis ritus sine ulla expressa limitatione?

Resp. *Festa quaecumque solemniora, quae occurrant cum Festo Sacri Cordis Iesu, transferenda esse in Locis, in quibus Officium Sacri Cordis Iesu singularissimo privilegio gaudet exclusivo quoad omnia alia Festa solemniora aequalis ritus sine ulla expressa limitatione.*

Quinto: Et quatenus declaretur hoc in casu, praecedentiam dandam esse Officio SS. Cordis Iesu, quaeritur, in quam diem reponendum sit Festum Nativitatis s. Ioannis Baptistae, vel ss. Apostolorum Petri, et Pauli?

Resp. *In casu, de quo in praecedenti, Festa Nativitatis s. Ioannis Baptistae, vel ss. Apostolorum Petri, et Pauli esse celebranda die immediate sequenti, translata commemoratione s. Pauli iuxta Rubricam eius Officio praemissam in primam diem infra octavam Dominica, vel Festo non impeditam, facto verbo cum Sanctissimo.* Atque ita respondit eadem S. Rit. C., exquisita prius sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem Emi, et Rmi Card. Galleffi Ponentis. Die 31 martii 1821.

Facta autem de praemissis omnibus per me infrascriptum Secretarium SS. Domino Nostro Pio VII Pont. Max. relatio-

ne, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis responsa in omnibus approbavit, et confirmavit, et decretum in Actis eiusdem Congregationis referri mandavit. Die 3 aprilis 1821. *Orbis.*

355. *Ubi dedicatio Basilicarum Lateranensis, Vaticanae, et s. Pauli in via Ostiensi fit sub ritu duplici min., in concursu cum Festis eiusdem ritus Vesperas esse dimidiandas;* Resp. S. Rit. C. 12 apr. 1823. *In Panormitana*, ad 4.

356. Presbyteri Congregationis Oratorii s. Philippi Nerii Cortonae exposuerunt, quod cum Festum dedicationis eorum Ecclesiae iam affixum Dominicae quintae post Pentecostem concurrat hoc anno 1744 cum primis vesperis ss. Apostolorum Petri, et Pauli. Propterea S. Rit. C. humillime supplicarunt pro declaratione, quod ex hisce duobus Festis sit praeferendum?

Et S. eadem C., audito voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit: *Faciendum esse de digniori, cum commemoratione minus digni: scilicet totum de Dedicatione, cum commemoratione ss. Apostolorum, quodque servandum est in praelatione Octavarum iuxta Rubricas generales, etiam occurrente in Dominica 5. post Pentecostem.* Et ita declaravit, die 16 maii 1744. *Cortonensis* [1].

357. An concurrente die octava Dedicationis Ecclesiae, ss. Angelorum, s. Ioannis Baptistae, s. Ioseph, et ss. Apostolorum cum alio duplici minori eiusdem ritus, sed inferioris dignitatis, Vesperae sint dimidiandae, vel integrae persolvendae de die octava Dedicationis Ecclesiae, de ss. Angelis, de s. Ioanne Baptista, de s. Iosepho, et ss. Apostolis?

Resp. *Vesperas esse dimidiandas.* S. Rit. C. die 12 apr. 1823. *In Panormitana.*

358. Num festum Patrocinii s. Ioseph in occursu, et concursu cum festis Apostolorum, et Evangelistarum praeferentiam obtineat? Et quatenus negative, supplicatur pro gratia, ut praeferatur festum Patrocinii festis Apostolorum, et Evangelistarum, attenta dignitate personae s. Ioseph supra Apostolos?

Resp. *Negative de festo secundario.* S. Rit. C. die 16 februarii 1781. *Ord. Carmelitar. Excalceat.* ad 17 et 18. (ast attende ad sequens decretum)

359. An festis secundariis ss. Angelorum, s. Ioannis Baptistae, s. Ioseph, et ss. Apostolorum concurrentibus cum Sanctis eiusdem ritus, sed inferioris dignitatis, vesperae sint dimidiandae, vel integrae persolvendae de ss. Angelis, de s. Ioanne Baptista, de s. Ioseph, et de ss. Apostolis?

[1]) Vide adnotationem sub num. 333. (P. M.)

Resp. *Si festa sint ritus dup. mai. servetur tabella concurrentiae ad num.* 6. *si sint ritus dup. min. servetur eadem tabella num.* 5. S. Rit. C. 12 april. 1823. *In Panormitana*, ad 6. (seu in primo casu vesperae erunt de digniori cum commemoratione de minus digno: in secundo casu vesperae erunt dimidiandae, seu a capitulo.)

360. S. Rit. C. ad preces Fr. Bonaventurae Caballi Commissarii Generalis Ord. Minor. Observ., et Reformat. s. Francisci declaravit: *Nullam adesse disparitatem inter translationem festorum Apostolorum, et illam Evangelistarum, sed occasione dictae translationis esse faciendum Officium, quod prius celebrandum in Calendario proponitur.* Hac die 18 septembr. 1666. *Romana.*

361. An de octava cadente in diem 17 decembris, qui est dies privilegiatus ad instar Quadragesimae, fieri debeat Officium an vero cessare hoc casu diem octavae?

Et S. C. respondit: *Cessare debere diem octavae.* Die 17 septembr. 1639. *Toletana.*

362. Supplicatum fuit in S. Rit. C. pro declaratione infrascripti dubii: Utrum si in Choro vel privatim omissum est per oblivionem, aut inadvertentiam fieri Officium duplex, vel semiduplex alicuius sancti eodem die, quo debebat secundum Rubricas, debeat illud fieri in aliquo alio die vel eiusdem mensis, vel alterius sequentis, non impedito Officio novem lectionum?

Et S. Rit. C. referente Emo Card. Bona respondit: *Negative.* Hac die 17 iunii 1673. *Dubium.*

363. An Officia ritu duplici fieri posse concessa, intelligenda veniant sub ritu duplicis maioris iuxta doctrinam Gavanti, vel tantum duplicis per annum?

Resp. *Quando non explicatur qualitas ritus, an sit duplicis maioris, vel minoris, decreta intelligenda esse de duplici minori per annum.* S. Rit. C. die 20 novembr. 1683. *In Lauden.* ad 3.

364. An debeant moveri ex suis locis propriis assignatis in Calendario Ordinis Officia illa, quibus assignati sunt dies proprii, et iuxta antiquitatem assignandae sunt aliae dies: seu potius relicto Calendario Ordinis, assignari debeant post illos aliae dies Officiis perpetuo translatis iuxta Calendarium particulare Provinciae?

Resp. *Negative quoad primam partem, Affirmative quoad secundam.* S. Rit. C. 27 martii 1773. *Ord. Carmelitar. Excalceat.* ad 1.

365. Cum Editor Calendarii Dioecesis Parmensis supplex

fuerit ad S. Rit. C., ut infrascriptum dubium declarare dignaretur, scilicet: An Dominica infra octavam Solemnitatis Corporis Christi in iis locis, in quibus dicta octava respuit omnia festa praeter illa primae classis, gaudeat privilegio octavae excludendi scilicet nonam lectionem de festo simplici in ea occurrente?

S. eadem C. exquisita sententia unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, referente Emo, et Rmo D. Card. De Somalia Urbis Vicario, S. Rit. C. Praefecto, rescripsit *Affirmative*. Die 16 septembr. 1801. *Parmensis*.

366. Matutinum Defunctorum pro generali eorum commemoratione, in Choro iuxta Rubricas adimplendum est mane die secunda novembris, nisi, ut populus commodius, et frequentius illi interesse possit, contraria iam faceret consuetudo. Privata tamen eiusdem Officii recitatio absolvi licite potest post vespertinas horas festi omnium Sanctorum. Episcopo praesente recitari potest etiam pridie post Completorium omnium Sanctorum. S. Rit. C. 5 iulii 1698. *In Collensi*. Et 4 septembr. 1745. *In Ratisbonensi*.

367. Quando Officium de tempore habet nonum Responsorium, tunc poni non potest nona lectio de Sancto. *Ita Rubrica Breviarii*.

368. Non fit ad Matutinum commemoratio vigiliae in Adventu, in Quadragesima, et Quatuor Temporibus, bene vero in Missa; et in Adventu cum eius Evangelio in fine, dummodo non occurrat in quatuor temporibus. *Rubrica Breviarii*.

369. Feriae adventus non impediunt nonam legi lectionem de simplici, quoties in eis de Officiis Sanctorum fieri contigerit. S. Rit. C. 16 februarii 1737. *In Mechlinien*.

370. An si infra octavam alicuius festi, quod habet conclusionem hymnorum propriam, occurrat festum classicum, quod excludat commemorationem octavae, continuanda nihilominus sit praedicta propria hymnorum conclusio?

Resp. *Affirmative*. S. Rit. C. 29 nov. 1755. *Varmien*. ad 2.

371. In Commemorationibus communibus, sive Suffragiis Sanctorum, dum fit de aliquo Sancto principali, cuius antiphonae habeant in fine Alleluia, utrum debeant recitari cum Alleluia in dictis Commemorationibus?

Resp. *Affirmative etiam in suffragiis, seu commemorationibus per annum, quoties huiusmodi Antiphonae contineant verba, quae exprimant gaudium, victoriam, et similia, alias negative*. Et ita declaravit S. Rit. C. 29 nov. 1738. *Carthagenen*.

372. In Metropolitana Ecclesia Salernitana recitantur divina officia nonnullorum sanctorum particularium qui in Bre-

viario Romano descripti non sunt. Quaeritur an Clerici qui sunt de gremio vel adscripti servitio dictae Ecclesiae, qui alias non tenentur recitare officium in Choro sed tantum private ratione sacrorum ordinum vel beneficiorum, teneantur private recitare officia dictorum Sanctorum? Resp. *Non teneri*. S. Rit. C. die 30 augusti 1602. *In Salernitana*, ad 1.

373. Qui sunt de gremio alicuius Ecclesiae debent recitare Officium prout recitatur in Choro, licet morentur alibi. S. Rit. C. 30 augusti 1602. *In Salernitana*. Unde (apud Regulares) PP. Concionatores in Quadragesima, et PP. Missionarii Exercitationum Spiritualium tempore recitare debent Officium prout notatur in Calendario Conventus eorum residentiae. Ad Officium pariter Conventus eorum residentiae tenentur qui ex qualibet alia causa a proprio Conventu absunt. In quolibet vero casu, si Chorum, ubi ad tempus degunt, adeant, eidem se poterunt conformare, etiamsi vesperas tantum de alio Sancto recitarent, quas propterea iuxta proprium Calendarium minime repetere tenerentur. Cavalieri, tom. 2. cap. 43. Imo etiamsi Chorum non adeant, ut patet per sequentem Decretum:

An Regularis transiens ab uno ad alium Conventum, parte anni iam transacta, sive ad tempus, sive perpetuo ibi moraturus, durante ipso anno debeat in recitatione privata Officii Divini extra Chorum se conformare Calendario Conventus, a quo discessit; an potius illius, in quo actualiter habitat, si propter festa Dioecesana differant multoties Calendaria tam in festis occurrentibus, quam in translatis?

Resp. *Regulares in privata Officii recitatione extra Chorum se conformantes Calendariis Conventuum, in quibus actualiter morantur, satisfaciunt oneri recitationis Horarum Canonicarum*. S. Rit. C. 14 maii 1803. *Ord. Carmelitar. Excalceat.* ad 7.

374. An Clerici tertiarii saeculares professi tertii Ordinis s. Francisci de Poenitentia recitare possint horas canonicas iuxta Breviarium in Urbe impressum de anno 1703, ad usum Fratrum trium ordinum s. Francisci de Poenitentia Professorum claustralium, omisso Calendario Romano? S. Rit. C. respondit *Negative nisi non habeant indultum extensionis privilegiorum*. Die 27 august. 1707. *In Bracharen.* ad 5. *In Alerien.* 1 septembr. 1708.

375. An clerici Saeculares Choro non addicti possint recitare de Sanctis Ordinis Carmelitani, si sint eiusdem Ordinis Tertiarii?

Resp. *Affirmative*. S. Rit. C. 4 sept. 1745. *Pernabucen.* ad 6.

376. Inferes idem iudicium habendum esse de Tertiariis quarumcumque Religionum relate ad Breviarium, et Calendarium sui respective Ordinis, omnes enim mutuo communicant in privilegiis. *Cavalieri ut infra* [1]).

377. An autem hoc privilegium extendi queat ad Clericos Saeculares, qui non sunt Tertiarii, sed Regularium continui commensales, nonnullis fortasse videbitur, ex quo Sacramenta a suis Regularibus percipere queant, at in hanc partem nos inclinare non possumus, eo quod iidem reapse non sunt de Corpore Religionis. Limita tamen, si Chorum adeant. *Cavalieri* tom. 2. cap. 43. in Ord. 364.

Decretum generale

378. Cum anno proxime venturo occurrat festum s. Ioseph in feria 5. Maioris Hebdomadae, exortum fuit dubium, attenta universali consuetudine Ecclesiae, celebrandi ea die unam tantum Missam, an una cum Officio s. Iosephi transferri debeat anno praedicto etiam obligatio audiendi Missam, ac vacandi ab operibus servilibus. Dubioque huiusmodi in S. Rit. C. proposito, eadem Congregatio ad relationem Emi, et Rmi Card. Albani, re mature discussa, censuit: *Officium transferendum esse ad aliam diem iuxta Rubricas Breviarii Romani, et Decreta ipsius Congregationis: caeterum, praeceptum audiendi Missam, et vacandi ab operibus praedictis non esse transferendum, sed servandum esse praedicta feria 5. Maioris Hebdomadae, adeoque per Ordinarios Locorum accurate providendum, ut eo die aliquae quidem Missae privatae ante celebrationem solitae Missae Conventualis celebrandae pro praecepti implemento non desint : sed tamen propterea antiquus mos Communionis Cleri in Missa solemni eius diei, quo Ecclesia SS. Eucharistiae Sacramenti Institutionem, et memoriam recolit, summa religione hactenus retentus nullatenus omittatur.*

Et ita declaravit, ac decretum huiusmodi publicari, et imprimi mandavit. Die 13 septembr. 1692.

379. An si festum Patrocinii s. Ioseph extra tempus Paschale transferri contingat, deficientes Antiphonae Nocturnorum suppleri debeant de communi, vel potius, omissis assignatis pro tempore Paschali, debeant omnes assumi ex alio Festo 19 martii ?

Resp. *Negative ad primam partem, Affirmative ad secun-*

[1]) Varia quae a S. C. prodiere decreta pendent a diversitate privilegiorum cuique regulari familiae a Sede Apostolica tributorum. (P. M.)

dam. Et ita declaravit, et servari mandavit. S. Rit. C. die 11 septembr. 1790. *Barcinonen.* ad 4.

380. An Officium Sancti Patroni habentis antiphonas, lectiones, et orationes proprias, in quibus fit mentio de socio ut contigit 26 iunii cum sanctis Ioanne et Paulo, recitari omnino debeat ut iacet tam in festo Sancti electi in Patronum, quam in festo Socii perpetuo translati, vel desumendum sit a communi? Resp. *Exponantur casus particulares.* S. Rit. C. die 7 sept. 1816. *In Tuden.* ad 7.

381. Interrogata S. Rit. C.: Se la notizia di un nuovo Officio d' un Santo giungesse dopo la giornata propria assegnata, debba o no farsi in quell' anno?

S.eadem C. audito prius voto Apostolicarum Caeremoniarum Magistri respondit: *Affirmative, quatenus evenire posset Officii recitatio tempore congruo, nempe quod a die pro Officii recitatione a S. Rit. C. praescripto nondum labuerint dies feriati, seu vacantes vel a festo inferioris ritus impediti, in quibus iuxta Rubricarum regulas huiusmodi Officium recitari potuerit, et minime fuerit recitatum. Quod si secus, pro praesenti anno omittatur.* Et ita declaravit die 11 iulii 1739. *Tropiens.*

382. Officia Sanctorum recitari concessa sub hac formula, *recitari possint*, vel *recitari posse censuit*, non alio sensu sunt ad libitum,nisi quod liberum fuerit Episcopis, Superioribus Ordinum, aut Capitulis Generalibus ea acceptare, vel non, semel autem admissa a Superioribus evadunt de praecepto, nec possunt amplius ab ipsismet Superioribus, nec a capitulo Generali renuntiari. *Cavalieri*,cap. 23. decr. 3. cap. in Ord. 171.

383. In sabbato *Sitientes* in Responsorio brevi Completorii omittitur versic. *Gloria Patri*, quia Completorium magis habet de ratione Dominicae iam inchoatae in vesperis,quam de ratione Festi iam finiti (intellige si fiat in sabbato de semiduplici). In secundis vesperis non omittitur, quia inchoato festo per commemorationem semiduplicis, ea, quae sequuntur, festiva censentur. *Gavant.* sect. 6. cap. 12. num. 8. Et sic dicendum de 1. Vesperis Dominicae Palmarum [1]).

384. Ex parte Patris Fr. Erhardi Radkerspurgensis Procuratoris Generalis Ordinis Minorum s. Francisci Capucinorum S. Rit. C. humillime expositum fuit; in nonnullis sui Ordinis Provinciis ob multitudinem Officiorum Dioecesanorum pedetentim introductorum singulis quibusque annis plura Officia de

[1]) Vide num. 446. (P. M.)

praecepto, quae supersunt, ad ritum simplicem redigi necesse esset. Quare idem Orator eidem S. Rit. C. humillime supplicavit, ut a Patribus Ministris Provincialibus praefati universi Ordinis facultas sit committendi suis respectivis fratribus Calendaristis omissionem Festorum Dioecesanorum, quae praedicta Officia de praecepto impediunt, dummodo non sint de Patrono principali Loci, vel Dioecesis, nec non de Dedicatione Ecclesiae Cathedralis, pro degentibus in Civitate: item de iis, quae ad instantiam Principis concessa sunt, aut quae adnexum habent festum de praecepto quoad forum.

Et S. eadem C. ad relationem Emi,et Rmi D. Card. Boschi Ponentis rescripsit pro gratia iuxta petita, et detur decretum in Portugal. Ord. Minor. s. Francisci Reformat. Provinciae s. Mariae de Arabide 11 ianuarii 1755 prout sequitur, nempe:

Ord. Minor. s. Francisci Reformator. in Provincia s. Mariae de Arabide. An Patres praedictae Provinciae debeant, vel possint continuare recitationem Officiorum specialium Calendarii Dioecesis, vel ab illa totaliter abstinere?

S.eadem C. rescribendum censuit: *Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.*

Et ita declaravit, et servari mandavit die 27 martii 1773. *In una Ord. Minor. s. Francisci Capucinorum.*

385. An Regulares possint recedere a recitatione illorum Officiorum ad libitum, quae fuerunt ab ipsis acceptata, quando satisfacere nequeunt Officiis proprii Ordinis?

Resp. *Affirmative.* S. Rit. C. die 27 martii 1779. *Ord. Minor. Observ. Reformat. s. Francisci*, ad 19.

386. Cum ex declaratione S. Rit. C. Regulares praeter Officium Titularis Ecclesiae Cathedralis teneantur recitare de Patrono principali Loci, an sub ly *Loci* comprehendatur etiam Patronus principalis Regni, vel Provinciae, de quo concessum est ab Apostolica Sede, ut a Clero tam Saeculari, quam Regulari in dictis Locis recitetur?

Resp. *Comprehendi etiam dictos Patronos, si liquido constet de concessione Apostolica.* S. Rit. C. hac die 20 martii 1683. *Ord. Minor. de Observantia*, ad 7.

387. An possint, et debeant Regulares recitare Officia ad petitionem Regum, et Principum recitari concessa in aliquibus Regnis, Provinciis, ditionibus, etc.?

Resp. *Affirmative, ubi concessio extenditur etiam ad Regulares.* S. Rit. C. 20 martii 1683. *Ordin. Minor. de Observantia*, ad 2.

388. Disponente S. Rit. C. quod Regulares ad octavam Pa-

troni principalis non tenentur, an ly *non tenentur* excludat etiam libitum, ita ut Regulares non possint de dicta octava recitare, si velint?

Resp. *Non posse, nisi id specialiter ipsis indultum fuerit ex vi concessionis Apostolicae, vel Constitutionis Religionis ab Apostolica Sede approbatae.* S. Rit. C. Hac die 20 martii 1683. *Ord. Min. de Observ.* ad 8.

389. S. Rit. C. declaravit, *Regulares in ipsa Civitate degentes in posterum teneri ad celebrandum festum dedicationis Ecclesiae Cathedralis cum Officio duplici secundae classis, non tamen cum octava, si ita Sanctissimo visum fuerit*, die 1. aprilis 1662.

Et facta de praedictis Sanctissimo relatione, Sanctitas Sua annuit, die 8 eiusdem mensis, eodemque anno 1662. *Decr. super celebrat. dedicat. Eccl. Cathedr.*

390. Cum a S. Rit. C. concessum fuerit Ord. Minor. de Observ. ut recitare possit sub ritu duplici in suis respective diebus de Sanctis Apollonia, Margarita, Barbara, et Ursula cum sociis, quaeritur, an in earum Officiis recitari possint lectiones secundi nocturni propriae, quae circumferuntur in quibusdam modernis Breviariis, an vero sumendae de communi?

Resp. *Lectiones praedictas non esse approbatas, ideo non posse recitari, et sumendas esse de communi.* S. Rit. C. die 20 martii 1683. *Ord. Minor. de Observ.* ad 9.

391. Quaesitum fuit S. Rit. C. An Rubrica 36. Breviarii Romani de Antiphonis B. M. V. n. 3. in qua habetur, quod nunquam dicuntur post aliquam horam, quando subsequuntur cum Officio diei Officium Defunctorum, vel Septem Psalmi poenitentiales, aut Litaniae, habeat locum etiam quando a Patribus Capucinis post completas Laudes Matutini dicuntur Litaniae non pro fine Officii, sed specifice pro praeludio, et principio Orationis mentalis subsequentis?

Et S. C. respondit: *In casu proposito Rubricam praedictam 36. n. 8. non habere locum, et antiphonas finales dicendas esse ante Litanias, quae dicuntur pro principio Orationis mentalis.* Et ita declaravit die 9 iulii 1695. *Ord. Capucinor.*

392. Pro festo s. Mathiae Apostoli decisum fuit, quod in anno bissextili propria dies est 25 februarii, quae alias est 24, ita quod, si habeatur assignata dicta dies 25 pro aliquo Sancto, iste sit transferendus illo anno in proxime sequentem diem. Nunc quaeritur, an idem intelligi debeat de aliis Sanctis, seu Officiis occurrentibus in tribus sequentibus diebus februarii, quod videtur comprobari ex lectione Marty-

rologii, secus daretur, quod legeretur Martyrologium de Sancto, de quo iam factum fuisset Officium?

Resp. *Affirmative*. S. Rit. C. die 1 martii 1681. *Ord. Canonic. Regular. Lateranen.*

393. Psalmi Graduales sunt ne nunc de praecepto pro Choro? Sunt ne saltem de praecepto pro Canonicis non legitime dispensatis a Choro? Quid, si ex legitima dispensatione absint? Idem dicendum de Officio Defunctorum, Psalmis Poenitentialibus, et de Officio parvo B. M. Virginis.

Resp. Canonici extra Chorum Officium persolventes non tenentur ad Psalmos Graduales, ad Officium Defunctorum, etc., quae quidem Officia sunt onera tantummodo ex praecepto implenda in Choro. S. Rit. C. 2 septembr. 1741. *Aquensi.*

394. Psalmi Graduales, et Poenitentiales dicuntur licite, ubi est consuetudo eos dicendi, pridie vesperi feriae 4. et 6. post Completorium. S. Rit. C. 2 augusti 1603. *In Laudensi.*

395. In Officio de Communi Conf. Pontificis ad Vesperas in quarta antiphona *Sacerdotes Dei*, in Officio de Communi Virginum ad antiphonam *Veni electa mea*, et sic de aliis tempore Paschali, dicitur tantum unum *Alleluia*, ut praescribit Rubrica XXI Breviarii tit. *de Antiphonis*, num. 6. et notant rerum liturgicarum Magistri.

396. In Ecclesia Viterbiensi, et per totam Dioecesim die tertia novembris celebratur Officium sub ritu duplicis minoris Sanctorum Martyrum Valentini, et Hilarii, quorum Corpora in Ecclesia Cathedrali asservantur magna populi devotione, et concursu, cum proximum sit, quod eadem die tertia novembris concurrat commemoratio omnium Fidelium Defunctorum translata, occurrente Dominica die praecedenti secunda die novembris: quaeritur, an sit transferendum Officium praedictum Sanctorum Martyrum Valentini, et Hilarii, vel potius Commemoratio Defunctorum?

Et S.Rit.C. censuit, *transferendum esse Officium Sanctorum Martyrum, dummodo festum non sit de praecepto*. Et ita declaravit, et servari mandavit, die 5 oct. 1709. *Viterbien.*

397. An quando habentur tria Officia translata, unum classicum, alterum duplex maius, et tertium duplex minus, quodnam ex iis reponi debeat in die Commemorationis omnium Defunctorum; vel potius faciendum sit de die octava omnium Sanctorum?

Resp. *Nullum ex translatis esse admittendum*. S. Rit. C. die 27 martii 1779. *Ord. Minor. Observ. Reformat. s. Francisci*, ad 7. Idest non classicum, nec duplex maius, quia co-

pulari non possunt huiusmodi Officia cum commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, sed neque duplex minus, quia in repositione praecedere non debet iste Officia ritus superioris: et sic in casu faciendum esset de die infra octavam omnium Sanctorum.

398. Cum quandoque aliquod festum ritus dup. min. translatum reponi nequeat ante diem commemorationis omnium Fidelium Defunctorum: quaeritur, an eiusdem Officium reponi possit, et debeat in dicta die commemorationis omnium Fidelium Defunctorum?

Resp. *Iam alias decisum, quod de festo dup. min. vel occurrente, vel translato fieri possit in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, Missas tamen privatas dicendas de Requiem. In una Urbis* 5 *octobr.* 1686, *in Curiensi* 19 *iunii* 1700, *et in Einsielden.* 5 *maii* 1736. *Quae Decreta S. C. declarat locum dumtaxat obtinere, si pro repositione festi translati nullus supersit dies usque ad anni finem.* S. Rit. C. die 31 maii 1817. *Dubiorum*, ad 10.

Sed quid, si in repositione festi translati, quod primo occurrit, alia supersit dies, videlicet tertia, vel quinta novembris, et pro alio similiter translato nulla supersit usque ad anni finem, nisi reponendo praedictum translatum primo occurrens in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum?

Resp. Hunc casum in praedicta solutione expresse non contineri, bene equidem implicite: cumque pro utroque eadem militet ratio, communem etiam esse debere videtur solutionem, posse nempe in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum (salvo meliori iudicio) reponi Officium duplex minus primo occurrens, ne aliud festum similiter translatum honore Officii privetur usque ad anni finem.

399. Quando aliqua festa Sanctorum coniucta sunt, et necesse est unum separari, et celebrare sub ritu duplicis primae classis, utpote Titulare, vel Patronum alicuius Loci, haec sunt notanda. Si tales Sancti coniunctim sumpti sunt semidup. vel dup. min. aut mai., festa Sociorum celebranda erunt sub ritu semiduplici, prout in casu fit, v. g. cum s. Fabiano Papa m. Si vero coniunctim sumpti sunt duplices primae, vel secundae classis, tunc de Sociis celebrandum erit prout sunt descripti in Breviario, nempe sub ritu duplici primae, vel secundae classis. Si tandem festa Sociorum ritum dumtaxat simplicem habeant in Breviario, transferri non poterunt, sed de iisdem tali in casu nihil fiet. S. Rit. C. 12 febr. 1663. *In Mediolanensi.* Et 12 iulii 1664. *In Monopolitana.* Cavalieri tom. 1. cap. 5. in Ord. 62. et 64.

400. An in primis vesperis SS. Sacramenti, quae solemniter celebrantur, et tamen non expositum, sit genuflectendum in hymno, cum dicitur *Tantum ergo Sacramentum?*

Et S. Rit. C. respondit: *Ad consuetudinem Ecclesiae.* Hac die 4 augusti 1663. *Urbis.*

401. Pro parte Capituli, et Canonicorum Collegiatae s. Deodati Lorenae, Provinciae Trevirensis, Nullius Dioecesis, expositum est S. Rit. C. prout sequitur vulgari sermone:

Quando si fa l' Officio in Coro non si fa genuflessione alle parole seguenti, cioè al *Venite adoremus, et procidamus ante Deum:* al *Te ergo quaesumus tuis famulis subveni*, all' *Ave Maris Stella*, al *Veni Creator*, al *Tantum ergo Sacramentum*, al *O Crux ave*, ed altri simili?

Et eadem S.C. ad removendos abusus Caeremoniarum,et tollendas controversias, quae inter ipsos Canonicos quotidie oriuntur, utque omnia reducantur ad formam ritus s. Romanae Ecclesiae, declaravit: *Debere omnes genuflectere in recitando Officio in Choro in Verbis* Venite adoremus, et procidamus ante Deum, Te ergo quaesumus tuis famulis subveni, Ave Maris Stella, Veni Creator Spiritus, Tantum ergo Sacramentum, O Crux ave, *et aliis similibus.* Hac die 31 iulii 1665. *Nullius Dioecesis, et Provinciae Treviren.* ad 14.

402. Quaesitum fuit: An Episcopus, quando reperitur in aliquo Oppido suae Dioecesis in visitatione, seu alia de causa, possit licite recitare Officium Sanctorum, de quibus ex forma Rubricarum, seu ex concessione S. C., eo quod sint Patroni, seu Titulares in iisdem Oppidis recitatur, et sic praecepto de recitando Officio satisfaciat?

Et S. C. respondit: *Posse, et satisfacere.* Die 14 martii 1643. *Dubium.*

403. Quaesitum fuit a Monialibus Capucinis Urbis, an Officium octavae s. Clarae earum Institutricis, et Patronae praeferendum sit Officio octavae s. Laurentii,et Assumptionis B. M. V.?

Et S. Rit. C. respondit: *Quoad octavam s. Laurentii praeferendum esse, quoad vero octavam Assumptionis B. M. V. negative.* Die 5 augusti 1662. *Urbis.*

404. Commemoratio Sanctorum novem lectionum, qui in fine anni supersunt, sive sint ritus semiduplicis, sive duplicis etiam maioris diebus eorum propriis, (etiamsi occurant in festis primae, et secundae classis), facienda est ad instar diei octavae, et Dominicae tam in occurrentia, quam in concurrentia, habita ratione ad ritum, quo descripti sunt in propriis Calendariis, exceptis tantum ultimo triduo maioris hebdomadae, fe-

stis Paschae, et Pentecostes cum duobus sequentibus diebus.

Quoad ordinem vero, si die eorum propria aliae commemorationes occurrant, servetur, ut prius fiat commemoratio, de quo, secluso impedimento, die illa celebraretur Officium, aut vesperae integrae, aut Capitulum, aut dimidiae. Insuper, si feria quarta Paschae, aut Pentecostes de iis facienda sit commemoratio, tunc in feria tertia ad vesperas etiam fieri debet.

Quoad nonam lectionem compositam ex omnibus eorum lectionibus propriis secundi nocturni ad modum unius legenda est etiam in omnibus duplicibus primae classis, exceptis festis trium lectionum, festo Corporis Christi, et eius infra octavam, quando de ea fiat Officium, secus si fiat de aliquo Sancto, vel de Dominica (ubi non gaudeat huiusmodi octava aliquo speciali privilegio). Item omittuntur quoties legenda occurrat nona lectio de Homilia super Evangelium [1]). In Dominica Palmarum, et Vigilia Pentecostes, licet facta sit de praedictis Sanctis commemoratio in Officio, nullo modo facienda est in Missa.

Tandem per talem commemorationem omittenda non est tertia Oratio in Missa , si adhuc sit locus, et Rubricae Missalis eam postulent; nec in casu omittendae sunt preces in Officio, nec suffragia Sanctorum, etiamsi commemoratio Sancti, de quo est sermo, sit ritus duplicis. S. Rit. C. 28 martii 1775, *Urbis, seu Ord. Minor. Observ. s. Francisci*, ad 1. 2. et 3. Et 12 aprilis 1823. *In Panormitana. Insuper P. Cavalieri*, tom. 1. cap. 6. decr. 5. in Ord. 73.

405. Festa, quae in Ecclesia universali celebrantur simplicia, si in aliquo Ordine, vel Ecclesia celebrantur ritu duplici, censentur particularia (ut apud Minores festa ss. Virginum, et Martyrum Apolloniae, Margaritae, Barbarae, et Ursulae cum sociis) ideoque in occurrentia alterius Sancti eiusdem ritus, et dignitatis praeferenda sunt. *P. Cavalieri*, tom. 1. cap. 9. decr. 13. in Ord. 93.

406. An, occurrente commemoratione octavae omnium Sanctorum, et B. M. V., debeat poni prius de B. V. vel posterius ?

Resp. *In aequalitate ritus praecedere debere commemorationem B. M. V.: quod si huius festum, quamvis gaudeat octava, sit tamen secundae classis, praeferendam esse commemorationem omnium Sanctorum, cuius festum est primae classis*. S. Rit. C. die 11 martii 1820. *Mazarien*. ad 5.

407. Quaestio inter Canonicos Ecclesiae Cathedralis Alexan-

[1]) Iuxta Rubricas generales Breviarii Romani tit. XXVI excipe Dominicas, in quibus legitur IX Responsorium. (P. M.)

drinae in Subalpinis exorta semel atque iterum est, an ad Psalmorum Poenitentialium, Gradualium, Officii Defunctorum, et B. M. V. recitationem statutis a Rubrica temporibus, ac diebus teneantur. Totius rationis ratio quum in eo sita sit, ut Apostolicis litteris diei 1 iunii 1803 Alexandriae Capitulum suppressum, extinctumque fuerit, et in Collegiatam erectum: aliisque similibus litteris diei 2 augusti 1817 iterum in Capitulum erectum per illam suppressionem omnem consuetudinem abrogatam esse contendant, dum nonnulli illam resumendam esse affirment.

Ad quaestionem omnem dirimendam infrascriptum dubium S. Rit. C. enodandum proposuere Dignitates, et Canonici Cathedralis Alexandrinae, nimirum:

An, attentis circumstantiis, de quibus supra, abrogata censenda sit consuetudo recitandi Officium B. M. V., Defunctorum, Psalmos Graduales, et Poenitentiales in Ecclesia Cathedrali Alexandrina, atque ideo, num Canonici ab iis recitandis soluti sint, eaque propterea Officia persolvere deinceps possint ex sola devotione?

Et S. eadem C., re mature, diligenterque discussa, perpensisque rationum momentis ab utraque parte allatis, ad relationem Emi Card. Placidi Zurla Ponentis respondendum censuit: *iuxta votum:* nimirum: *Attenta vigente olim consuetudine teneri Canonicos Officia, et Psalmos ut in dubio recitare, et servanda esse huius S. C. Decreta.* Et ita decrevit, et servari mandavit, die 22 septembris 1827. *Alexandrina.*

408. An Commemorationes omnium Apostolorum die 29 iunii, et omnium Sanctorum Martyrum in Officio, et Missa illae sint, quae olim praescriptae fuerunt pro Statu Romano occasione reductionis festorum, cum in communibus Apostolorum, et Martyrum non adsint commemorationes omnium Apostolorum, et Martyrum?

Resp. *Affirmative* S.Rit.C. 18 oct. 1818. *In Neap.* ad 10. et 11.

Pro Commemoratione omnium Apostolorum

In primis Vesp. Ant. In hoc cognoscent omnes quia Discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. — *Vers.* Nimis honorati sunt amici tui, Deus. *Resp.* Nimis confortatus est principatus eorum. — *Oratio.* Exaudi nos, Deus salutaris noster, et omnium Sanctorum Apostolorum tuorum tuere praesidiis, quorum donasti fideles esse doctrinis. Qui vivis, etc.— *Ad Laudes Antiphona.* Vos, qui secuti estis me, sedebitis super sedes, iudicantes duodecim Tribus Israel. — *Vers.* In omnem terram exivit sonus eorum. *Resp.* Et in fines orbis terrae verba eorum. *Oratio ut supra.* — *In 2. vesp. Antipho-*

na. Vos amici mei estis, si feceritis quae ego praecipio vobis, dicit Dominus. — *Vers*. Gloriosus in Sanctis suis faciens mirabilia. *Resp*. Hic Deus meus, et glorificabo eum. *Oratio*. Exaudi *ut supra*.

Pro Commemoratione omnium Sancto rum Martyrum

In primis Vesperis: Antiphona. Isti sunt Sancti, quos elegit Dominus in charitate non ficta, et dedit illis gloriam sempiternam.— *Vers*. Iusti epulentur, et exultent in conspectu Dei. *Resp*. Et delectentur in laetitia. — *Oratio*. Deus, qui glorificaris in concilio Sanctorum Martyrum tuorum, respice ad preces humilitatis nostrae, ut quorum solemnia celebramus, eorum precibus adiuvari mereamur. Per Dominum, etc. — *Ad Laudes*, *Antiphona*. Sancti tui, Domine, semper benedicant te, et gloriam Regni tui dicant.—*Vers*. Mirabilis Deus in Sanctis suis. *Resp*. In Sanctis eius laudate Deum. —*Oratio*. Deus, qui glorificaris, *ut supra*.—*In* 2. *vesp*. *Antiphona*. Dico autem vobis, amici mei, ne terreamini ab iis, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.— *Vers*. Iusti autem in perpetuum vivent. *Resp*. Et apud Dominum est merces eorum.—*Oratio*. Deus, qui glorificaris *ut supra*.

409. Abbatissa Monasterii s. Petri Civitatis Remensis Ordinis s. Benedicti humillime S. Rit. C. exposuit dubium resolvendum circa modum recitandi Officium Inventionis SS. Crucis, quando, occurrente aliquo festo non translato novem lectionum, non potest celebrari, nisi post Pentecosten.

S. eadem. C. ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Tamburini eiusdem S. C. Praefecti respondit : *In officio omittitur* Alleluia, *nisi ubi reperitur in festo Exaltationis*. — *In Hymno* Vexilla *dicitur:* In hac triumphi gloria.— *In Matutino Antiphonae ut in festo Exaltationis*, *excepta prima primi*, *et prima pariter secundi nocturni*,*quae dicuntur ut in festo Inventionis*.—*In secundis Vesperis Antiphona ad Magnificat*, Crucem sanctam.—*In Missa Introitus*, *et Communio sine* Alleluia , *et Graduale ut in Missa Exaltationis*. —Et ita, etc., die 16 februarii 1754. *Remen*.

410. Prior Collegiatae s. Alexandri Civitatis Lucanae narrans, diem consecrationis Ecclesiae concurrere cum festo s. Alexandri Titularis, nec posse commode utrumque festum, ut par est,celebrari,supplicavit pro licentia transferendi diem Consecrationis post octavam s. Alexandri.

Et S. Rit. C. respondit: *Festum Consecrationis prius agendum ut dignius* , *festum vero Titularis transferendum in diem proxime sequentem*. Die 15 decembr. 1632. *Lucana*.

411. S. Rit. C. ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Columna instantibus Caeremoniarum Magistris Basilicae Principis Apostolorum, declaravit, et decrevit: *Occurrente festo Purificationis B. M. V. in Dominica Septuagesimae, vel similibus aliis privilegiatis, ita ut illius Officium ex hoc contingat transferri, non esse ob id protrahendam recitationem Antiphonae* Alma Redemptoris, *sed die secunda februarii post Completorium, illa dimissa, iuxta dispositionem Rubricae, et eiusdem laudabilem observantiam in Basilica Vaticana, sumendam esse Antiphonam* Ave Regina Caelorum, *sublatoque quolibet alio asserto difformi quarumcumque Ecclesiarum usu, sive consuetudine, ita ab omnibus, qui Breviario Romano utuntur, pariformiter servari mandavit.* Hac die 11 ianuarii 1681. *Urbis, et Orbis.*

412. Nomine Compositorum Calendarii humillime S. Rit. C. supplicatum fuit pro explanatione dubii :

An quando festum Purificationis B. M. V. occurrit in Dominica privilegiata, eius Officium transferri debeat in feriam secundam immediate sequentem, vel in primam diem non impeditam festo duplici, vel semiduplici ?

Et S. eadem C. referente Emo, et Rmo D. Card. Millino declaravit: *Quando huiusmodi casus intervenerit, Officium Purificationis esse transferendum in feriam secundam immediate sequentem, quocumque festo aequalis, non tamen altioris ritus in eam incidente. Et idem servandum mandavit quando festum Annuntiationis B. M. V. occurrat in Dominica privilegiata.* Hac die 20 iulii 1748. *Urbis, et Orbis.*

413. Ex parte Monialium s. Clarae Civitatis Ianuensis S. Rit. C. humillime supplicatum fuit: An teneantur, etc.

Et S. eadem C. audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris rescribendum censuit: *Moniales Locorum Ordinariis subiectae non tenentur recitare Officia particularia Dioecesum: tenentur tamen recitare de Patrono principali Loci, et de Titulari Ecclesiae Cathedralis, nec non de eiusdem Ecclesiae Dedicatione, non vero de eorumdem festorum octavis, nisi id specialiter ipsis indultum sit ex vi concessionis Apostolicae, vel propriae Constitutionis ab Apostolica Sede approbatae.* Et ita, etc., die 22 aug. 1744. *Ianuen.* et 20 novembr. 1683. *In Lauden.* ad 6.

414. Pro parte Fratrum s. Mariae Gratiarum Civitatis Bononiensis quaesitum fuit: An stantibus Rubricis Breviarii, in quibus cavetur, quod quando recitatur Officium parvum B. M. V. non est opus amplius de ea facere commemorationem in

Officio currenti, locum habeant dictae Rubricae in Ecclesiis B. M. dicatis, maxime cum ex eisdem Rubricis Breviarii colligatur, commemorationes Patronorum Ecclesiae non esse omittendas?

Eadem S. Rit. C. respondit: *Numquid satis laudes, et commemorationes in honorem B. M. V. recitari posse: et ideo laudabile, ut in Ecclesiis eidem dicatis de ea fiat commemoratio in Officio currenti, etiamsi Officium eius parvum prius recitatum fuerit.* Et ita censuit, et declaravit die 10 ianuarii 1604. *Bononien.*

415. Utrum si assignatio diei festo in perpetuum impedito facta non fuit prima die non impedita iuxta Rubricas de translatione festorum, et multa S. Rit. C. Decreta, talis error debeat corrigi, et illis legibus conformari? Resp. *Affirmative.*

An consuetudo quindecim annorum possit suffragari huiusmodi assignationi perperam factae? Resp. *Negative.*

Atque ita statuit, respondit, atque decrevit S. Rit. C. die 11 martii 1820. *Mazarien.*

416. An Parochus duarum Ecclesiarum unitarum debeat de ambarum Patrono, et Titulari recitare Officium iuxta Rubricas?

Resp. *Pro utroque Titulari affirmative, maxime si Ecclesiae sint peraeque unitae.* S. Rit. C. 5 iulii 1698. *Collen.*

417. An quando dies 30 decembris occurrit in sabbato, omitti possit Officium de die infra octavam Nativitatis, et in eo recitari Officium de duplici translato?

Et S. Rit. C. audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris rescribendum censuit: *Affirmative: non exclusis commemorationibus quatuor octavarum*, die 27 ianuarii 1778. *Brixien.*

418. Ad instantiam Abbatissae Monasterii Ligulli expositum fuit, Ecclesiam eius Monasterii dedicatam esse sub invocatione B. M. V., sed quia ignoratur dies festivitatis, sub qua illa dedicata fuerit, ideo supplicatum assignari aliquod festum B. V. in quo solemnitas dedicationis praedictae Ecclesiae fieri possit.

Et S. Rit. C. censuit, et declaravit, *celebrari posse in die Assumptionis eiusdem B. M. V.* die 2 maii 1654. *Tarraconen.*

419. An titularis Ecclesiarum dedicatarum sub titulo s. Mariae Angelorum, idest B. V. ut Dominae, et Reginae Angelorum, non sit Assumptio eiusdem B. V. in qua ut Domina, et Regina Angelorum supra omnes eorum Choros exaltata est? Sin ita sit, quaeritur, undenam sumendum sit Officium de Beatissima Virgine sub isto titulo, et quandonam persolvendum? *Item:*

An in Ordine Fratrum Minorum quaedam Ecclesia dedicata sub titulo s. Mariae Angelorum, idest in memoriam mira-

culosae apparitionis Domini Nostri Iesu Christi, ac Beatissimae Virginis cum ingenti multitudine Angelorum B. Francisco in Ecclesia s. Mariae Angelorum primaria universi huius Ordinis, recte persolvant Officium de hocce Titulari, recitando secunda die augusti cum toto hoc Ordine Officium dedicationis huiusce primariae Ecclesiae de Communi Dedicationis cum lectionibus propriis in secundo nocturno de illa miraculosa apparitione? Sin ita videatur: quaeritur, undenam sumendum Officium de hocce Titulari, et quandonam celebrandum?

Eadem S. Rit. C. Emo, et Rmo D. Card. sancti-Clementis referente respondit ad utrumque: *Celebrandum festum Sanctae Mariae Angelorum in die Assumptionis cum octava eiusdem*, die 14 maii 1707. *Parisien.*

420. Ecclesia Collegiata Loci Guttanstadt Dioecesis Varmiensis sub titulo SS. Salvatoris, et omnium Sanctorum dedicata fuit; sed cum potior titulus, nempe SS. Salvatoris illic nullam festivitatem haberet,Episcopus ordinavit, ut festum Transfigurationis Domini, quod in Octavario Romano per Bartholomaeum Gavantum concinnato a S. Rit. C. die 19 febr. 1622 approbato, et Venetiis typis Balleonianis anno 1733 impresso, Salvatoris appellatione venit, dignitatem tituli Ecclesiae habeat, et Officium de eadem Transfiguratione Domini ritu' duplici primae classis cum octava deinceps recitetur. S. Rit. C. dignabitur declarare, an haec ordinatio sit observanda?

Et S. eadem C. censuit rescribendum: *Servandum esse Decretum eiusdem Rmi Episcopi.* Et ita declaravit, die 29 novembris 1755. *Varmien.* ad 4.

421. Cum quidam Frater Professus Ordinis sancti Augustini Eremitarum promotus fuerit ad Episcopatum in Indiis, quaesitum fuit a S. Rit. C.

Primo: An talis Episcopus Divina Officia iuxta formam sui Ordinis, an vero iuxta formam traditam, et assignatam Dioecesi a Sede Apostolica recitare teneatur?

Eadem S. Rit. C. respondit: *Episcopum debere Officium recitare, et Divina Officia celebrare iuxta ritum suae Dioecesis.*

Secundo: An occurrente una, eademque die festum alicuius Sancti suae Dioecesis, et festum alterius Sancti sui Ordinis, de quo celebrandum sit?

Eadem S. Rit. C. respondit: *Celebrandum esse festum de Sancto Dioecesis.*

Tertio: An Capellani, sive Regulares sint, sive Saeculares, qui alternis vicibus cum Episcopo Regulari Officium recitare solent, debeant se conformare Episcopo circa recitationem Officii?

Eadem S. Rit. C. *Affirmative* respondit: Et ut supra in omnibus servandum esse censuit, et declaravit, die 11 iunii 1605. *Pro Regulari promoto ad Episcopatum.*

422. Unus ex Presbyteris Directoribus Seminarii Aquensis, et a Clero eiusdem Dioecesis praepositus ad praebendum quotannis ordinem Divini officii dicendi iuxta ritum Breviarii Romani, S. Rit. C. humillime supplicavit, quatenus sequentia dubia declarare dignaretur.

Primo: (sub num. 2.) De duplicibus translatis fit ne die sequenti prae aliis duplicibus translatis, sed remotioribus?

Resp. *Negative quia de Officiis translatis fit iuxta ordinem translationis, in paritate tamen ritus, et sine excellentia maioris dignitatis, ut scilicet primum celebretur Officium ab ante translatum, et postea fiat de alio secundo loco translato.*

Secundo: Semiduplex occurrens in die duplici primae classis habente octavam, debet ne transferri in diem immediate sequentem, in qua de octava faciendum esset? *Insuper:* Si Dominica infra octavam occurrat festum semiduplex, debet ne fieri de eo die sequenti prae duplici translato?

Resp. *Semiduplex occurrens in die Officii duplicis primae classis habentis octavam transfertur in diem immediate sequentem, in qua agendum esset de octava. Quod privilegium retinet etiam semiduplex occurrens in Dominica infra octavam, ut scilicet reponatur in feria secunda sequenti non impedita, etiamsi reponendum esset duplex primae classis prius translatum.*

Tertio: Semiduplex occurrens in die duplici (iuxta Calendarium proprium), et simul infra octavam, debetne transferri in diem sequentem, an post octavam? Citantur circa hos casus decreta 30 septembris 1679 *in una Ord. Minor. Capucinor.* suntne vera, an apocripha?

Resp. *Quod attinet ad semiduplex occurrens in festo duplici infra octavam non privilegiatam est verum, et non apocriphum decretum a S. Rit. C. emanatum sub die* 30 *septembr.* 1679.

Et ita respondendum censuit eadem S. Rit. C. audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris. Die 2 septembr. 1741. *In Aquensi*, ad 2.

423. Editor Calendarii Ordinis Minorum s. Francisci Capucinorum in Pedemontana Provincia humillime exponit S.Rit.C., videlicet: Fratres Ordinis praedicti Provinciae olim s. Ioseph a Leonissa per particularem concessionem celebrabant Festa Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C., item Puritatis, et Materni-

tatis B. M. V. Extincta proinde in omnium rerum perturbatione huiusmodi Provincia, et quatuor tantum Conventus, videlicet Derthonae, Niciae Montisferrati, Castellatii, et Serravallis in praesenti rerum statu resurgendo, huic Pedemontanae Provinciae, in qua non adest facultas Officia ut supra memorata Pretiosissimi Sanguinis etc. celebrandi se adiecerunt, unumque corpus modo cum ipsa constituunt.

Postulatur proinde declarandum, an Religiosi praedictorum quatuor Conventuum debeant continuare recitationem praefatorum Officiorum, videlicet Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C., Puritatis,et Maternitatis B.M.V., an a tali recitatione abstinere?

Et S. Rit. C. respondit: Religiosos olim Provinciae s. Ioseph a Leonissa, modo Provinciae Pedemontanae cooptatos, qui unum corpus cum ipsa constituunt, teneri facere omnia Officia iuxta Calendarium Provinciae Pedemontanae, et non alia, (sub die 18 octobr. 1822 a Rmo P. Aloysio a Caltanixeta Procuratore Generali totius Ordinis Capucinorum praedicto Editori Calendarii transmissum.)

424. Quaeritur an Quadragesimae tempore, quando dicuntur vesperae ante meridianam comestionem, in sabbatis dicenda sit in iisdem vesperis Antiphona *Ave Regina Coelorum*, nec non ad meridiem Salutatio Angelica, seu *Angelus Domini* stando, vel flexis genibus?

Resp. Dicendum esse utramque Salutationem flexis genibus, cum ritus standi iuxta P. Bartholomaeum Gavantum sect. 5. cap. 22. num. 18. et alios sequatur stylum Indulgentiarum: quae quidem Indulgentiae non incipiunt pro die sequenti, nisi in primis vesperis more ordinario, idest hora secunda circiter pomeridiana,et desinunt ad solis occasum diei sequentis. Et sicut eaedem Indulgentiae in Quadragesima certe non incipiunt eodemmet tempore, quo dici solent in Choro vesperae; ita neque *Angelus Domini* ad meridiem, neque Antiphona *Ave Regina Coelorum* ad vesperas dicenda sunt stando in sabbatis.

Dixi *more ordinario*, tempus enim vesperarum non est praecise nisi post meridiem, prout etiam sonat ipsa nomenclatura: et huius Horae anticipatio in Quadragesima ante meridiem dicenda potius est consuetudo, privilegium, vel memoria de iis, quae fiebant primis Ecclesiae temporibus, ubi in Quadragesima cibum non sumebatur, nisi celebratis Horis vespertinis ad solis occasum: ad quae Ecclesia non respicit, ut tamquam regula uti debeat pro derogandis, vel statuendis illis rebus.

Confirmatur Decreto S. Rit. C. sub die 7 septembr. 1816. *in Tudensi* ad 6., ubi eadem S. C. interrogata, an Antipho-

nae B. M. V. quae dicuntur stando a vesperis sabbati, dici etiam debeant stando in fine Laudum, si recitentur die Dominica ante solis occasum pro feria secunda respondit *Affirmative*. Ex quo deducitur, ritum standi non esse pedissequum Horarum Canonicarum, sed horarum diei naturalis: quod est praecise quod quaerebatur.

Deducitur etiam ex praedictis: Orationem Angelicam dicendam esse flexis genibus sero Dominicae, eo quod recitetur hora circiter dimidia post solis occasum, seu post horam 24 italicam, quando nempe locum amplius non habent Indulgentiae diei praesenti affixae, quae desinunt ad solis occasum. Excipe, nisi Indulgentiarum Largitores pro *solis occasu* animo intendissent eiusdem Salutationis Angelicae signum datum sub noctem, ut ferre videtur praxis, etiam almae Urbis, et annuere Gavantus, loquendo de Antiphona finali B. M. V. in fine Laudum pro feria secunda, dicendo: *Quod hi notent, qui vespere recitant Officium feriae secundae post Salutationis Angelicae signum datum sub noctem.*

425. An hebdomadarius Clericorum Regularium Theatinorum quando celebrat Vesperas debeat accipere Pluviale a principio Vesperarum, illudque, durantibus Vesperis, usque ad finem retinere, vel satis sit illud accipere ad Capitulum, et usque ad finem Vesperarum retinere, prout hactenus consueverunt ? S. Rit. C. respondit: *Circa Pluviale deferendum ad Vesperas servandam esse eorum consuetudinem.* Die 1 septembr. 1607. *Theatinor.* ad 1.

426. Duplex Officium est recitandum de Sancto cuius habetur insignis Reliquia ubi asservatur, vel sit corpus integrum, aut magna pars eiusdem, aut caput, et sit ex Sanctis approbatis,et positis in Martyrologio Romano. *S. Rit. C.* 3 *iunii* 1617. *In una Urbis, Theatinorum.*

427. S. Rit. C. ad tollendos abusus, qui variis in locis irrepserunt, vetuit et prohibuit celebrari per totam civitatem vel dioecesim etiam de cuiuscumque Ordinarii auctoritate Missam vel festum cum officio de Sancto, eo quod in loco adsit Ecclesia Parochialis vel Regularis vel Abbatialis aut aliqua reliquia, sed tantum in ipsius Sancti Ecclesiae titulari, seu ubi asservatur Corpus, aut insignis reliquia, et non alibi. *Decr. Urbis et Orbis* 13 *ianuar.* 1631.

428. De Reliquia insigni officium est solum recitandum in Ecclesia, ubi asservatur, nec aliae Ecclesiae debent se uniformare cum Cathedrali, seu matrice. *S. Rit. C.* 12 *martii* 1618. *In Conchen.*

429. Insignes Reliquiae (quarum ratione recitari potest officium sub ritu duplici minori) sunt caput, brachium, crus, aut alia pars corporis, in qua passus est martyr, modo sit integra, et non parva, et legitime ab Ordinariis approbata. *S. Rit. C.* 8 *aprilis* 1628.

430. Commemoratio de Cruce ordinaria sufficit in Ecclesiis dicatis in honorem s. Crucis pro commemoratione tituli Ecclesiae. *S. Rit. C.* 30 *martii* 1621. *In una sub dubio.*

431. Prima sedes in Choro conceditur Hebdomadario parato tantum. *S. Rit. C.* 22 *aug.* 1626. *In Casertana.*

432. Hebdomadarius in decantandis in Choro Horis non debet uti Stola. *S. Rit. C.* 4 *aug.* 1663. *In una Dalmatiarum.*

433. Ratione communicationis Privilegiorum non potest recitari peculiare Officium concessum illis Ordinibus Regularibus, de quorum privilegiis facta fuit communicatio. *S. Rit. C.* 15 *septembr.* 1668. *In Ianuen.*

434. Si festum Dolorum B. M. V. occurrat in aliud festum altioris ritus, transferatur in sabbatum sequens: si vero concurrat cum festo Annuntiationis eiusdem B. M. V. vesperae dicuntur de Annuntiatione sine commemoratione de septem doloribus. *S. Rit. C.* 3 *septembr.* 1672.

435. Dies octavarum Assumptionis, Nativitatis, aliarumque festivitatum B. M. V. octavam habentium concurrentes cum Officio duplici minori habere debent integras vesperas. *S. Rit. C.* 1 *martii* 1681. *In una Canonicor. Regular. Lateran.*

436. Qui habent privilegium celebrandi octavas in Quadragesima, occurrente die infra octavam in feria quarta Cinerum, nullam debent facere commemorationem de octava neque in Laudibus, neque in Missa. *S. Rit. C.* 24 *ianuarii* 1682. *In Marsicana*, ad 1. dubium.

437. In Officio feriae quartae Cinerum relinquendo commemorationem octavae debent privilegiati dicere preces, psalmos graduales, etc., et servare omnes Rubricas dictae feriae quartae Cinerum. *S. Rit. C.* 24 *ianuar.* 1682. *In Marsicana*, ad 2. dub.

438. Pro suffragio B. Mariae in Ecclesiis eidem dicatis sub quocumque titulo sive Assumptionis, et Conceptionis, etc., sufficit consueta Antiphona *Sancta Maria, succurre miseris, etc.* *S. Rit. C.* 23 *apr.* 1695. *In Fossanen.*

439. Consuetudo triginta annorum non habet vim ad hoc, ut continuari possit recitatio Officii de aliquo Sancto in Ecclesia, in qua asservatur eius corpus, nisi doceatur an sit descriptus in Martyrologio, et de eius identitate constet. *S. Rit. C.* 5 *iulii* 1698. *In Collen.*

440. Non possunt poni plura tribus initiis Prophetarum unica die. *S. Rit. C.* 5 *iulii* 1698. *In Collen.*

441. Quando plures adsunt Cathedrales unitae Officium Dedicationis cuiuslibet Ecclesiae non debet recitari ab universo Clero Dioecesum unitarum, sed in qualibet respective Dioecesi debet recitari de sua propria respective Ecclesia Cathedrali. *S. Rit. C.* 8 *martii* 1704. *In Viterbien.*

442. Quaesitum, an sub nomine Patroni Loci, de quo iuxta Bullam Gregorii XIII Regulares tenentur recitare Officium sub ritu duplici primae classis, veniat etiam Patronus Parochiae, in qua commorantur? Resp. *Negative.* S. Rit. C. die 14 februarii 1705. *In una Capucinorum.*

443. Occurrente dedicatione Basilicae SS. Salvatoris, vel ss. Apostolorum Petri et Pauli infra octavam dedicationis aliarum Ecclesiarum, pro earum octava debet sumi alia Oratio de Communi nempe, *Deus, qui invisibiliter. S. Rit. C.* 25 *septembris* 1706. *In una Urbis, et Orbis.*

444. Diebus infra octavam SS. Trinitatis, ubi est titulus Ecclesiae, et in festis infra dictam octavam occurrentibus non debet ad Primam dici Symbolum sancti Athanasii. *S. Rit. C.* 8 *iunii* 1709. *In Bracharen.*

445. De Titulo, et consecratione Parochialis Ecclesiae, quae non est Cathedralis, non debet fieri officium in die neque per octavam a Sacerdotibus, qui non sunt de Clero Parochiali, licet sub eadem Parochia degant. *S. Rit. C.* 17 *aug.* 1709. *Bergomen.*

446. In concursu festi duplicis novem lectionum cum Dominica Passionis, seu Palmarum in responsorio brevi completorii omittendus non est versus *Gloria Patri* sive in primis vesperis utriusque Dominicae, sive in secundis Dominicae Passionis, cum in tali casu completorium sit festivum, idcirco non dicuntur preces. In concursu vero semiduplicis in primis vesperis omittitur *Gloria Patri*, quia tunc completorium sequens habet magis de ratione Dominicae iam inchoatae per vesperas a capitulo ipsius Dominicae, quam de ratione festi iam finiti: in secundis vesperis vero Dominicae Passionis asserit Gavantus dicendum esse; ast probabilius negat Meratus post Guyetum, cum in tali casu vesperae sint integrae de Dominica, cum sola commemoratione sequentis semiduplicis, unde completorium magis pertineret ad Dominicam, quam ad sequens festum. Gavant. et Merati sect. 5. cap. 14. n. 2. et sect. 6. cap. 12. n. 8. [1])

[1]) Vide num. 383. (P. M.)

447. Referente Emo Card. Sacchetto S. Rit. C. ad dubium per Mansionarios, seu Capellanos Massae Cathedralis Ecclesiae Ianuen. propositum, nempe: qua hora recitari debet Matutinum, cum inclusive a mense maio per totum mensem octobris recitari consueverit hora decima nona, reliquo tempore hora vigesima quarta?

Resp. *Matutinum recitandum esse de mane hora per E-min. declaranda.* Et ita S. C. servari mandavit die 20 novembr. 1660. *Ianuen.* ad 12.

448. Iterum proposito per Emum D. Card. Sacchettum dubio pro parte Capellanorum de Massa Cathedralis Ianuen. S. Rit. C. exhibito: qua hora nempe recitari debeat Matutinum, cum mensibus maii, iunii, iulii, augusti, septembris, et octobris aliquando recitetur post Completorium hora 19 cum dimidia aliquando autem hora 24, prout reliquis mensibus?

Emi Patres responderunt: *Servari solitum, et aestivo tempore hora per Ordinarium statuenda.* Et ita S. eadem C. servari mandavit die 18 decembr. 1660. *Ianuen.* ad 12.

449. Reproposita per Emum et Rmum D. Card. Zondadarium Ponentem in S. Rit. C. causa vertente inter Episcopum Urbevetanum ex una, et Capitulum, Dignitates, Canonicos, Beneficiatos, et Capellanos eiusdem Ecclesiae Cathedralis partibus ex altera, nempe ad 10: An tempore quadragesimali liceat Capitulo Cathedralis recitare Matutinum pro die sequenti de sero immediate post completorium in casu, etc.

S. eadem C. rescribendum censuit ad 10 *Negative et amplius.* Et ita decrevit, et servari mandavit die 13 augusti 1737. *Urbevetana super dubiis.*

450. An in Officio parvo Beatae Mariae tempore Paschali addi debeat Antiphonis, et versiculis *Alleluia?*

S. Rit. C. *mandavit, recitari dictum Officium parvum prout in Breviario Romano* die 28 martii 1626. *Tornacen.*

451. Confratres s. Antonii Terrae Ferlae Syracusanae Dioecesis exponentes, fratres s. Sebastiani obtinuisse a Vicario Generali facultatem transferendi festum s. Sebastiani, praescriptum in Breviario Romano die 20 ianuarii, ad diem 26 iulii, supplicarunt declarari, an hoc licuerit Vicario Generali?

Et S. C. respondit: *Non solum Vicario non licere mutare festum alicuius Sancti positum in Breviario certo die ad alium diem, sed, nec etiam ipsi Episcopo: et propterea festum s. Sebastiani reponendum esse in die* 20 *ianuarii, non obstante licentia praedicti Vicarii.* Et ita omnino servari debere, prout in hunc sensum scriptum fuit Archiepiscopo. Die

7 decembris 1630. *Syracusana.* (Secus dicendum, si, occurrente in perpetuum aliquo festo cum alio maioris ritus, vel dignitatis, transferatur illud ad primam diem non impeditam.)

452. Petitum fuit responderi: An de octava s. Leocadiae Patronae Metropolitanae cadente in diem 17 decembris, qui est dies privilegiatus ad instar quadragesimae, fieri debeat Officium, an vero cessare hoc casu diem octavae?

Et S. C. respondit: *Cessare debere diem octavae.* Die 17 septembris 1689. *Toletana.*

453. Martinus Salvus Presbyter de corpore Capituli Cathedralis Triventinae petit infrascripta dubia declarari a S.Rit.C.

An Hebdomadarius, et caeteri omnes existentes in Choro teneantur surgere, quando a Canonicis, Dignitatibus, et Presbyteris intonantur Antiphonae? Resp. *Omnes debent surgere, praeter Hebdomadarium paratum.*

Secundo: An in Benedictionibus lectionum Hebdomadarius, et omnes alii de Choro teneantur surgere? Resp. *Tenetur Hebdomadarius semper surgere, et alii de Choro tenentur, quando solemniter cantatur.* Et ita respondit S. Rit. C. die 5 augusti 1663. *Triventina*, ad 1. et 4.

454. Utrum Monialibus ss. Visitationis liceat in recitando Officio solito commemorationem s. Antistitis et Patriarchae Francisci Salesii facere, iuxta Rubricam 35 de commemorationibus communibus, et suffragiis, illiusque nomen exprimere, quoties *Confiteor* dicunt sive privatim, sive in Choro, secundum laudabilem aliorum Ordinum consuetudinem?

Et S. Rit. C. respondit: *Teneri facere commemorationem, et in Confiteor exprimi posse nomen eiusdem Sancti.* Hac die 19 novembris 1667. *Genevensis.*

455. Patres Congregationis Oratorii Assumptae sub instituto s. Philippi Nerii, Ulyssipponen. Dioecesis, supplicaverunt apud S. Rit. C. quatenus eisdem concedere dignaretur, ut possent continuare, et dicere addendo in *Confiteor*, et Litaniis Sanctorum nomen s. Philippi eorum Patriarchae, sicut hactenus consueverunt, ut moris est apud omnes Religiosos in Regno Portugalliae, addendi in *Confiteor*, et Litaniis nomen Sancti sui Patriarchae?

Et eadem S. C. respondit: *Posse tolerari.* Et ita censuit. Hac die 16 iulii 1674. *Ulyssipponen.*

456. S. Rit. C. supplicante fratre Ambrosio Sacerdote Capucino, inhaerendo decreto alias in simili causa emanato, iterum declaravit, quod *occurente festo duplici infra octavam SS. Corporis Christi, ac etiam festo Sancti simplicis nonam*

lectionem in Breviario habentis, de hoc Sancto recitari debet nona lectio tam apud Saeculares, quam Regulares, qui ad Horas canonicas tenentur. Die 21 ianuarii 1679. *Ordinis Capucinorum.*

457. S. Rit. C. 13 iunii 1682 concessit Fratribus Ordinis Minorum, ut in Ecclesiis titularibus B. M. V., quotiescumque Officium fit de feria, inter Sanctorum suffragia fiat commemoratio B. Mariae, prout in Officio currenti, quantumvis eius Officium parvum recitatum sit; quaeritur, an concessio ista sit universalis, ita ut ad omnes Ecclesias etiam Saeculares B. M. V. dicatas extendatur? Quod si non extendatur, eamdem Sacram Congregationem deprecantur; ut idem concedere dignetur Metropolitanae Ecclesiae Valentinae, cuius Titularis est Assumptio Dei Genitricis, et aliis Ecclesiis, quarum Titularis fuerit Beata Virgo Dei Genitrix?

Et eadem S. C. respondit: *Non indigere dispensatione, sed posse facere eam commemorationem.* Et ita declaravit hac die 2 octobris 1683. *Valentina*, ad 7.

458. Expositum fuit in S. Rit. C., quod in Hispania ex indulto Apostolico recitatur Officium de festo s. Iuliani Episcopi Conchensis die 28 ianuarii cum octava, sed quia anno futuro 1793, incidit feria quarta Cinerum in diem octavam, et secundum Rubricam 7 Breviarii Romani *de octavis*, adveniente Quadragesima cessat quaecumque octava, propterea dubitatur, an in feria tertia praecedenti cessare debeat octava ad Nonam, aut ad Completorium eiusdem diei?

Et S. C. referente Emo, et Rmo D. Card. Colloredo, respondit: *In proposito dubio Officium recitandum esse de die infra octavam usque ad nonam: vesperas autem debere esse feriales.* Die 17 maii 1692. *Hispaniarum.*

459. Supplicante S. Rit. C. an in Ecclesiis, in quibus festum SS. Trinitatis est primae classis, concurrentibus vesperis diei octavae eiusdem cum duplici sequenti maiori tantum, vesperae debeant fieri integrae de die octava, cum commemoratione sequentis, ut Rubrica generalis praescribit in Octavis Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, et Corporis Christi?

S. eadem Rit. C. ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Colloredi censuit respondendum: *Affirmative.* Et ita declaravit, die 13 septembr. 1704. *Maioricen.*

460. Monialibus SS. Corporis Christi Civitatis Bononiae S. Rit. C. humillime supplicantibus, ut benigne declarare dignaretur, an ipsis liceat imposterum die 14 ianuarii Officium SS. Nominis Iesu, sicut antea iuxta concessionem fratribus Ordi-

nis Minorum alias factam recitare: an vero teneantur illud Dominica secunda post Epiphaniam, uti noviter pro Ecclesia universali indultum fuit, celebrare?

S. eadem C. respondit: *Nec Monialibus praedictis, nec Fratribus Minoribus, aliarumque Religionum licere amplius memoratum Officium SS. Nominis Iesu die 14 ianuarii, sed Dominica secunda post Epiphaniam recitare omnesque teneri sub poenis de non satisfaciendo Officio Divino, aliisque in Bulla s. Pii V contentis novissimo decreto die 20 novembris 1721 pro universali Ecclesia se conformare.* Et ita decrevit, et servari mandavit. Die 28 nov. 1722. *Bononien.*

Nota: Benedictus XIII vivae vocis oraculo concessit toti Ordini Minorum Observantium s. Francisci, ut celebrare possint die 14 ianuarii praedictum festum SS. Nominis Iesu, non obstante decreto pro Ecclesia universali.

461. Cum octava s. Annae tituli Ecclesiae Patrum Capucinorum Oppidi Novellarae, Dioecesis Rhegien. incidat in diem secundam augusti; in qua celebratur in tota religione Minoritana sub ritu dup. mai. festum dedicationis sanctae Mariae Angelorum cum Indulgentia de Portiuncula: et quia iuxta Rubricas minime transferri valeat, Pater Procurator Generalis eiusdem Ordinis pro facultate, ut in posterum in praefata Ecclesia die 2 augusti peragi possit in Officio, et Missa dictae dedicationis commemoratio Octavae s. Annae S. Rit. C. humillime supplicavit.

Et S. eadem C. *petitam gratiam ratione Indulgentiarum, et populi concursus concedendam esse censuit.* Die 22 iulii 1736. *Rhegien.*

462. Cum festum dedicationis Ecclesiae Patrum Minorum Observantium s. Francisci de Villafranca Dioecesis Lunensis Sarzanen. semper occurrat cum altera festivitate s. Silvestri, et Officium dicti Sancti ad annum sequentem minime transferri valeat, propterea P. Guardianus, et Religiosi praefati Conventus S. Rit. C. humillime supplicaverunt, quatenus ob occurrentiam dictae festivitatis benigne declarare dignaretur, quid in posterum faciendum sit?

Et S. eadem C. respondit: *Ut fiat festum dedicationis cum commemoratione s. Silvestri.* Die 23 ianuarii 1745. *Lunen. Sarzanen.*

463. An dedicatio Ecclesiae Cathedralis, ad quam Regulares intra eamdem Civitatem constituti sub ritu duplici secundae classis celebrandam teneantur, ultra illius octavam transferri possit ab iisdem Regularibus, si prima dies altiori festo, simulque

tota reliqua octava aliis novem lectionum festis impedita sit?

Resp. *Affirmative*. S. Rit. C. die 11 ianuarii 1749. *Ord. Excalceat. s. Augustini.*

464. Cum pluribus in locis sit a S. Rit. C. concessum Officium Sacratissimi Cordis Iesu sub ritu dup. mai. in feria 6. post octavam Corporis Christi recitandum: cumque secundae vesperae octavae Corporis Christi concurrant cum primis vesperis Officii Sacratissimi Cordis Iesu, dubitatur, cuinam ex duobus festis sint integrae vesperae concedendae. Hinc humillime supplicatur S. Rit. C. ut declarare dignetur, quid agendum in dictarum vesperarum concurrentia, et supplicatur etiam declarare, quinam color sit adhibendus in Missa Cordis Iesu, albus ne, vel rubeus?

Et S. eadem C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, respondendum censuit: *Integras vesperas recitandas esse diei octavae Corporis Christi, absque commemoratione Sacratissimi Cordis Iesu, et utendum colore albo.* Et ita declaravit die 17 augusti 1771. *Ord. Eremitar. Excalceat. s. Augustini*, ad 3.

465. Aliquando transfertur Patrocinium B. M. V. (seu aliud festum eiusdem ritus dup. mai.) ad 17 vel 19 decembris, quo casu concurrit in primis, aut secundis vesperis cum Officio Expectationis Partus eiusdem B. M. V. quaeritur, quomodo in his casibus disponendae sint vesperae?

Resp. *Totum de praecedenti in utroque casu, nil de sequenti.* Et ita declaravit S. Rit. C. die 27 martii 1779. *Ord. Minor. Observ. Reformator. Sancti Francisci*, ad 12. (idem ideo dicendum, quando festum B. M. V. de Mercede concurrit cum festo ss. Cordis, vel ss. Nominis, vel Septem dolorum eiusdem B. M. V.)

466. S. Rit. C., proponente Emo, et Rmo D. Card. Corsino Episcopo Sabinensi, hoc generali Decreto statuit: *Festum Decollationis s. Ioannis Baptistae, quod die* 29 *augusti ab universa Ecclesia ritu duplici minori agitur, in posterum celebrandum esse ritu duplici maiori.* Die 10 martii 1787.

Quibus deinde a me infrascripto Secretario relatis SS. Domino Nostro Pio Papae VI, Sanctitas Sua *suprascriptum S. C. Decretum confirmavit, et ubique executioni mandandum esse praecepit.* Die 14 martii 1787. *Urbis, et Orbis.*

467. Cum Praeposito, et Patribus Collegii Clericorum s. Pauli Cherii, Taurinensis Dioecesis, quaedam orta fuerint dubia circa onus recitationis Officii dedicationis Ecclesiae, hinc humillimis precibus a S. Rit. C. declarationem petierunt:

Primo: An Clerici Regulares s. Pauli Civitatis Cherii, Episcopalis cathedrae honore destitutae, Ecclesiam nacti nulla adhuc solemni consecratione decoratam, ad aliquod celebrandum dedicationis Ecclesiae Officium teneantur?

Resp. *Non debere Officium peragere dedicationis propriae Ecclesiae, quae non est consecrata.*

Secundo: Et quatenus affirmative, an teneantur festum celebrare dedicationis Ecclesiae principalis eiusdem Civitatis Officio secundae classis sine octava?

Resp. *Non posse dedicationem Ecclesiae principalis Cherii celebrare.*

Tertio: Et quatenus negative, an saltem teneantur, uti solebant, memoriam agere Officio secundae classis sine octava dedicationis Ecclesiae Metropolitanae Augustae Taurinorum, in cuius Dioecesis finibus, licet quinque circiter mille passus dissitis, sita est eadem Cherii Civitas?

Resp. *Non teneri ulla obligatione ad dedicationem Metropolitanae Ecclesiae Taurinen. celebrandam: et quatenus laudabilem consuetudinem illam celebrandi retinere velint, eam esse sub eo ritu ab iis celebrandam, quo consuevit, a duplici secundae classis inclusive.* Et ita declaravit, et servari mandavit. S. Rit. C. die 21 martii 1795. *Taurinen.*

468. Quaeritur, quo in sensu intelligenda sit rubrica Breviarii de translatione festorum num. 6. in qua legitur: Si omnia (festa) fuerint duplicia, fiat de digniori, seu solemniori, et quae de minori solemnitate sunt transferatur.—Et ibidem num. 7: Inter plura duplicia, quod est magis solemne semper prius transferatur et prius celebretur?

Resp. *Rubricam intelligendam esse de solemniori quoad ritum, et dignitatem, non quoad extrinsecam solemnitatem, quae in ordine translationis non est attendenda.* Et ita declaravit S. Rit. C. die 20 septembris 1806. *Brixien.* ad 15.

469. Officia Sanctorum ratione Corporis, seu insignis Reliquiae recitanda intelligi debent de Sanctis dumtaxat in Martyrologio Romano descriptis, et dummodo constet de identitate Corporis, seu Reliquiae insignis illiusmet Sancti, qui reperitur in Martyrologio descriptus. De caeteris autem Sanctis in praedicto Martyrologio non descriptis, aut quibus a s. Sede non fuerit specialiter concessum, Officia recitari, et Missae celebrari non debent, non obstante quod ipsorum corpora, vel insignes Reliquiae in Ecclesia asserventur, quibus tamen ab Ordinariis Locorum approbatis debita Fidelium veneratio (prout hactenus servatum est) exhibeatur, sed absque Officio,

et Missa sub poenis de non satisfaciendo praecepto recitandi Officium, aliisque in Constitutione s. Pii V contentis. *S. Rit. C.* 11 *augusti* 1691. *In Decreto generali approbante Innoc. XII*, 19 *octobris eiusdem anni.*

470. An Clerus adscriptus alicui Ecclesiae Parochiali, Choro tamen illius non obligatus, nec gaudens Beneficio, et Clerus sub eadem Parochia tantum degens, et alteri Ecclesiae non addictus, teneatur recitare particularia Officia illius Parochiae, idest dedicationis, titularis, vel alicuius Sancti ob insignem eius Reliquiam, eo quod in illa Parochiali fuerit introducta consuetudo recitandi praedicta Officia a Sacerdotibus, et Clericis adnotatis ante Bullam s. Pii V de Breviario Romano editam anno 1568, ita ut, si Officium iuxta Calendarium suae Dioecesis dumtaxat celebrent, non adimpleant onus Horarum Canonicarum?

Resp. *Posse, sed non teneri, ideoque adimplere onus Horarum canonicarum se conformando in recitatione Officii Calendario Dioecesano.* S. Rit. C. 20 septembr. 1806. *Brixien.* ad 16.

471. Num Clerus adscriptus Ecclesiae Parochiali, aut non Parochiali, nulloque praeditus Beneficio possit Officia particularia ut supra earumdem Ecclesiarum recitare, et si consuetudo non fuerit inducta ante Bullam laudatam, sed a paucis annis?

Resp. *Negative.* Et ita declaravit, et servari mandavit S. Rit. C. die 20 septembr. 1806. *Brixien.* ad 17.

472. In Hispania die 25 iulii celebratur Officium dup. primae classis s. Iacobi Patroni totius regni: quaeritur, an in Ecclesiis particularibus, occurrente eodem die festo Patroni earumdem Ecclesiarum, debeat fieri Officium s. Iacobi Apostoli Patroni totius Regni, translato festo Patroni particularis earumdem Ecclesiarum; aut recitari Officium praedicti particularis Patroni, translato Officio s. Iacobi Apostoli?

Resp. *Attenta excellentia maioris dignitatis iuxta Rubricas, et S. Rit. C. Decret. Officium s. Iacobi Apostoli Patroni Hispaniarum praeferri debet in occurrentia Sanctis aliis Patronis Ecclesiarum particularium, dummodo non sint eiusdem vel maioris dignitatis.* Et ita declaravit, et servari mandavit S. Rit. C. die 9 aprilis 1808. *Compostellana*, ad 6.

473. Cum in publicis Ecclesiae calamitatibus aucta plurimum fuerit devotio erga B. V. iuxta Simeonis prophetiam in animo gladio transfixam, cuius commemoratio fit dumtaxat feria 6. post Dominicam Passionis, dum Ecclesia, ob sublimia Redemptionis Mysteria, quae eo tempore celebrantur, in tristitia versatur, et luctu, cumque propterea Apostolica Sedes iam pri-

dem indulserit, ut in Ordine Servorum B. M. V. iterato idem festum solemniter perageretur inDominica tertia septembris, quod postmodum extendit ad plurimas Próvincias, et Dioeceses:

Hinc SS. Dominus Noster Pius VII Pontifex Maximus, pia devotione motus erga B. V. M. dolore transfixam, accedentibus etiam precibus Serenissimi Caroli Emmanuelis Sardiniae Regis, ac voto Emi, et Rmi D. Card. Iulii Mariae de Somalia, uti S. Rit. C. Praefecti, suae vocis Oraculo, in audientia mihi infrascripto Sub-promotore fidei sub hac die benigne impertita, praecepit, ut in posterum in universa Ecclesia ubique terrarum quotannis recurrente Dominica III septembris celebretur festum dolorum B. M. V., extendendo ad omnes tam Saeculares, quam Regulares, qui ad Horas Canonicas tenentur, Officium, et Missam iam concessam Ordini Servorum eiusdem B. M. V. sub ritu dup. mai.

Sed quoniam in ea Dominica III septembris aliquando occurrit Octava Nativitatis B. M. V. aut festum s. Matthaei Apostoli, alterutro adveniente casu mandavit, ut festum Dolorum transferatur in primam ex sequentibus Dominicis, quae non sit impedita Officio ritus duplicis primae, vel secundae classis: firma nihilominus remanente eiusdem festi commemoratione, quae fit in feria 6. post Dominicam Passionis. Die 18 sept. 1814.

474. Cum autem peculiaria quaedam festa Dioecesum, ac Locorum facile possint quandoque in eadem III Dominica septembris occurrere, vel in proximiori, ad quam festum Dolorum transferendum foret, nonnulla proposita sunt dubia, nimirum:

Primo: An simul occurrente festo Dolorum cum die octava Patroni, Titularis, aut dedicationis Ecclesiae, quae licet sit ritus dup. min., ex Rubricarum tamen praescripto praevalet festo etiam ritus dup. mai., fieri debeat de eodem festo Dolorum, an potius de octava?

Resp. *Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.*

Secundo: An in casu translationis, si in sequentibus Dominicis, in quarum altera reponendum esset festum Dolorum, occurrat aliud festum eiusdem B. M. V. vel de Mercede, vel Rosarii, Puritatis, Maternitatis etc. sub eodem ritu dup. mai. faciendumne erit de occurrente, an de translato?

Resp. *Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.*

Tertio: Si omnes Dominicae usque ad Adventum fuerint impeditae, omittendumne erit eo anno festum Dolorum, an potius transferendum iuxta Rubricas in proximam diem non impeditam post Dominicam III septembris?

Resp. *Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.*

Et facta per me infrascriptum Secretarium relatione SS. in omnibus benigne annuendo praefatas responsiones, et declarationes approbavit, et confirmavit, et per Decretum generale publicari mandavit. *Die* 19 *augusti* 1817.

475. Cum SS. Dominus Noster Pius VII Pont. Maximus validissimum B. M. V. auxilium expertus fuerit in multis tribulationibus, aerumnis, angustiis, quas in diutina quinque, et ultra annorum captivitate passus est, eius intercessioni tribuens felicem suum reditum in Urbem sanctam, a qua fuerat nefarie avulsus; accito Rmo D. Card. Iulio Maria de Somalia, Episcopo Tusculano, suo in Urbe Vicario Generali, et S. Rit. C. Praefecto, mentem suam esse significavit, ut ad grati animi reddendum perenne testimonium gloriosissimae Virgini, quae insperato sibi, et Populo fideli in auxilium venit, peculiare festum in eiusdem honorem instituatur peragendum die 24 maii in aevum memoranda felici ipsius ad Petri Sedem signata regressu; et aemulatus decessorem suum s. Pium huius nominis V., qui ob insignem victoriam anno 1571, Christiana Classe contra Turcas ad Echinadas Insulas Dei Genitricis ope relatam, Litaniis Lauretanis alterum elogium inseri iussit *Auxilium Christianorum;* ita et hoc ipse hoc titulo decorare novum hoc festum constituit, cum Officio, et Missa ab eodem Rmo Card. Praefecto, a R. P. D. Andrea Cavalli Promotore fidei, et a me infrascripto S. Rit. C. Assessore revisis, cum in Urbe, tum in toto Ecclesiastico Statu recitando, et respective celebranda sub ritu dup. mai. ab omnibus tam Saecularibus, quam Regularibus qui ad Horas Canonicas tenentur.

Hoc decretum in Acta Congregationis Sac. Rituum reponi, ac publici iuris fieri mandavit. *Die* 16 *septembr.* 1815. *Urbis, et Status Ecclesiastici.*

476. Clerus Balneariae Dioecesis Nullius in ulteriori Calabria humiliter sibi declarari a S. Rit. C. expostulavit. An diruta, et solo aequata Ecclesia Matrice dedicata eiusdem Oppidi, teneatur Clerus quotannis ad Officii celebrationem de dicta dedicatione cum octava etc., quamvis in alio situ Matrix Ecclesia constructa fuit, cui Clerus inservit?

Et S. Rit. C. respondit: *Negative.* Et ita, etc. Die 15 septembris 1815. *Nullius Balneariae*, ad 1.

477. Rubrica Breviarii die 8 novembris octava omnium Sanctorum sic se habet: *Vesperae a capitulo de sequenti*, scilicet de dedicatione Basilicae ss. Salvatoris dup. min. *cum commemoratione praecedentis*, hoc est omnium Sanctorum. Die autem 18 eiusdem ait: *Festum dedicationis ss. Apostolorum*

Petri, et Pauli dup. min. vesperae a capitulo de sequenti, idest de s. Elisabeth vid. dup. min., *cum commemoratione praecedentis*, festi dedicationis, ex quo quaeritur: Utrum in dictis casibus, et similibus, faciendum sit a capitulo, ut disponit Rubrica supracitata, an vesperae debeant esse integrae, de dedicatione Basilicarum, cum commemoratione praecedentis, vel sequentis eiusdem, ob ritus praestantiam, et dignitatem Basilicarum?

Resp. *Ubi dedicatio Basilicarum Lateranensis, Vaticanae, et s. Pauli in via Ostiensi fit sub ritu dup. min. in concursu cum festis eiusdem ritus, prout in casu, etc., vesperas esse dimidiandas*. Atque ita respondit, decrevit, et in casu servari mandavit. S. Rit. C. die 12 aprilis 1823. *In Panormitana*, ad 4.

478. Regulares, etiamsi recitent Officium iuxta ritum Calendarii Cleri Saecularis Civitatis, non tenentur ad recitationem Officii de octava Patroni Loci, vel Titularis Principalis. *S. Rit. C.* 16 *septembr.* 1741. *Panormitana. Ord. Clericor. Regular. Theatinor.*

479. An Magister Caeremoniarum stare debeat semper, reliquis Clericis, et Acolythis sedentibus in Vesperis, Matutinis, et Laudibus solemnibus?

Resp. *Affirmative, dum munus actualiter exercet, secus negative*. S. Rit. C. 31 maii 1817. *Dubiorum.*

480. Occurrente festo Patroni, vel Titularis, aut alterius Sancti, quod excludat in primis suis Vesperis commemorationem praecedentis habentis conclusionem hymnorum propriam v. g. B. M. V., tunc sive in iisdem Vesperis, sive ad completorium continuanda non videtur praedicta propria hymnorum conclusio, cum in casu Officium praecedentis desierit ad Nonam: secus dicendum, quando de praecedenti facta sit in Vesperis saltem commemoratio, vel continuet octava, ut dictum est sub n. 370.

481. Cum aliquoties occurrant in Calendarii editione duae Epactae 25, nempe nigra, et rubra, nec non duae litterae Martyrologii *F* similiter nigra, et rubra, ad dignoscendum quenam ex duabus Epactis, nec non litteris Martyrologii sit sumenda, nigra, vel rubra, ex aureo numero hoc restat enucleatum. Cum nempe aureus numerus maior fuerit quam undecim, nempe unus ex posterioribus octo aureis numeris a 12 inclusive usque ad 19, sumatur epacta 25 nigra, et respondens littera *F* nigra: si vero aureus numerus fuerit ab 1 usque ad 11 inclusive, tunc sumatur epacta 25 rubra, et respondens littera Martyrologii *F* pariter rubra: et revera, cum an-

no 1829 aureus numerus fuerit 6, ideo sumpta fuit rubra sive epacta 25, sive respondens littera Martyrologii *F*.

482. Abbas et Monachi Monasterii s. Victoriani Nullius, seu Barbastren. Dioecesis, asserunt, praedictum Monasterium, utpote in deserto loco situm, exponi, noctu praecipue, furum, maleque viventium invasionibus, et propter reddituum tenuitatem Monachos alibi commorantes rhedis vectos ad Horas Canonicas inibi celebrandas ferri, non sine maximo periculo, noctis praecipue tempore, quo nebulones praedicti, et in eos grassari, et Ecclesiam depraedari possunt: quapropter postulant sibi concedi matutina ibi sub noctem recitandi facultatem.

Et S. C. respondit: *Extruant Oratores Sacellum privatum, commodum, ubi Matutinum hora consueta celebrari possit: tempus vero ad id ab Ecclesia praescriptum non alteretur.* Die 20 iulii 1593. *Barbastren.*

483. Decanus, et Capitulum Miranden. iterum supplicant impertiri licentiam recitandi Matutinum post completorium a die prima novembris ad diem primam maii, idque propter nimia eius loci frigora. Et S. C. censuit rescribendum: *Nihil.* Die 10 ianuarii 1597. *Miranden.*

484. Decanus, et Capitulum Segorbien. in Hispania exponunt, ex antiqua consuetudine cantare solitos de die Matutinum in vigiliis Festorum Corporis Christi, Transfigurationis Domini, et Visitationis B. M. V., deinde concurrentibus ad officia ad fidem recenter conversis,cecinisse non modo praedicta,sed etiam in festis Assumptionis, et Conceptionis B. M. V., ss. Petri, et Pauli, s. Augustini, et per totam octavam Corporis Christi: supplicant ob spiritualem progressum dictorum conversorum illic maxime confluentium, ut liceat Matutinum ut supra cantare tam in dictis festis, quam in caeteris anni solemnitatibus.

Et S. C. respondendum censuit: *Nihil, sed per totam octavam Corporis Christi tantum potest tolerari.* Die 10 ianuarii 1597. *Segorbien.*

485. Abbas, et Fratres Monasterii Montis Sancti Ord. Cistercien. Valentinae Dioecesis, situm in Monte Terrae Xativae, exponunt: in eadem Terra intolerabilem esse aeris frigiditatem, ipsosque Fratres solere ante solis ortum Matutinum recitare in Choro, quo ut eant transeundum est per locum sub diu existentem, imbribus, ac frigori expositum: supplicant igitur, ut liceat post Completorium recitare Matutinum a die prima novembris ad diem primam maii.

Et S. C. censuit respondendum: *Nihil.* Die 10 mensis ianuarii 1597. *Valentina.* Et hic notandum tabulam in fine Calenda-

rii positam pro recitando pridie Matutinum constructam esse, ut cunctis patet, pro recitatione privata, minime vero pro chorali.

486. An festum s. Ioachim Patris B. M. V. in concurrentia festi alterius Sancti aequalis ritus considerari possit ut Patriarchae, an simplicis Confessoris? Resp. *Cum festum s. Ioachim pertineat simpliciter ad illa Confessorum, in aequali ritu observari debere Rubricam de concurrentia festorum.* S. Rit. C. 19 decembr. 1829. *In Florentina*, ad 4.

487. Rmus Episcopus Gerunden. quaerit: Usque ab anno 1808, in hac Ecclesia Cathedrali Matutinum Nativitatis D. N. I. C. vespere prima vigilia noctis decantatur, et circa auroram dicitur prima Missa, quae iuxta rubricas post Matutinum celebrari debet. Quaeritur quid in casu agendum? S. Rit. C. resp. *Serventur Rubricae Missalis et Matutinum cum prima Missa et Laudibus dicatur summo mane si adsit impedimentum canendi prope mediam noctem.* Die 3 aprilis 1830.

488. Cum ex Pontificio indulto statutum sit quaedam festa in Galliarum regno celebranda esse Dominica proxime occurrente, quaeritur quae sit haec Dominica proxime occurrens? Resp. *Dominica proxime occurrens intelligenda est Dominica quae festum subsequitur.* S. Rit. C. 17 iulii 1830. *In Rhedonen.* ad 1.

489. An festum Titularis Capellarum publicarum et oratoriorum quae existunt in aedibus Episcopalibus, Seminariis, Hospitalibus, domibus regularium, domibusque privatis celebrari debeat sub ritu dupl. 1. cl. cum Credo et Octava? Resp. *Negative.*

490. Si alicui Ecclesiae consecratae nullus Clerus sit addictus, debet aut potest Clerus Parochialis intra cuius limites Ecclesia illa existit recitare officium, Missamque celebrare in anniversario dedicationis Ecclesiae cum octava? Resp. *Iuxta decr. in una Urbis 5 octobr.* 1679. *Negative.*

491. Officia concessa alicui regno, nationi, dioecesi, civitati, aut oppido, si ob occursum aliorum festorum celebrari nequeant diebus assignatis, sunt ne transferenda? Resp. *Iuxta decreta alias edita vel omittenda, vel imploranda facultas transferendi.*

492. Si officium quod die fixa celebratur in aliqua dioecesi per sedem Apostolicam ad aliam dioecesim extendatur, potest aut debet celebrari eadem die, amoto officio Ecclesiae universalis? Et in casu negativo quid agendum si talis amotio ab annis iam facta fuerit? Resp. *Negative ad primam partem. Iterum supplicandum quoad secundam.*

493. Civitates et oppida quae habent iam Patronum principalem debentne, aut saltem possunt continuare celebrationem

Protectoris principalis Dioecesis sub ritu dup. 1. cl. cum octava, et cum obligatione utriusque praecepti, ex consuetudine? Resp. *Affirmative ad primam partem seu continuationem officii, negative quoad secundam seu obligationem utriusque praecepti iuxta decreta alias edita.*

494. Cum duo vel plures officium divinum privatim recitant debentne ad *Confiteor* omittere verba illa *vobis fratres:* et *vos fratres: misereatur vestri* sicunt quando unus tantum illud recitant? Resp. *Possunt et non debent.*

495. Aliqui in recitatione divini officii tam in Choro quam privatim signum Crucis sibi efformant, pectus percutiunt, caput detegunt, et se inclinant etiam in iis locis in quibus Rubrica nec Missalis nec Caeremonialis id praescribit. Quaeritur ergo quando haec omnia sint facienda tam in publica quam in privata divini officii recitatione? Resp. *Serventur rubricae.*

496. Preces feriales, et antiphonae B. M. V. non solum in Choro, sed etiam in privata officii recitatione, flexis genibus suntne recitandae? An vero damnandi qui in privata recitatione hanc genuflexionem omittunt? Resp. *In Choro tantum iuxta rubricas.*

497. Iuxta rubricam Breviarii et Decreta S. Rit. C. antiphona finalis B. M. V. praeter tempus paschale dici debet stando omnibus diebus Dominicis infra annum a primis Vesperis sabbati, usque ad occasum solis ipsius Dominicae. Quaeritur 1. A qua hora sabbati incipiant primae Vesperae tam in Quadragesima, quam aliis temporibus? 2. An hic occasus solis possit intelligi usque ad crepusculum vespertinum more Indulgentiarum? 3. An a primis Vesperis sabbati usque ad occasum solis in Dominica semper standum sit etiamsi non recitetur Officium Dominicae sed vel sabbati vel feriae secundae? 4. Utrum sit genuflectendum, si post occasum solis officium Dominicae recitetur? Resp. *Serventur rubricae*, *et ad quaest.* 1. *consulantur Theologi: ad* 2. *affirmative: ad* 3. *affirmative: ad* 4. *negative.*

498. An octava cuiusque festi D. N. I. C. occurrens cum dupl. mai. vel min. debeat habere integras Vesperas uti fit in octava Ascensionis, Corporis Christi, et ut declaratum fuit a S. Rit. C. die 13 sept. 1704 pro octava ss. Trinitatis? Resp. *Serventur decreta.*

499. Varia sunt officia quae hymnos proprios habent. Si quis hymnus nec in Vesperis nec in Laudibus recitari possit, potestne aut debet uniri hymno nocturni, uti fit in festo s. Martinae, ad hoc ut omnes hymni proprii recitentur? Resp. *Affirmative si hymni sint historici, secus negative.*

500. In aliquibus Breviariis et Missalibus orationes s. Iuliani, s. Fidelis, postcommunio s. Ioannis Nepomuceni, s. Bernardini, s. Hieronymi Aemiliani, s. Ioannae Franciscae, postcommunio s. Ianuarii, octavae Passionis D. N. I. C., fer. 4. post Domin. 2. Quadrages. in Vesperis, concluduntur *in unitate Spiritus Sancti;* quaeritur an nomen *Spiritus*, quod in iis orationibus legitur, indicet revera Spiritum Sanctum, et quomodo sint concludendae? Resp. *Negative ad primam partem, ideoque quoad secundam more solito concludendae.*

501. Quando quis causa itineris vel studii vel aliis de causis extra patriam seu dioecesim versatur, debetne recitare officium sui Capituli, Ecclesiae, et Beneficii; vel etiam simpliciter Dioecesis; an vero Officium illius loci, in quo reperitur? Resp. *Beneficiarii tenentur semper ad officium propriae Ecclesiae, simplices vero Sacerdotes possunt conformari officio loci ubi morantur.*

502. Sunt multi hymni qui habent conclusionem propriam: conclusio ista semper ne adhibenda est etiam in completorio? Resp. *Negative, sed tantum in festis Domini, et B. M.V.* S. Rit. C. *In una Marsor.* ad dub. 34. 35. 39-47. 49. 50. 57.

503. Quum Antiphonas maiores sacri Adventus praeintonare soleant digniores de Choro, quaeritur an quando occurrit officium feriale, in quo antifona maior est illa cantici Magnificat, praeintonari ipsa debeat ab altero ex dignioribus iuxta ordinem vel ab hebdomadario? Resp. *Etiam non obstante consuetudine in casu, de quo agitur, Antiphonam praeintonandam esse ab hebdomadario iuxta praescriptum a Caeremoniali Episcoporum lib.* 2. *cap.* 3. S. Rit. C. 12 novembr. 1831. *In Pistorien.* ad 3.

504. An servari debeat immemorabilis consuetudo legendi Laudes in nocte Nativitatis D. N. I. C., vel an eaedem sint decantandae? Resp. *Negative.* S. Rit. C. die 12 novembr. 1831. *In Pisana*, ad 1.

505. An liceat manere genuflexos in choro tempore quo standum est, sedere quum est standum etc. non obstante consuetudine immemorabili? Resp. *Serventur rubricae quoad tempus standi, sedendi, genuflectendi in Choro.* S. Rit. C. 12 novembr. 1831. *In Pisana*, ad 1.

506. Quarto idus maii 1801 S. M. Pius PP. VII pro clero saeculari et regulari magni Ducatus Etruriae peculiare cum approbaverit officium in honorem B. M. V. tit. Divini Pastoris Matris ritu dupl. mai. quotannis persolvendi Dominica prima maii non impedita officio superioris ritus et dignitatis, cumque eo-

dem anno 1801 Senis idem officium typis impressum fuerit, in calce huius editionis monita nonnulla reperiuntur in quibus inter cetera illud reperitur quod si prima Dominica mensis maii fuerit impedita, Officium huiusmodi transferri debeat ad secundam vel tertiam non impeditam. Quod si omnes Dominicae mensis maii aliquando fuerint impeditae, tunc transferatur in primam diem liberam iuxta rubricas, et in hoc postremo casu octava lectio dividetur. Sanctionis huiusmodi regulam a S. Rit. C. autumant die 25 iulii eiusdem anni super hoc officio requisita datam fuisse. Attamen super hac declaratione dubitari coeptum est, an fuerit authentica praesertim in dioecesi sancti Miniati, proindeque Canonicus Pro-Poenitentiarius, Sede illa Episcopali vacante, petiit declarari 1. An supradicta declaratio S. Rit. C. die 25 iulii 1801 habenda sit ut authentica, et pro omnibus Etruriae Dioecesibus obligatoria ? Et quatenus negative, 2. An in Dioecesi sancti Miniati, quae ab anno 1818 usque ad annum 1832 bona fide, exemplum sectando aliarum Etruriae Dioecesum, se conformavit regulae in praefata declaratione contentae, quoad translationem festi praedicti, eadem regula in posterum servari debeat? S.Rit. C. rescribendum censuit ad 1. *Non reperitur in regestis Secreteriae S. Rit. C.* Ad 2. *Dentur decreta, in quibus generaliter praescribitur quod officia affixa certis diebus,eo anno impeditis,sint omittenda.* Die 23 maii 1835.*In una s.Miniati.*

507. An in Matutino noctis Nativitatis Domini duo assistentes Sacerdotes parati cantaturi primas homilias deferre debeant sub pluviali stolam diaconalem, vel a collo pendentem, vel in modum Crucis ante pectus ? Et quid si duo assistentes essent unus simplex Diaconus, Subdiaconus alter ? Resp. *Negative iuxta decret. gen.* 16 *sept.* 1816, *et iuxta Caeremoniale Episcoporum Subdiaconus abstineat a cantando Evangelio cum lectione*.S.Rit.C.die 7 aprilis 1832.*In Ariminen.*ad 1.

508. Si in die octava septem Dolorum B. M. V. occurrat festum eiusdem B. M. V. titulo de Mercede, quaeritur an eo anno transferendum sit, vel omittenda octava ? Resp. *Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.* S. Rit. C. 7 april. 1832. *In Collen.* ad 2.

509. An ex immemorabili consuetudine Hebdomadarius in Choro possit induere stolam tempore divini officii ?S. Rit. C. respondit *negative, et servandum esse Decretum in Alexanen. diei* 7 *sept.* 1658. *et in una Dalmatiar. diei* 7 *aug.* 1663. Die 16 martii 1833. *In Bituntina.*

510. Apud Capitulum Civitatis Plebis pluribus abhinc annis

usus invaluit omittendi recitationem horarum Canonicarum Sextae nimirum et Nonae voce chorali post Missam conventualem, easque recitandi submissa voce tempore eiusdem Missae varias ob causas: nimirum quando Episcopus pontificaliter celebrat vel in sede pontificali Missae assistit: quando protrahitur servitium Chori ob prolixiorem Missam sive ob aliquam extraordinariam functionem: temporibus Adventus et Quadragesimae ratione concionis. Quaeritur ergo 1. An huiusmodi usus valeat continuari, et quatenus negative 2. quaeritur an valeat continuari de licentia Archidiaconi, seu illo absente de licentia antiquioris Canonici Praefecti chori, et quatenus negative, quaeritur 3. an saltem valeat continuari de licentia Episcopi? S. Rit. C. rescribendum censuit: *Negative in omnibus, nec satisfieri Chori obligationi per privatam recensitam recitationem Sextae et Nonae tempore Missae conventualis.* Die 16 martii 1833. *In una Civitatis Plebis.*

511. Sacerdos Archangelus Polidori Canonicus itemque choro Praefectus Basilicae Lauretanae humillimis datis precibus enixe supplicavit ut a S. Rit. C. declaretur utrum in responsoriis post lectiones quando duplex apponitur asteriscus, dicto versu repetenda sint verba a primo asterisco ad versum usque, et post *Gloria Patri* repetitio incipere debeat a secundo asterisco ad versum usque, uti opinantur Cavalieri et Merati, vel utrum prima repetitio post versum prosequi debeat a primo ad secundum asteriscum, servatis verbis a secundo asterisco ad versum usque pro secunda repetitione, veluti rubrica ad praxim redacta praescribit in responsoriis Dominicae primae sacri Adventus et in responsorio *Libera me Domine* Officii defunctorum, uti fieri assolet in Ecclesiis Urbis ac servandum praecepit Orator in Basilica Lauretana, cuius sanctionis veluti praxi conformis, confirmationem exposcit. Huiusmodi precibus per me infrascriptum Secretarium relatis in ordinariis comitiis ad Quirinale habitis, reque mature perpensa, Emi et Rmi PP. sacris tuendis ritibus praepositi hodiernam consuetudinem in choro Basilicae Lauretanae constitutam confirmarunt, ac proinde rescribendum censuerunt: *Dividatur et recitetur Responsorium prout in precibus.* Die 6 septembr. 1834. *In Lauretana.*

512. Officium dedicationis Ecclesiae particularis quod ritu annuali cum octava celebratur, debet ne tam privatim quam publice inchoari a primis vesperis pridie dedicationis cum matutino eiusdem festi, vel incipere tantum consecratione Ecclesiae facta, idest circumcirciter ad horas minores? Resp. *Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam, et a Clero tantum servitio Ecclesiae strictim addicto.*

513. Pontificale Romanum expresse innuit quod pridie dedicationis Ecclesiae Matutinum cum Laudibus canendum sit (ac proinde recitandum pro private dicentibus) de Sanctis, quorum reliquiae reconduntur in vase ante fores ecclesiae posito. Illud officium obligatne sub gravi? Numquid eo die duplex recitandum est, unum de Sanctis, alterum de dedicatione? Resp. *Officium de dedicatione. Vigilia iuxta Pontificale ante reliquias.* S. Rit. C. die 23 maii 1835. *In Gratianopolitana*, ad 1. et 2.

Alia videnda sub numeris 27. 118. 122. 231. 245. 550. 699. 798. 799. 824. 833.

CAPUT VII. — DE BENEDICTIONIBUS

514. Caeremoniarum Magister Oppidi Pertiae Eugubinae Dioecesis humiliter S. R. C. supplicavit declarari, in quanam parte Altaris a Celebrante absque Diacono, et Subdiacono sit canendum Evangelium pro benedictione solemni Palmarum?

Et S. eadem Rit. C. *In cornu Epistolae* respondit: die 27 aprilis 1697. *Eugubina.*

515. *Pro die* 2 *Februarii.* Celebrans dum accipit a digniore ex Clero (qui debet esse sine stola, ut per infra cit. Decr.) suam candelam, stare debet in suppedaneo, vulgo *pradella*, dignior vero infra,idest in gradu proximiori suppedaneo (et hic advertendum, non posse Diaconum facere Officium dignioris, etiamsi esset Sacerdos,cum in eo Officio sit Minister Celebrantis, ita P. Merati, et alii) nec ipse Celebrans debet tunc osculari manum dignioris, sed tantum candelam.

Ipse vero dignior accipiendo a Celebrante suam candelam debet genuflectere in suppedaneo, et osculari ultra candelam etiam manum eius, iuxta Decretum S. Rit. C. 14 februar. 1704 *in una Ord. Capucinor. Galliae* ad 6, ut facere tenentur reliqui. Dignior vero in Ecclesiis Cathedralibus, et Collegiatis non tenetur genuflectere, nec osculari manum Celebrantis, ita neque reliqui Canonici. Secus dicendum de Beneficiatis, seu Mansionariis, Clericis etc., qui omnes tenentur genuflectere, et osculari, etc. *Caeremoniale Episc.* lib. 2. cap. 18.

Si tamen Dignior ex Clero, a quo Celebrans accipit candelam, sit Superior Conventus, seu Ecclesiae, ut Parochus, etc., qui ob aliquam rationabilem causam non benedicat candelas: accipiendo a Celebrante suam candelam neque genuflectit, neque Celebrantis manum osculatur, sed tantum candelam. *Ita Merati, et alii.* Idem dicendum in distributione

Palmarum, seu ramorum olivarum, et respective in impositione Sacrorum Cinerum.

516. Petierunt Archiepiscopus, et Episcopi Provinciae Cameracen. declarari: An Abbates, Priores, Guardiani, Rectores Societatis Iesu, aliique Superiores Regulares, qui ex privilegio possunt benedicere vestes sacras, reconciliare Coemeteria, et similia,possint ea benedicere non solum pro Monasteriis,et Ecclesiis propriis,sed etiam pro aliis promiscue,et indistincte.

Et S. C. respondit: *Abbates, Priores, Guardianos, Rectores Societatis Iesu, et alios quoscumque habentes privilegium benedicendi vestes sacras,reconciliandi Coemeteria, et similia, dicto privilegio uti non posse, nisi in his rebus, in quibus Sacra Unctio non adhibetur, et pro servitio dumtaxat Monasteriorum, et Ecclesiarum propriarum.* Die 13 martii 1632. *Cameracen.*, et 16 maii 1744. *Tirasonen.* ad. 3.

517. *Aqua benedicta singulis saltem hebdomadibus renovetur.* Caerem. Episc. lib. 1. cap. 6. num. 2. Et hoc etiam innuere videtur Missale Romanum.

518. An fas sit Parochis uti in collatione Sacramenti Baptismatis aqua, cui privatim, et separatim, et non in ipso actu benedictionis Baptismalis infusa fuerint Olea Sacra?

Et S. C. censuit rescribendum: *Parochi, qui ante Fontis Benedictionem Olea Sacra recipere non potuerunt,illa subinde privatim, ac separatim in aquam mittere poterunt.* Et ita declaravit, die 12 aprilis 1775. *Lucana.*

519. An Benedictio publica Sacrorum Cinerum prima die Quadragesimae facienda fieri possit post Tertiam?

Et S. Rit. C. censuit respondendum: *Servandas esse Rubricas* (idest fieri debere post Nonam).Die 22 ianuarii 1701. *Congreg. Montis Coronae*, ad 4.

520. Ubi populus laboriosis operibus intentus solemnis Cinerum benedictionis tempus expectare nequeat, nihil est quod vetet, summo mane per aliquem Sacerdotem privatim Cineres benedici, ut pro temporis opportunitate votis populis satisfieri valeat. Id fieri auctores laudant, et communis probat Ecclesiarum praxis. Haec autem privata benedictio fiet per consuetas, Orationes, et aspersionem aquae benedictae, omissis iis, quae ad maiorem solemnitatem spectant, veluti Antiphonam *Exaudi*, incensationem, et Antiphonam *Immutemur*. P. Cavalieri, tom. 4. decr. 23. cap. in Ord. 215.

521. An quoties fit aqua benedicta, toties sal exorcizandus, vel adhiberi possit iam in huiusmodi functione exorcizatus, et in hunc finem servatus, conformiter Rituali Romano Pauli V de Baptismo administrando?

Resp. *Negative quoad primam partem, Affirmative quoad secundam.* Et ita declaravit S. Rit. C. die 8 aprilis 1713. *Lausanen.* ad 3.

522. An aspersio Aquae benedictae in Dominicis diebus fieri debeat per Celebrantem, non obstante contraria consuetudine?

Resp. *Fieri debere per Celebrantem, et non per alium, non obstante contraria consuetudine.* S. Rit. C. 5 iulii 1631. *Turritana*, ad 1.

523. Potest ne Episcopus vel per seipsum, vel per alium Sacerdotem benedicere Oratorium Monialium s. Augustini, quae, destituto earum Conventu, vitam degunt in quadam domo, ut possint Sacramenta Confessionis, et Sacrae Eucharistiae recipere, cum absque clausura vivant?

Resp. *Negative, cum Oratoria privata nunquam benedicantur ritu praescripto in Rituali Romano pro publicis Oratoriis.* Atque ita statuit, et decrevit, die 11 martii 1820. *Civitaten.*

Ratio est, quia Oratoria illa' privata non perpetuo Deo devoventur, sed pro libito illius, qui gaudet huiusmodi indulto ab Apostolica Sede obtento; et satis est, si huiusmodi Oratoria, antequam Sacrificium Missae in iis celebretur, aqua benedicta aspergantur, et super illa recitetur communis, et generalis precum formula quam pro nova benedicenda domo Rituale Romanum proponit. *Ibi ad calcem Rescripti in adnotationib.*

524. Patre Iosepho Maria a Turribus Ordinis Capucinorum supplicante demisse S. Rit. C. declarare. *Primo:* An Cruces Altarium, seu Processionum sint benedicendae de praecepto? *Secundo:* An, si non sint de praecepto, possit simplex Sacerdos eas benedicere private, et non solemniter?

S. eadem C. censuit respondendum ad 1. *Negative.* Ad 2. *Affirmative.* Et ita declaravit, die 12 iulii 1704. *Urbis.*

525. An, quando post aliquam Sacrae Crucis expositionem, vel Processionem reponitur, benedicendus sit populus cum ipsa, ut nonnulli in hac Provincia practicant?

Resp. *Affirmative.* Et ita declaravit, et servari mandavit, die 15 septembris 1736. *Brixien.*

526. An signa, seu campanae pro indicandis horis in horologiis publicis possint benedici eadem formula, qua ex Pontificali Romano benedicuntur signa Ecclesiarum?

Resp. *Negative, praeterquam in casu, quod, eadem signa nedum pro horarum indicatione pulsanda sint, verum etiam pro sacris actionibus.* S. Rit. C. 17 sept. 1822. *Dubiorum*, ad 2.

527. An sint damnandae benedictiones populo cum Reliquiis Sanctorum in fine singularum Processionum fieri solitarum cum dictis Reliquiis a Capitulo?

Resp. *Servetur solitum*. S. Rit. C. 16 decembr. 1766. *Lauretana*, ad 5.

528. Si Mulier (quae vult nubere) esset vidua , debetne omitti Missa pro sponso, et sponsa, ut omittendae sunt benedictiones infra eam descriptae post Orationem Dominicam, et *Ite Missa est?*

Resp. *Si Mulier est vidua non solum debet omitti benedictio Nuptiarum, sed etiam Missa propria pro sponso et sponsa*. S. Rit. C. 3 martii 1761. *Aquen.* ad 4.

529. Cum Curatus, et homines Loci Villaefranchae in Dioecesi Astensi a fundamentis eorum Ecclesiam Parochialem aedificaverint, illamque quamprimum consecratam, seu dedicatam in honorem B. Mariae habere cupiant: Quia tamen quaedam aedificia vetusta illi adhaerent, quae sine periculo ruinae perforari minime possunt,ad hoc ut iuxta formam praescriptam in Libro Pontificali *de Consecratione Ecclesiae* undique circumdari possit, preces in S. Rit. C. porrexerunt pro licentia Episcopo concedenda ut dictam Ecclesiam consecrare valeat etiamsi illam undique circumdare minime possit?

Eadem vero S. Rit. C. *discretioni, et prudentiae Episcopi remittendum censuit, ut dictam Ecclesiam consecrare possit, et valeat, etiamsi illam undique ob praedicta impedimenta circumdare non valeat, dummodo ab ea parte, quae circumdari potest, circumdetur, et quantum fieri potest,et licet, ritus, et caeremoniae in libro pontificali praescriptae in consecratione dictae Ecclesiae serventur, et adhibeantur*. Et ita censuit, et declaravit,die 27 septembr. 1608. *Astensi.*

530. Beatissimo Padre : Il Canonico Bonaventura Bernardi Vicario Capitolare della Diocesi di Carpi nel Modenese, Oratore umilissimo della Santità Vostra con ogni venerazione rappresenta, qualmente, essendo state di passaggio per quella Città le truppe Austriache, han fatto la loro stazione in diverse Chiese di quella Città, fra le quali tre consecrate. Vi hanno i soldati dormito, vi hanno fatto fuoco, ed in alcune hanno rotto gli Altari, e vi hanno in altre tenuto ancora de' cavalli,servendosene per ogni uso,come fa la truppa. Il Vicario pertanto Oratore ricorre ai piedi della S. V. acciò voglia degnarsi dargli le opportune istruzioni, e facoltà, onde poter benedire simili Chiese, e non ritardarsi a riaprirle per comodo de' Fedeli. Che, ecc.

Ex audientia SS. 3 martii 1821. *Sanctissimus Vicario Capitulari Oratori facultatem concedit, sive per se, sive per alios Sacerdotes ab eo specialiter deputandos reconciliandi Ecclesias consecratas, de quibus in precibus servato ritu*

a Pontificali Romano praescripto, adhibitaque aqua per Catholicum Episcopum benedicta. Ecclesiae autem simpliciter benedictae ab eodem Vicario, vel a Sacerdotibus per eum designandis reconciliari poterunt iuxta formam a Rituali Romano traditam. Quo vero ad altaria cum integra lapidea mensa, quoties fractura sit enormis, mensa omnino renovanda, et ab Episcopo consecranda erit, secus licebit super iis celebrare, non obstante levi fractura in uno, vel altero cornu. Reliqua autem Altaria sacrato tantum lapide instructa, si lapis iste integer sit, violata minime censenda sunt, ac ubi primum reparationes, quibus indigeant, expletae fuerint, ad sacra mysteria peragenda apta erunt. Caeterum Vicarius Orator in Ecclesiarum reconciliatione exequenda prudenter se gerat, eamdemque private, et absque populi concursu fieri curet. Die, et anno ut supra.

531. Dum in Dioecesi Ulysbonen. quidam Suffraganeus Archiepiscopi, et de eius ordine, et mandato Ecclesiam quamdam in ipsa Ulysbonen. Dioecesi sitam consecrare inceperit cum omnibus caeremoniis descriptis in Pontificali Romano *De Ecclesiae Dedicatione, seu Consecratione*, et circa medium Consecrationis improviso accidenti correptus Episcopus defecerit, et Consecrationem Ecclesiae perficere non potuerit, pro parte ipsius Archiepiscopi Ulysbonen. a S. Rit. C. quaesitum fuit, an ab alio Episcopo Ecclesiae praedictae incepta consecratio continuanda sit, vel potius de novo inchoanda?

Eadem S. Rit. C. auditis sententiis, et votis singulorum Illmrum, et Rmrum DD. Card. in Congregatione praesentium, considerando quod Consecratio Ecclesiae maxime consistit in inungendis sacro Chrismate duodecim Crucibus per Ecclesiam, et in proferendis illis verbis: Sanctificetur, et consecretur hoc Templum in Nomine Patris et Filii, et Spiritus Sancti: *Quae Cruces cum adhuc ab Episcopo, qui in Consecratione defecit, non fuerint inunctae, ut in facto praesupponitur, censuit, et iudicavit:* Consecrationem dictae Ecclesiae de novo, et a principio ab aliquo Episcopo inchoandam, et continuandam esse usque in finem. *Et ita declaravit, die* 12 *aprilis* 1614. *Ulysbonen.*

532. An Benedictio cum Indulgentia Plenaria iuxta Constitutionem Benedicti XIV *Pia Mater* 5 aprilis 1747 impertienda sit pueris, qui defectu aetatis primam Communionem nedum instituerunt? Resp. *Affirmative.* Atque ita S. Rit. C. servari mandavit, die 16 decembr. 1826. *Gandaven.*

533. Clericis Regularibus Minoribus Neapolis petentibus, an

ad ipsos, ad quos spectat in maiori hebdomada divinorum actio, an vero ad hebdomadarios exercentes in eadem Ecclesia curam animarum fontis benedictio pertineat?

Et S. C. respondit: *Benedictionis huiusmodi solemnia spectare ad Celebrantem, praesentibus tamen hebdomadariis curam animarum inibi exercentibus*. Die 12 martii 1661. *Neapolitana*. Insuper: dum benedictionem ipsam fontis baptismalis Caeremoniale Episcoporum committit Canonicis, non Cathedralis Parocho, idipsum fore de functionibus reliquis huiusce tridui (velut etiam Palmarum, Cinerum, et Candelarum in festo Purificationis B. M. V.), quae ad Officium Parochi minus relationis habent, a fortiori indicat, et consequenter etiam ad Regulares spectare in Ecclesiis, quae simul sunt Regulares, et Parochiales. Nec substitui potest alia Missa privata; nam etsi ea Ecclesia aequivalenter sit multiplex, una dumtaxat reapse est, ac proinde unica tantum Missa conventualis cum officio celebrari valet. Decretorum namque intentio est, ut in Parochialibus Ecclesiis non praetermittantur eiusmodi functiones, a quocumque fiant, et non quod multiplicentur, si forte eidem Ecclesiae aliunde ius item competat. *Cavalieri, tom. 4. cap.* 21. *decr. in Ord.* 344.

534. An Benedictio aquae in Sabbato Sancto sine infusione Olei Sancti fieri possit in Ecclesiis non habentibus fontem Baptismalem? S. Rit. C. respondendum censuit: *Negative*. Et ita decrevit, et declaravit die 13 iulii 1697. *Ianuen*.

535. An in expositione SS. Sacramenti, cantatis versiculis *Panem de Coelo* etc. Sacerdos ministrans insurgens debeat reiterare genuflexionem, antequam recitet orationes? Et S. Rit. C. respondit: *Genuflexionem non esse iterandam*. Die 2 augusti 1698. *Urbis*. Et 6 sept. eiusdem anni. *Ravennaten*.

536. Indulta a S. Rit. C. die 7 iulii 1759 Rmo Episcopo Calaguritano, et Calceaten. facultate subdelegandi eius Vicarios Generales, Dignitates, Canonicos, Parochos, aliosque Sacerdotes pro benedictione sacrae suppellectilis, in qua sacra unctio non adhibetur, dubitatum fuit ab eodem Rmo Episcopo: An illi, quibus dicta facultas delegata fuit, benedicere possent Imagines D. N. I. C., B. M. V., aliorumque Sanctorum, Tabernaculum, in quo asservatur SS. Eucharistiae Sacramentum, Pixidem, et generaliter omne illud, in quo sacra unctio non adhibetur. Propterea idem Rmus Episcopus iterum S. Rit. C. supplicavit quatenus ad omnem scrupulum amovendum declarare dignaretur: An in Indulto iam sibi concesso comprehenderetur facultas subdelegandi sacrarum Imaginum, aliarum-

que praedictarum rerum benedictionem? Sin minus nova facultas ad hunc effectum sibi necessaria concederetur.

Et S. C. eidem Rmo Episcopo *indulsit per viam novae declarationis eamdem facultatem subdelegandi benedictionem omnium quarumcumque ad divinum cultum spectantium, in quibus sacra unctio non adhibetur.* Die 27 maii 1760. *Calaguritana, et Calceaten.*

537. Praelati Regulares omnia, et singula suorum Ordinum Ecclesias, Coemeteria, Capitula, et Oratoria ubicumque existentia, tam recepta, quam recipienda solemni benedictione benedicere valent, et idipsum possunt alii Fratres eorumdem Ordinum, qui ad hoc in Capitulis Generalibus fuerint deputati. *Leo X Constit.* Religionis suadet honestas, 3 *februarii* 1514. *Cavalieri, tom. 4. cap.* XI. *decr. in Ord.* 190.

538. In benedictionibus candelarum, cinerum, et palmarum dicit rubrica Missalis *ter aspergit . . . . aqua benedicta . . . . ter adolet incenso*, et sic legitur in Caeremoniali Episcoporum. Nihil autem dicitur an praedictae aspersiones, sicut et aspersio, quae fit diebus Dominicis, faciendae sint per modum Crucis ut praescribitur in Rituali Romano pro benedictione mulierum post partum, an alio modo. Similiter in iis locis, sicut et in thurificatione Sacramenti expositi, Crucis, Reliquiarum, Altaris, et Evangelium in Missa solemni nihil dicit rubrica an tres thuribuli ductus debeant esse simplices an duplicati. Quaeritur quomodo facienda sit tam aspersio quam thurificatio, quum praxis videatur arbitraria? Resp. *Serventur rubricae et praxis communis.* S. Rit. C. die 12 novembr. 1831. *In una Marsor.* ad dub. 38.

539. An standum sit Missali Romano in benedictione Fontis peragenda in Sabbato Sancto seu potius consuetudini, nimirum prius aquam in aliquo vase separato benedicere, et antequam infundatur Chrisma ex illo aquam ipsam extrahere, et mittere in fontem? Resp. *Ex speciali gratia servari posse.* S. Rit. C. die 7 april. 1831. *In una Massae Populoniae*, ad 2.

An ritus et formula dandi benedictionem Apostolicam cum Indulgentia plenaria post Missam solemnem iuxta formulam praescriptam Episcopis substitui possit ritui et formulae dandi benedictionem solemnem iuxta Caeremoniale Episcoporum dicto *Placeat*, adeo ut dicto *Placeat* omissa benedictione solemni, impertiri possit benedictio Apostolica ut supra? Resp. *Negative.* S. Rit. C. die 23 maii 1835. *In Alexandrina.*

Alia videnda sub numeris 6. 7. 12. 33. 60. 126. 227. 228. 229. 234. 247. 542. 693. 758. 844.

540. Petrus Mexia Ecclesiae Pacensis Canonicus S. Rit. C. exposuit, quod cum Canonici, et Capitulum soleant singulis diebus Dominicis, et aliis quibusdam festivitatibus per annum post Horam Tertiae Processiones quasdam intra Ecclesiam facere; dum ante Altare SS. Sacramenti transeunt ex inveterata consuetudine seu potius abusu non genuflectunt, sed tantum caput inclinant. Ipse vero Orator ob reverentiam tanti Sacramenti usque ad terram genuflectit. Caeteri Canonici id aegre ferentes ipsum ob hoc tamquam inveteratas Ecclesiae consuetudines servare nolentem mulctare praetendunt, quare petit, an id licite facere possint?

Sacra praedicta Congregatio respondit: *Non solum non licere Canonicis, qui non genuflectunt ante SS. Sacramentum, mulctare eos, qui genuflectunt, quin potius ipsi non genuflectentes ab illis, qui genuflectunt, mulctandi essent, cum omnes Fideles ante SS. Sacramentum transeuntes genuflectere teneantur. Et ita per omnes Canonicos dictae Ecclesiae Pacensis in futurum servari, non obstante quacumque eorum praetensa in contrarium consuetudine, quam corruptelam potius, et abusum esse declaravit.* Eadem S. C. praecepit, et mandavit, die 14 decembr. 1602. *In Pacensi.*

541. An liceat non habentibus usum pluvialis in die, et infra octavam Corporis Christi peragere Processionem cum SS. Sacramento, et illud sine pluviali exponere?

Resp. *Negative quoad primam partem, et quoad secundam non posse cogi, idest in expositione SS. Sacramenti.* Et ita respondit, et declaravit S. Rit. C. 22 ianuar. 1701. *Congregationis Montis Coronae*, ad 5.

542. Cum S. Rit. C. Caeremonialis Episcoporum dispositioni inhaerens regulam edixerit die 11 maii 1662 elargiendi semel tantum populo benedictionem in fine Processionis Corporis Christi, hanc eamdem in Ordine Divini Officii pro Cathedrali et Dioecesi Volaterrana illius Rmus Antistes pro exacta liturgicarum rerum observantia inserendam, et cudendam iussit.

Veruntamen cum contraria vigeat ea in Civitate, et Dioecesi perantiquissima consuetudo, ut quoties Ecclesiae, sive Altaria occurrant per viam, toties ibidem et supplicatio sistat, et populus impertita Benedictione dimittatur: Hinc S. Rit. C. supplex adiit, postulans, an potius praedicto S. Rit. C. decreto, quam consuetudini sit in posterum inserviendum?

Et S. eadem C. respondendum censuit *iuxta votum: Non*

obstante decreto inserto in Ordine Divini Officii recitandi, vetustissimam consuetudinem tolerari posse, eo tamen modo, ut saltem servetur regula Caeremonialis, quod non toties pausatio fiat, et Benedictio elargiatur, quoties Altaria occurrant, sed semel, vel iterum, et Altaria per viam extructa sint decenter ornata, et a probo Caeremoniarum perito prius auctoritate Episcopi visitata. Atque ita respondit, die 23 septembr. 1820. *In Volaterrana.*

543. Pro parte Rmi Episcopi Salutiarum: An Canonicus deferens SS. Sacramentum in Processione, quae fieri solet cum magno concursu populi qualibet tertia Dominica cuiuslibet mensis, debeat incedere indutus Pluviali, et an sufficiat simplex stola super Cappam?

Resp. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.* S. Rit. C. die 18 decembr. 1784. *Salutiarum*, ad 1.

544. An in Processionibus SS. Sacramenti, quae occasione XL Horarum fiunt a Regularibus per Ecclesias, debeant iidem Regulares processionaliter incedentes ante Sacramentum in occursu, et transitu a latere eiusdem genuflexionem facere?

Resp. *Affirmative dummodo in transitu videatur.* S. Rit. C. 1 martii 1681. *Ordinis Canonic. Lateranen.* ad 8.

545. An in Processionibus Candelarum, Palmarum, et similium, quae fiunt per Ecclesias sine SS. Sacramento, si occurrat transire ante Altare, ubi occasione Missae fiat Elevatio SS. Corporis Christi, genuflectendum sit; et an ibi morandum donec depositus fuerit Calix?

Resp. *Non pulsandam campanulam, quod si pulsetur, et advertatur Elevatio, v. g., Corporis Christi, tunc genuflectendum utroque genu a transeuntibus ante Altare, ubi Missa celebratur, et deposito Sacramento progrediendum: similiter si alii transeant in Elevatione Calicis.* Et ita declaravit S. Rit. C. die 1 martii 1681. *Ord. Canonicor. Lateranen.* ad 9.

546. S. Rit. C. sollicite animadvertens, quod pia Fidelium consuetudo associandi Processiones, quae fiunt in Urbe infra hebdomadam Corporis Christi per pueros utriusque sexus, repraesentantes varia Sanctorum Martyria, et Mysteria, non solum Christi Fidelium non augeat pietatem, imo a debita adoratione Sanctissimi mentes populi distrahat: ideo iidem Eminentissimi decreverunt, in posterum prohibendum esse, *ne dicti pueri, puellaeque ut supra aliquo modo admittantur.* Et ita servari mandarunt, et debitam executionem, cui de iure, commiserunt, die 5 martii 1667. *Urbis.*

547. Frater Franciscus Iannucius Ordinis Minorum Conventualium petiit assignari sibi locum in Processionibus, quando ad eas vocetur uti persona privata.

Et S. C. respondit: *Regularem debere incedere sub Cruce Monasterii sui Ordinis, alias abstinere debere.* Die 20 augusti 1639. *Sutrina.*

548. Quando Litaniae, et Processiones s. Marci occurrunt in Dominica Resurrectionis D. transferendae sunt in feriam tertiam sequentem. S. Rit. C. 25 septembr. 1627. *Urbis.*

549. In Missa Litaniarum sive Maiorum, sive Minorum non est dicendum *Credo*, etiamsi occurrat in die Dominico vel alio festo classico, quia est Missa ferialis. S. Rit. C. 25 septembr. 1688. *Mutinen.*

550. Ab iis, qui non intersunt Processionibus, nequeunt Litaniae anticipari die praecedenti post recitatum Matutinum cum Laudibus, sed recitari debent eadem die, in qua cadunt. S. Rit. C. 28 martii 1775. *Urbis Ordin. Minor. Observ. s. Francisci.*

551. An Regulares valeant supplicationem ducere usque ad Crucem, quae erecta reperitur extra Conventum, licet publica adsit via intermedia?

Resp. *Affirmative.* S. Rit. C. 15 martii 1698. *Cusentina.*

552. In Processionibus, in quibus defertur SS. Sacramentum, vel Lignum SS. Crucis, tam Clerus, quam Saeculares detecto capite incedere debent: in aliis vero Processionibus, in quibus deferuntur Reliquiae, vel Statuae Sanctorum, tunc qui eas deferunt detecto capite, alii vero Clerici possunt incedere tecto capite cum bireto. S. Rit. C. die 1 decembr. 1657 *in Firmana*, 25 sept. 1688 *Caietana*, et 18 iun. 1689 *Caietana.*

553. *Consuetudo deferendi Reliquiam SS. Crucis manibus opertis cum velo a spatulis pendente potest retineri.* Ita declaravit S. Rit. C. die 16 septembr. 1741. *Bracharen.*

554. Quaeritur, num Lignum SS. Crucis, et Sacrae Spineae Coronae D. N. I. C., dum a Capitulo Gadicensi in eorum festivitatibus processionaliter portantur ex inveterata eiusdem Ecclesiae consuetudine sub baldachino, et cum duorum thuribulorum incensatione conduci, et portari debeant?

Et S. Rit. C. audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris censuit rescribendum: *Lignum SS. Crucis, et Spinas Coronae D. N. I. C. ubi adest immemorabilis consuetudo licitum est capite aperto sub baldachino processionaliter deferre easdem Reliquias, incensantibus duobus thuriferariis.* Et ita declaravit, die 26 augusti 1752. *Gadicen.* ad 5.

555. Presbyterum deferentem Reliquias incedere debere detecto capite, Episcopum vero cum Mitra. S. Rit. C. 22 ianuar. 1639. *In Conchen.* ad 1.

556. Crux in Processione deferenda converti debet ad populum, qui antecedit, non autem ad deferentem, et Clerum. S. Rit. C. 18 maii 1675. *Iadren.*

557. An Sacra Imago, seu Statua B. M. V. deferenda sit sub baldachino? Resp. *Sacram Imaginem non esse deferendam sub baldachino.* Ita declaravit, et decrevit S. Rit. C. 22 augusti 1744. *Ripana*, ad 2.

558. Reliquiae Sanctorum, quae deferuntur in Processionibus per Civitates, et Oppida, non debent deferri sub baldachino. S. Rit. C. 23 martii 1685. *In Calaguritana.*

559. Cum quidam abusus inoleverit in Terra Castelletto supra Ticinum Dioecesis Novariensis, deferendi in publicis supplicationibus, quae a Confraternitate inibi instituta sub invocatione SS. Sacramenti, et Rosarii peraguntur, Reliquias ss. Fabiani, et Sebastiani Martyrum, ac s. Rochi Confessoris sub baldachino in solemnitatibus eorumdem Sanctorum per Oppidi vias, Emus et Rmus Episcopus Novariensis (Cardinalis Morotius), instante R. Praeposito, et Parocho dicti Loci abusum huiusmodi eliminandum prorsus esse edixit decreto lato die 31 maii 1820, quo cavit, ne in posterum dictarum Reliquiarum delatio sub baldachino fieri liceret.

Cumque se in vim huius decreti gravatos arbitrarentur Confratres, supplicem S. Rit. C. de eiusdem Cardinalis Episcopi consensu libellum porrexerunt, efflagitantes manutentionem in asserta consuetudine.

Et Emi PP. eidem S. C. Praepositi mature perpensis et sodalitatis abusum pluries ab hac S. C. improbatum, laudabilemque inhibitionem Emi, et Rmi Cardinalis Episcopi, ad preces sic ut supra porrectas referente Emo, ac Rmo D. Card. Iulio Maria de Somalia Episcopo Ostiensi, et Veliternen. S. Rit. C. Praefecto, loco Emi Quarantotti defuncti, rescribendum censuit: *Oratores pareant decreto Emi Episcopi*, die 23 sept. 1820. *Novarien.*

560. Quia in Processione SS. Sacramenti, quam facit Parochialis Ecclesia s. Mariae de Gambio Terrae Saracenae, Cassanen. Dioecesis in die Dominico infra Octavam Corporis Christi, Episcopus decrevit, ut ea non possit duci intra limites alterius Parochiae s. Leonis sine licentia Parochi s. Leonis, orta controversia super validitate et executione dicti decreti Episcopalis, eaque deducta in S. Rit. C. Eminentissimi mandarunt *ser-*

vari solitum, et decreta alias edita ab eadem S. C. non obstante novissimo decreto Episcopi. Die 20 iunii 1654. *Cassanen.*

561. Cum expositum sit, quod duo adsunt Parochiales in Oppido Ripularum, Taurinensis Dioecesis, altera sub invocatione s. Mariae de Stella spectans ad Capitulum Collegiatae in eadem Ecclesia erectae, altera sub invocatione s. Martini, et haec est Plebania. In solemnitate SS. Corporis Christi Capitulum dictae Collegiatae facere solet Processionem, et in die Dominica infra octavam illam facit Plebanus s. Martini.

Cumque annis elapsis Capitulum praetenderet, dictum Parochum, seu Plebanum s. Martini, ne faceret Processionem: Rmus Archiepiscopus Taurinensis ei impertitus fuit licentiam illam faciendi. Sed Capitulum non acquiescens habuit recursum ad Rmum Nuncium, qui protulit sententiam ad favorem Plebani s. Martini faciendi Processionem dicto die Dominico, etiam extra limites suae Parochiae.

Devoluta causa ad S. Rit. C. pro declaratione, an Rmus Archiepiscopus, et Nuncius bene processerint, decernendo licuisse, et licere eidem Plebano s. Martini facere Processionem. Eadem S. Rit. C. ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Casanate utraque parte hinc inde audita, et informante censuit: *Posse Episcopum concedere licentiam ingrediendi limites alienae Parochiae pro ea tantum parte, quam ad decentem circuitionem Processionis iudicaverit expedire.* Et ita declaravit, atque decrevit. Die 11 ianuarii 1681. *Taurinen. Processionis.*

562. Clerus Terrae Palenae Sulmonensis Dioecesis declarari petiit, an Fratres de Observantia possint abstineri a Processionibus generalibus ea ratione, quod deferens Crucem Cleri Saecularis sit laicus non tonsuratus?

Et S. C. respondit: *Crucem Cleri Saecularis omnino deferendam esse a Clerico cotta induto, et contrariam consuetudinem esse abusum.* Die 12 iunii 1660. *Sulmonen.*

563. Guardianus Minorum Conventualium supplicavit praecipi, quod Regulares in publicis Processionibus incedant per se sub propria Cruce, et nullo modo mixtim alterum Ordinis Conventualis, alterum Observantiae.

Et S. C. respondit: *Minores Conventuales debere incedere separatim sub propria Cruce, et nullo modo mixtim cum Observantibus.* Die 11 maii 1641. *In Nolana.*

564. Cum in publicis Processionibus, quae in Civitate Neapolitana fiunt, orta fuerit differentia inter Clerum Ecclesiae Archiepiscopalis, et Canonicos Regulares Lateranenses s. Petri ad Aram eiusdem Civitatis circa delationem Crucis sine

aliquo velo, seu pallio appenso, vel cum velo, seu pallio praedicto, sicut solent Regulares deferre: et Vicarius Generalis ordinaverit dictis Canonicis Regularibus s. Petri ad Aram, ne Crucem discoopertam sine velo, seu pallio appenso in dictis Processionibus deferre, seu portare praesumerent, sicut defert, et portat solus Clerus Saecularis, et Capitulum, et Canonici Ecclesiae Archiepiscopalis, sed cum velo seu pallio ad Crucem appenso ut solent portare omnes Regulares, quando ad publicas Processiones accedunt, et prout etiam ipsi Canonici Regulares Lateranenses alias in similibus Processionibus portaverunt. Dicti vero Canonici Regulares super praemissis recursum habuerunt ad S. Rit. C. pro huiusmodi declaratione, an scilicet eorum Crucem cum velo, vel sine velo appenso in dictis publicis Processionibus deferre debeant in Civitate Neapolitana praedicta?

Et cum negotium hoc fuerit ab eadem S.C. commissum Illmo, et Rmo D. Card. Sabello, visis, et auditis iuribus per utramque partem hinc inde deductis, et tandem audita relatione praedicti Illmi, et Rmi D. Card. Sabelli:

Eadem S. Rit. C. censuit, et declaravit: *Non licere dictis Canonicis Regularibus Lateranensibus s. Petri ad Aram in publicis Processionibus deferre eorum Crucem discoopertam, sicut defert Clerus, et Capitulum Ecclesiae Archiepiscopalis, sed debere eorum Crucem deferre in dictis Processionibus cum velo, seu pallio appenso, sicut deferunt omnes Regulares, et prout etiam ipsi Canonici Regulares Lateranenses s. Petri ad Aram alias in eadem Civitate Neapolitana cum velo appenso propriam Crucem detulerunt, et portaverunt: et ita in futurum in dicta Civitate Neapolitana servandum esse*, censuit, et declaravit, et servari mandavit. Die 14 ianuarii 1617. *Neapolitana.*

565. Super iure deferendi Crucem in publicis Processionibus in Civitate Fulginiae peragendis inter Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Cathedralis Civitatis praedictae ex una, et Capitulum Ecclesiae Collegiatae SS. Salvatoris eiusdem Civitatis ex altera, partibus, exortis controversiis, illisque ad S. Rit. C. delatis, Emus, et Rmus D. Card. Sacripantes Ponens infrascriptum dubium declarandum proposuit:

An Ecclesiae Collegiatae SS. Salvatoris Fulginei liceat in Processionibus, in quibus intervenit Capitulum Cathedralis, deferre propriam Crucem in casu, etc.?

Et S. eadem C. utraque parte scripto, et voce informante audita, visisque iuribus hinc inde deductis, ad relationem prae-

fati Emi Ponentis rescribendum censuit: *Negative*. Et ita decrevit, et servari mandavit. Die 4 septembr. 1756. *Fulginaten.*

566. Communitas Strambini petiit declarari verba illa Ritualis in titulo *de Processionibus: Laici a Clericis, Foeminae a viris separatae orantes prosequantur*, an intelligenda sint, quod foeminae omnis generis tam nobiles, quam ignobiles post viros tam nobiles, quam ignobiles postsequantur: foeminas nobiles praetendentes immediate post viros nobiles incedere. Et S. C. respondit: *Rituale requirere, ut in Processionibus post Clerum viri a foeminis separatim incedant: caeterum quoad locum, et modum eundi nihil statuisse*, die 31 maii 1642. *In Hipporegien.*

567. Delatis ad S. Rit. C. a Canonicis Cathedralis Ecclesiae s. Severi controversiis super usu explicandi Cappam magnam usque ad talos, tam in adoratione s. Crucis in feria 6 maioris hebdomadae, quam in Processionibus Poenitentiae, et in associatione cadaverum defunctorum Episcoporum, et Concapitularium, a Promotore fiscali illius Curiae Episcopalis excitatis, Emus, et Rmus D. Card. Tanarus infrascripta dubia inter partes concordata declaranda proposuit:

Primo: An liceat Capitulo Ecclesiae Cathedralis s. Severi in adoratione s. Crucis, quae peragitur in hebdomada maiori, incedere Cappis extensis usque ad talos? et quatenus affirmative:

Secundo: An eidem Capitulo liceat itidem incedere in Processionibus Poenitentiae, quae fieri contingant, et in associatione cadaverum Concapitularium, et Episcopi Ordinarii in casu, etc.?

Et S. eadem Rit. C. utraque parte scripto, et voce informante audita, visisque iuribus hinc inde deductis, rescribendum censuit: Ad 1. *Affirmative*, Ad 2. *Negative*. Et ita declaravit, et servari mandavit. Die 4 septembr. 1745. *S. Severi.*

568. In Processione SS. Sacramenti, dum transitur ante Altare, in quo est in Tabernaculo SS. Sacramentum, non fit genuflexio, quia ipsummet defertur, et omnes sunt in actuali Sacramenti servitio et adoratione. *P. Merati*, p. 2. tit. 14. n. 4.

569. Beatorum Reliquiae in Processionibus minime circumferantur. S. Rit. C. 27 septembr. 1659. in Decr. generali num. 11. coram Alex. VII. Possunt tamen exponi in Altari. Clemens XI Const. 82. num. 11.

570. Num Episcopus possit cogere Monachos, ut accedant ad Processiones, quae fieri solent pro Rogationibus, ad quas numquam accesserunt?

Resp. *Non esse ullo modo cogendos accedere nisi ad Processionem SS. Sacramenti iuxta antiquam eorum consuetudinem.* S. Rit. C. 10 iunii 1602. *In Placentina.*

571. Procurator Generalis s. Augustini Fratrum Discalceatorum supplicavit declarari, iuxta eorum solitum non teneri accedere ad Processionem die octava Corporis Christi, sed solum in ipsa die Corporis Christi.

Et S. C. respondit *ad ipsorum favorem, et ideo non posse cogi ab Ordinario in die octava.* Die 9 decembr. 1638. *Meliten.*

572. Proposito in S. Rit. C. supplici libello, eadem S. C. censuit *servandam esse dispositionem Caeremonialis Episcoporum, ut nempe in Processionibus ante Regulares incedant Confraternitates Laicorum quos sequantur iidem Regulares: postremo digniorem locum obtineat Clerus Saecularis.* Eadem S. Rit. C. 7 augusti 1621. *Messanen.*

573. Ad dubium propositum pro parte Beneficiatorum Parochialium Ecclesiarum Hispalen. Civitatis: An scilicet in die s. Marci, in quo fiunt Processiones pro Litaniis maioribus, et in eadem Civitate processio dirigitur, et terminatur ad Ecclesiam Beato Marco dicatam, Missa ibi de Litaniis, quae dicitur secunda feria Rogationum, prout hactenus consueverunt, seu potius de s. Marco celebranda sit?

S. Rit. C. respondit: *Missam de s. Marco celebrandam esse.* Et ita censuit, et declaravit die 23 maii 1603. *Hispalen.*

574. Fratres Capucini Terrae Modogni, Dioecesis Baren. conquaesti sunt de Clero Saeculari Loci illius, prohibente eos in publicis Processionibus incedere sub propria Cruce, supplicantes provideri.

Et S. C. respondit: *Regulares in publicis Processionibus non posse prohiberi, quin incedant sub propria Cruce, etiam per limites alterius Parochiae. Et ita in casu proposito servari mandavit, non obstante contraria consuetudine.* Die 2 augusti 1631. *Baren.*

575. Stante decreto huius S. C. quod SS. Eucharistiae Sacramentum in Processione non deferatur Sacerdotum humeris, sed manibus tantum Celebrantis, fuit quaesitum: An praedictum SS. Eucharistiae Sacramentum sit deferendum manibus tantum unius, an vero plurium Sacerdotum in Terra Miniae, in qua viget etiam hodie consuetudo, quod deferatur humeris quatuor Sacerdotum?

Et S. C. respondit: *SS. Eucharistiae Sacramentum non Sacerdotum humeris, sed manibus dumtaxat illius, qui solemniter celebravit in dicta solemnitate, esse deferendum:*

et ita in Collegiata Ecclesia Terrae Miniae omnino servari mandavit. Die 24 iulii 1638. *Syracusana.*

576. Quaesivit Archiepiscopus Calaritanus:

Primo: An quando ipse in Ecclesia sua intervenit cum Cappa Processioni SS. Corporis Christi, teneatur ipsemet intortitium deferre, vel sibi ab alio Ministro deferri facere?

Resp. *In casu proposito Archiepiscopum debere intortitium sibi per Ministrum deferre facere.*

Secundo: An Canonici in huiusmodi Processione teneantur intortitia deferre, quamvis Archiepiscopus per se ipsum non deferat?

Resp. *Canonicos teneri funalia, seu intortitia deferre.* S. Rit. C. Die 2 iulii 1644. *Calaritana.*

577. An Praesidens Capituli, praesente Archiepiscopo, possit dirigere Processiones etiam sub poenis, an vero spectet ad ipsum Archiepiscopum?

Resp. *Processiones edicere, decernere, dirigere, et deducere ad Archiepiscopum pertinere, de consilio tantum Capituli, non autem de consensu.* S. Rit. C. Die 2 iulii 1644. *Calaritana.*

Decretum generale —Super Regularibus

578. Die 27 iulii 1628 habita fuit Congregatio particularis de Ordine SS. D. N. Urbani VIII, cui interfuerunt Illmi, et Rmi D. Cardinales Congregationum Sacri Concilii, Episcoporum, et Rituum, nec non Secretarii earumdem, negotioque mature discusso, unanimiter censuerunt:

Posse Episcopos poenis sibi bene visis compellere quoscumque Regulares recusantes, etiam Monachos, et quomodolibet exemptos, ad infrascriptas Processiones accedere, atque illis interesse, exceptis dumtaxat in strictiori clausura viventibus, et Monasteriis ultra medium milliare a Civitate distantibus, nempe in die festo SS. Corporis Christi, in Litaniis maioribus, in Rogationibus, et in quibusvis aliis publicis, et consuetis, vel pro bono, causa, et honore publico ab Episcopis indictis Processionibus, non obstantibus quibuscumque privilegiis, consuetudinibus, et praescriptionibus etiam immemorabilibus: Privilegiis tantum Apostolicis Sacro Tridentino Concilio posterioribus contrarium desuper disponen. minime sublatis.

Regularibus autem, et Confratribus in Ecclesiis Regularium esse permissum intra eorum Ecclesias, et Claustra tantum Processiones facere, et non extra. Si vero Ecclesiae Claustro careant, eisdem Regularibus, et Confraternitati-

bus, licere Processiones facere intra ambitum dumtaxat earumdem Ecclesiarum, hoc est prope muros Ecclesiae, sive exeundo a ianua Ecclesiae, et intrando per aliam, sive per eamdem ianuam, et semper prope muros Ecclesiae, et non extra dictum ambitum, nisi de licentia, et consensu Ordinarii, aut cum Cruce Parochi, privilegiis pariter ut supra Apostolicis contrarium disponentibus, quibus per hoc Decretum minime censeatur derogatum.

Quae resolutio fuit ab ea Congregatione approbata 21 augusti eiusdem anni 1628 in Congregatione habita in palatio Montis Quirinalis, et deinde ab eodem SS. D. N. approbata, et iussu Sanctitatis Suae observanda.

579. Supplicante Episcopo Brugnaten. in S. Rit. C. pro declaratione: An Regulares Sestri Loci suae Dioecesis teneantur accedere ad Processionem Iubilaei?

Et eadem S. C. respondit: *Teneri ad Processiones, quae fiunt ob publicam causam.* Hac die 9 iunii 1668. *Brugnaten.*

580. An in tertia Dominica mensis, in qua iuxta statuta, et consuetudinem Societatis Corporis Christi fit Processio, cantata Missa solemni de Dominica, cum commemoratione SS. Sacramenti, Celebrans, et Ministri debeant uti paramentis coloris dictae Dominicae convenientis non obstante quod sit violacei, uti in Quadragesima, et Adventu, et solum uti velo supra humeros albo: an vero post Missam exui violaceo, et albi coloris Sacramento convenientis indui, et ita in albis Processionem facere?

Resp. *Quando in casu proposito cantatur Missa de Dominica cum commemoratione SS. Sacramenti, Celebrantem, et Ministros uti debere paramentis dictae Missae coloris convenientis, et etiam posse in Processione, sed albo utendum super humeros velo.* Et ita declaravit S. Rit. C. die 9 iulii 1678. *Taggen.* ad 6.

581. In ordinario Conventu habito die 6 maii currentis anni 1826 Emi Patres fuerunt in voto, dandum esse decretum generale, quo iuxta alias resoluta caveatur, et per modum regulae ubique servandae praefiniatur, ne in posterum alicubi per quoscumque quolibet sub praetextu solemnitatis, devotionis, pietatis, privilegii, indulti, concessionis, tolerantiae, consuetudinis licet immemorabilis, quem abusum non ferendum declararunt, liceat unquam Sanctorum Reliquias processionaliter sub Baldachino circumferre: tolerari tamen posse, et permitti, quod Lignum ss. Crucis, aliaque instrumenta Dominicae Passionis peculiari horum attenta veneratione, habitaque

ratione fere universalis consuetudinis deferantur sub baldachino, dummodo tamen id fiat seorsim et disiunctim a Sanctorum Reliquiis, quibus distinctivum hoc honoris omnino non convenit, et ad me Secretarium cum Sanctissimo.

Facta igitur de praemissis omnibus, et singulis SS. Domino Nostro Leoni XII Pont. Max. relatione per me infrascriptum eiusdem Congregationis Secretarium, Sanctitas Sua S. C. sensum adprobavit, confirmavit, iussitque promulgari, et in acta S. Rit. C. referri, Locorum Ordinariis stricte praecipiens, ut eliminandis abusibus, qui irrepserint, incumbant, et decreti huius observantiam solertissime urgeant. Die 27 maii 1826. —Iulius Maria Card. de Somalia S. Rit. C. Praefectus.

582. Cum per decretum S. Rit. C. *sub die* 14 *decembr.* 1602 statuatur, ut in Processionibus, quae fiunt etiam per Ecclesiam, genuflectendum sit ab omnibus transeuntibus ante SS. Sacramentum in Tabernaculo reconditum, excipiendus semper erit deferens Crucem prout in Caeremoniali Episcoporum *lib.* 2. *cap.* 27. *num.* 7. Cum enim in Missa solemni celebrata in Altari, in quo expositum manet SS. Sacramentum, Subdiaconus post cantatum a Diacono Evangelium, dum Celebranti defert librum Evangelii deosculandum, etsi transeat ante SS. Sacramentum,huic nullam facere debet genuflexionem, cum solemniter deferat prae manibus verbum Verbi ipsum Verbum Caro factum repraesentans, ita a pari agendum erit in delatione solemni SS. Crucis Dei Filium pro nobis crucifixum repraesentantis. Quae Crux proinde deferenda erit a Clerico cotta induto, ut praecipit, et mandat S. Rit. C. non obstante quacumque contraria consuetudine, quam abusum esse declarat: Salvis Rubricis, in quibus praescribitur, ut sit eadem Crux duobus luminibus stipata.

583. Per decretum S. Rit. C. *sub die* 15 *septembr.* 1742 *in una Ord. Eremit. Montis Coronae*, in Processionibus, in quibus defertur solemniter SS. Sacramentum, Thuriferarii cum thuribulis fumigantibus incedere debent facie, non dorso, ad Sacramentum semiversa.

584. In Ecclesiis in quibus non solet quotidie Missa cantari, vel adest solus Parochus, quum Rubrica clare non loquatur, quaeritur quae Missa legenda sit in processione s. Marci, ac Rogationum, praesertim si occurrat officium duplex? Resp. *Si fiat Processio, legenda est Missa Rogationum, secus de festo cum commemoratione earumdem.* S. Rit. C. die 12 novembr. 1831. *In una Marsor.* ad dub. 37.

585. Utrum servanda sit consuetudo deferendi praeter ce-

reum paschalem duos alios parvos cereos ex eo accensos in supplicationibus, quae fiunt in Ecclesia Pisana, tum in Sabbato Sancto ad obeundam fontis baptismalis benedictionem, tum quotidie in octo dierum spatio ad eumdem fontem? Resp. *Affirmative*. S. Rit. C. 12 novembr. 1831. *In Pisana*, ad dub. 10.

586. An liceat in die s. Marci cantare Missam de Rogationibus in Primatiali Ecclesia post Tertiam, quia in Litaniis maioribus ipso die itur processionaliter ad Ecclesiam s. Marthae, et ibi cantatur Missa de s. Marco, qui eiusdem ecclesiae putatur contitularis eo quod populus ecclesiae s. Marci iam adiunctus fuerit paroeciae s. Marthae? Notandum tamen quod ecclesia s. Marci adhuc existit non parochialis ut olim, sed ut publicum oratorium, et populus dumtaxat s. Marci aggregatus fuit ecclesiae s. Marthae. Resp. *Detur decretum in una Galliarum die* 11 *ianuarii* 1693 *nimirum Missam de feria canendam esse post Processionem in die festo s. Marci, nisi Processio finem habeat in Ecclesia eidem Sancto dicata*.S. Rit. C. die 12 novembr. 1831. *In Pisana*, ad dub. 2.

587. Episcopus Ventimiliensis humillime declarari petit: 1.An attenta vetustissima consuetudine ac immemorabili debeat suum retractare decretum de non ferendo sub umbella simulacro et reliquiis s. Secundi Martyris eiusdem Civitatis Patroni? 2. An saltem id debeat ut morem gerat ardentissimo populi desiderio? 3. An saltem in casu, quo obmormurationes in apertum odium contra ipsum excrescerent? 4. Utrum id possit dissimulando tollerare? S. Rit. C. respondit: *Negative*. Die 16 martii 1833. *In Ventimilien*.

Alia videnda sub numeris 278. 757. 762. 775. 891. 949.

CAPUT IX. — DE PRAEEMINENTIIS, ET HONORIBUS

§. 1. *De Episcopis*

588. Pro parte Capituli Ecclesiae Elboren. petitum fuit: An decretum emanatum ad istantiam omnium Ecclesiarum in Hispaniae Regnis, quod scilicet Liber Caeremonialis Episcoporum non tollat laudabiles,et immemorabiles consuetudines, habeat locum etiam in Regno Portugalliae?

S. Rit. C. *Dictum Decretum locum habere non solum in Regnis Hispaniae, et Portugalliae, sed etiam in quibuscumque aliis Regnis, et locis per totum Christianum Orbem* declaravit die 17 iunii 1606. *Elboren*.

589. Ortam fuisse contentionem de praecedentia in Civitate Valentina inter Episcopos Segobricen. et Dertusen. S. Rit. C. narratum est, quae sic respondit, videlicet:

Circa praecedentiam inter Episcopos nullam aliam rationem esse habendam, nisi temporis electionis, seu promotionis ad Episcopatum, S. Rit. C. declaravit, *ita ut qui prius electus, seu promotus, et a Summo Pontifice in Consistorio propositus, et confirmatus sit debeat alteri cuiuscumque Dignitatis, vel qualitatis postea electo proposito, et ut supra confirmato praecedere. Et hoc non modo inter Episcopos Segobricen. et Dertusen., sed etiam inter omnes totius mundi Episcopos servandum esse* censuit et declaravit die 21 martii 1609. *Segobricen.*

590. Episcopus Salutiarum supplicavit declarari, Canonicos suae Cathedralis teneri ex obligatione illum capitulariter, et cum habitu canonicali iuxta praescriptum *Caeremonialis* excipere, comitari, et reducere quotiescumque accedit cum Cappa ad Ecclesiam, stante quod eius domus non distat ab Ecclesia ultra centum passus.

Et S. C. respondit: *Teneri*, prout etiam alias declaravit *in Tarvisina* 19 *ianuar.* 1619, *et in Terracinen.* 20. *aug.* 1622, *et* 20 *novembr.* 1627. Die 12 iunii 1628. *Salutiarum.*

591. Archiepiscopus Taurini supplicavit mandari Canonicis, ut debeant ipsum Archiepiscopum associare, quotiescumque Ecclesiam adit causa Divinorum Officiorum, etiam quando non Pontificaliter, sed Cappa indutus sit.

Et S. Rit. C. referente Illmo D. Card. Muto respondit: *Archiepiscopum praedictum quotiescumque vel ut Divinis assistat, vel Pontificaliter celebret, vel conciones audiat, vel alia de causa ad Ecclesiam cum Cappa accedit, a Dignitatibus, et Canonicis Capituli in habitu canonicali de domo, vel loco ad id destinato educendum, associandum, similique modo postea reducendum esse, prout alias eadem S. C. in una Tarvisina* respondit, et decrevit *die* 19 *ianuarii,et in alia Terracinen. die* 20 *augusti* 1622. Et ita etiam in Civitate Taurini servari mandavit die 17 iunii 1627. *Taurini.*

592. Episcopus Savonensis supplicavit definiri: *Primo:* An ipse in publicis Processionibus cum Cappa, et bireto incedere debeat solus, aut medius inter duas Dignitates? Et S. C. respondit: *Non inter Dignitates, sed solum incedere debere.*

Secundo: An in Processione, in qua defertur aliqua Imago, seu Reliquia, ipse cum Cappa, et bireto accedere debeat ante, vel post Reliquiam, seu Imaginem? Et S. C. respondit: *Episcopum post Imaginem, seu Reliquiam incedere debere, nisi adsit consuetudo in contrarium.* Die 20 decembris 1628. *In Savonensi.*

593. S. Rit. C. respondit: *Regulares promotos ad Episcopatus debere uti Cappa Pontificali coloris propriae Religionis, et ideo in casu proposito Archiepiscopum Calaritanum Regularem Ordinis B. M. Redemptionis Captivorum non posse uti Cappa Pontificali alterius coloris quam suae propriae Religionis, et renuentem opportunis remediis coercendum.* Et ita servari mandavit, die 12 ianuar. 1636. *Calaritana.*

594. Episcopus Fossanensis exposuit, a Capitulo suae Cathedralis Ecclesiae negligi observantiam decreti S. C. emanati die 8 augusti 1635 circa associationem ipsius Oratoris a Palatio ad Ecclesiam pergentis, et ab Ecclesia ad Palatium redeuntis, nec non circa assistentiam in Missis, quae ab eodem privatim in Cathedrali celebrantur.

S. autem C. declaravit: *Canonicos Cathedralis compellendos esse ab Episcopo etiam sub censuris ad praedicta obsequia sibi praestanda: ac, si quid revelans in contrarium iidem habeant, in S. C. deducant.* Die 15 ianuar. 1661. *Fossan.*

595. Exposuit Episcopus Bobiensis, in Ecclesia s. Columbani Monachorum Cassinensium, in qua mos est terminandi Processionem Rogationum, a solo Curato exceptum fuisse, contra consuetudinem usque adhuc servatam cum suis Antecessoribus, qui ab Abbate, et Monachis excipi consueverunt.

Et S. C. *Procuratorem Ordinis monendum censuit, ut Abbas, et Monachi praedicti huiusmodi obsequia Episcopo praestare in futurum non omittant.* Die 3 iunii 1662. *Bobien.*

596. An liceat Episcopo in quacumque Ecclesia etiam Regularium suae Dioecesis erigere Baldachinum, praesertim quando personaliter interest functionibus Ecclesiasticis, sive dum habetur sacra concio illud erigi facere e regione Pulpiti tanquam in loco digniori?

Et S. Rit. C. declaravit *Licere.* Die 24 maii 1664. *Caven.*

597. Pro parte Capituli, et Canonicorum Ecclesiae Metropolitanae Tarraconen. supplicatum fuit in S. Rit. C. pro declaratione: utrum Archiepiscopo Tarraconen. Religioso Professo Ordinis s. Benedicti liceat gestare habitum Cardinalitium sericum ad instar aliorum Archiepiscoporum Saecularium?

Et eadem S. Rit. C. respondit: *Non licere, sed servandum esse Caeremoniale.* Hac die 12 augusti 1673. *Tarraconen.* Hoc decretum confirmatum fuit in alia Congr. die 16 iunii 1674.

598. Propositis ad instantiam Episcopi Niciensis in S. Rit. C. infrascriptis quatuor dubiis, videlicet:

Primum: An Presbyter (quicumque ille sit) assistens Episcopo tenere possit in capite pileolum, vulgo *berrettino*, cum

eidem porrigit incensum, ut illud benedicat, vel quando ipsum incensat, vel quando ipsi assistit ad Missale, cum illud Episcopus legit sive in Throno, sive in Altari?

Secundum: An porrigens (quicumque ille sit) aspersorium Episcopo Ecclesiam ingredienti possit in capite tenere dictum pileolum, sicuti etiam ceteri, qui aqua benedicta pariter asperguntur ab Episcopo?

Tertium: An Canonici assistentes quandocumque Episcopo ad Sedem Pontificalem possint semper tenere in capite dictum pileolum?

Quartum: An Canonici assistentes quandocumque Episcopo inservientes in functionibus Pontificalibus quibuscumque, etiam quando assistit, cum sola Cappa magna, dictum pileolum in capite possint tenere?

Eadem S. C. respondit ad **1.** et **2.** *Negative:* Ad **3.** et **4.** *Affirmative: dummodo non ministrent.* Et ita declaravit, die **10** ianuarii **1693.** *Nicien.*

599. S. Rit. C. Episcopo Alexandrino humiliter supplicante declarari infrascripta dubia vulgari sermone porrecta:

Primo: Se, non ostante la consuetudine, sia lecito alli Canonici di questa Cattedrale l' uso del berrettino mentre stanno in circolo, e recitano unitamente col Vescovo la *Gloria*, il *Credo*, il *Sanctus*, ecc.?

Secondo: Quando pongono li vestimenti sagri al Vescovo?

Terzo: Quando li Canonici assistenti stanno in piedi nel tempo che il Vescovo legge l'Introito, l'Epistola, l'Evangelio, l' Offertorio, il Postcommunio?

Quarto: Quando la Dignità, o più degno Canonico porge l' aspersorio al Vescovo nell' ingresso alla Chiesa, e quando unitamente cogli altri Canonici è asperso coll' acqua benedetta dal Vescovo?

S. Rit. C. respondit: *Dentur decreta*, et signanter *Squillacen.* **31** *augusti* **1680**, cuius tenor est qui sequitur:

Pro parte Rev. Episcopi Squillacen. supplicatum fuit per S. Rit. C. declarari: *Primo:* An Canonici Cathedralis possint uti pileolo, dum in circulo recitant cum Episcopo Hymnum Angelicum, *Credo*, *Sanctus* etc.? *Secundo:* An possint uti eodem pileolo, dum porrigunt Episcopo Pontificaliter celebraturo vestimenta sacra? *Tertio:* An Canonici assistentes possint eodem pileolo uti, dum stant, Episcopo legente Introitum, Epistolam, Evangelium, et Postcommunio? *Quarto:* An porrigens aspersorium Episcopo in ingressu Ecclesiae possit uti pileolo, et cum eodem pileolo aspergi cum ceteris Canonicis?

Et eadem S. C. respondit *in omnibus Negative*. Et ita declaravit, atque decrevit, die 31 augusti 1680. *Squillacen.*

Et ita in Civitate Alexandrina servari mandavit die 18 februarii 1696. *Alexandrina.*

600. An Archiepiscopus Turritanus Regularis, et Ordinis s. Augustini, possit uti Rocchetto, et Pileolo violaceo, et fasciis violaceis in eius Pallio?

Resp. *Negative*. S. Rit. C. die 26 aprilis 1704. *Turritana.*

601. Quamvis S. Rit. C. pluries interrogata responderit, aspersorium Episcopo ad Ecclesias Civitatis, vel Dioecesis accedenti per Digniorem Ecclesiae esse porrigendum, non deficiunt tamen qui regulae huic acquiescere detrectent, propterea que haud mirum, si huiusmodi quaestionem iterum hodie in medium trudat Nicolaus Nardi prima Dignitas insignis Collegiatae s. Michaelis Arpini, Dioecesis Soranae, Emos PP. eidem Congr. Praepositos rogans pro solutione sequentis dubii:

A quo sit porrigendum aspersorium Episcopo in quamcumque Ecclesiam Civitatis, vel Dioecesis ingredienti, an a Rectore illius Ecclesiae, vel ab uno ex duobus Canonicis Cathedralis, qui Cappa induti Episcopum comitantur?

Et S. eadem Rit. C., exquisita prius sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, respondendum censuit: *Aspersorium porrigendum esse a Rectore Ecclesiae, ad quam Episcopus accedit.* Atque ita respondit, die 23 septembris 1820. *Sorana.*

602. S. Rit. C. ad Vaticanum in ordinario coetu coacto sub infrascripta die duo a Dignitatibus, et Canonicis Cathedralis Bugellensis, ad dissidia, vel scandala vitanda, proposita fuere dubia enodanda, nimirum:

Primum: Num in Cathedralibus, in quibus Dignitates, et Canonici existunt, prima Dignitas semper debeat esse presbyter assistens, quando Episcopus Missam, et Vesperas solemniter celebrat, sive hoc peragat diebus primae classis, vel secundae, vel ferialis?

Secundum: An ipsamet prima Dignitas debeat quoque esse presbyter assistens, quando Episcopus benedicit Candelas, Cineres, Palmas, ita ut dignior Canonicus post Dignitates debeat tantum esse Presbyter assistens, Episcopo non celebrante, sed Vesperis, aut Missae solemni per alterum cantatae praesente?

Et S. eadem C., exquisito prius voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, scripto pandito praeloque cuso, nec non inspectis Rev. Bugellensis Episcopi informatione, et voto, re mature, diligenterque discussa, ad relationem Emi et Rmi D. Card. Vidoni Ponentis respondendum censuit:

Ad primum: *Affirmative.*

Ad secundum: *Affirmative pariter iuxta votum Caeremoniarum Magistri.* Et ita decrevit, et servari mandavit die 22 septembris 1827. *Bugellensis.*

603. Praeeminentiarum inter Canonicum Ruscellum, et Episcopum Administratorem Sarsinaten., referente Emo Paulutio. Sunt autem dubia proposita quae sequuntur:

Primum: An Episcopus Civitatis Ducalis modernus Administrator Ecclesiae Sarsinaten. in functionibus Pontificalibus gaudeat omnibus illis praeeminentiis, et praerogativis, quibus fruuntur, et gaudent omnes alii Episcopi in propriis Dioecesibus in casu etc.? Resp. *Negative.*

Secundum: An dictus Episcopus Administrator amovibilis Ecclesiae vacantis, dum cantat Missas, et Vesperas in Pontificalibus, possit sedere super Cathedra Episcopali elevata quatuor gradibus, parata cum Baldachino, ac postergale, et uti Baculo Pastorali, vel sedere debeat super faldistorio prope Altare sine ipso Baculo? Resp. *Negative quoad primam partem, Affirmative quoad secundam.*

Tertium: An concedere possit Indulgentiam quadraginta dierum sine speciali facultate Apostolica? Resp. *Negative.*

Quartum: An ei, dum assistit Missae solemni ab alio cantatae, debeant Canonici facere circulos ad *Kyrie eleison, Gloria in excelsis, Credo, Sanctus,* et *Agnus Dei,* tuncque ubinam debeat sedere? Resp. *Negative, et sedeat in primo stallo Chori.*

Quintum: An fieri debeat Anniversarium suae Consecrationis cum Missa cantata per Capitulum, et Clerum, eiusque nomen debeat in Canone memorari per Sacerdotes celebrantes? Resp. *Negative.*

Sextum: An cum Administrator Missam cantat in Pontificalibus, debeat poni super Altare septimum candelabrum cum candela accensa? Resp. *Negative.*

Septimum: An dum idem cantat Missam in Pontificalibus, debeant omnes Canonici sacris Paramentis indui, vel tres tantum fungentes officiis Diaconi, Subdiaconi, et Presbyteri assistentis? Resp. *Negative quoad primam partem, Affirmative quoad secundam.*

Octavum: An dum vadit ad Cathedralem debeat sumere Cappam magnam in aedibus superioribus Episcopatus, vel in ingressu Ecclesiae, aut Presbyterii? Resp. *Arbitrio Administratoris in casu etc.*

Nonum: An Canonici eum accessurum ad Cathedralem de-

beant omnes excipere in dictis aedibus, vel soli tres, aut quatuor ad portam Ecclesiae? Resp. *Decere in casu, de quo agitur, ut omnes accedant.*

Decimum: An diebus festis fieri debeant publicae orationes pro novi Episcopi electione ad formam Concilii Tridentini, et Caeremonialis Episcoporum? Resp. *Affirmative.* S. Rit. C., die 22 augusti 1722. *Sarsinaten.*

604. Patriarcha Aquileiensis Ecclesiae S.C. supplicat, ut declaret, quis locus dandus sit Coadiutoribus Episcoporum suffraganeorum in Synodo provinciali?

Et S. C. rescribendum censuit: *Coadiutores cum futura successione in Synodo provinciali sedeant iuxta tempus eorum promotionum.* Die 30 septembris 1596. *Aquileien.*

605. Ad infrascripta dubia proposita pro parte, et ad instantiam Abbatis saecularis, et Collegiatae Ecclesiae s. Petri in Broglio Alexandrinae, S. Rit. C. audita relatione Illmi, et Rmi D. Card. Galli respondit ut infra, videlicet:

Ad 1: An Episcopus possit extra suam Cathedralem etiam in Ecclesiis exemptis, et s. Sedi Apostolicae immediate subiectis intra fines tamen suae Dioecesis existentibus, dum Missae, aut Vesperis solemnibus quacumque ex causa interest, eosdem Canonicos ex dicta sua Cathedrali assistentes assumere, et Canicorum circulos ad *Gloria in excelsis*, etc. habere?

Resp. *Episcopum posse sibi assumere suos Canonicos in Ecclesia exempta, et ibi celebrare, et habere cum eisdem circulos ad* Gloria, *etc.*

Ad 2: An etiam possit Ecclesiae secularis Collegiatae, et ab Ordinario exemptae, ac s. Sedi Apostolicae immediate subiectae Abbas titularis usum Mitrae habens, dum in sua Abbatiali Ecclesia sibi pleno iure subiecta divinis solemniter interest, huiusmodi assistentiam a suis Canonicis, in quos iurisdictionem exercet, habere?

Resp. *Posse Abbatem, Episcopo absente, suos Canonicos assumere et eamdem in Canonicos Collegiatae iurisdictionem exercere, quam Episcopus in suos.*

Ad 3: Quid sit agendum, quando contingat, Episcopum processionaliter cum Capitulo Cathedralis Ecclesiae accedere ad dictam Ecclesiam Abbatialem ut supra exemptam, et in eadem Missae solemni, aut vesperis interesse, circa sedes Episcopi Loci ordinarii, et Abbatis exempti, nec non Canonicorum utriusque Capituli?

Resp. *Episcopalem Sedem in cornu dextero Chori, sive Ecclesiae collocandam esse uno gradu eminentiorem, cum ornatu*

congruo, et situ aliquatenus superiori respectu Sedis Abbatis, et a latere Episcopi sequantur immediate Canonici Cathedralis Ecclesiae. In sinistro vero cornu ponendam esse Sedem Abbatis uno gradu humiliorem, absque ornatu, et loco aliquatenus inferiori, adeo ut non sit opposita Sedi Episcopali, et apud Abbatem ordine sedeant ipsius Collegiatae Canonici.

Ad 4: De Thurificatione ?

Resp. *Thurificandum esse primo Episcopum triplici ductu thuribuli, et post Episcopum immediate Canonicos Cathedralis Ecclesiae duplici ductu; deinde Abbatem duplici ductu, et demum Canonicos eius Ecclesiae Collegiatae unico ductu thuribuli.*

Ad 5 et ultimum: De confessione facienda ab Episcopo cum Sacerdote, de incenso imponendo, et benedicendo, et de solemni benedictione post Vesperas, seu post Missam danda ?

Resp. *Omnia haec ad Episcopum pertinere.* Et ita eadem S. Rit. C. censuit, et declaravit, et ad supradicta dubia in omnibus ut supra respondit. Die 7 februarii 1604. *Alexandrina.*

606. Petitionem SS. D. N. factam ab Archiepiscopo Elboren. ut quod ipse sine consensu Capituli sui fecit, aperiendo quamdam parvam fenestram, quae ex aedibus suis in Ecclesiam respicit, in loco satis alto, et decenti, quam etiam transenna munivit, ut inde, non visus ab aliis divina Officia quandoque audire possit, et per eam aspicere, an per Canonicos, et eiusdem Ecclesiae Presbyteros, et Clericos recte, et decenter Ecclesiastica munia executioni demandentur, Apostolica auctoritate confirmaretur.

S. Rit. C. *Pro usu, et persona Archiepiscopi tantum concedi posse* censuit, et declaravit die 19 iunii 1604. *Elboren.*

607. An Praelati Archiepiscopi, seu Episcopi possint esse iudices ad declaranda dubia super sacris Ritibus, et Caeremoniis exorta ?

S. Rit. C. *Negative* respondit die 11 iunii 1605. *Vicen.*

608. Cum alias a fel. rec. Clemente PP. VIII frater Dominicus Torradus Ordinis s. Augustini, qui in Civitate Goana in Indiis Orientalibus commoratur, electus fuerit Episcopus Fulsicalen. in partibus Infidelium, ut in administratione Sacramentorum Archiepiscopo Goan. tamquam suffraganeus coadiuvare posset, et in illis remotissimis Regionibus Episcoporum numerus a sacris Canonibus requisitus in consecratione Episcopi minime reperiatur, nec ad praesens reperiri possit, pro parte dicti Archiepiscopi Goan. SS. D. N. supplicatum fuit, ut ipse Archiepiscopus Goan. cum assistentia duarum dignitatum Ec-

clesiae Goan. loco Episcoporum possit munus consecrationis eidem electo Fulsicalen. impendere. Et cum SS. D. N. negotium terminandum ad S. Rit. C. remiserit;

Eadem S. C. *attentis narratis, et Episcoporum penuria in illis remotissimis partibus, et ad favorem Fidelium Civitatis, Dioecesis, et Provinciae Goan. ut commodius ibi Sacramenta tam ab Archiepiscopo, quam ab eius suffraganeo ministrari possint, et valeant, censuit pro hac vice tantum, et de speciali gratia posse concedi eidem Episcopo Goan. facultatem, et licentiam consecrandi in Episcopum praefatum Fratrem Dominicum electum Fulsicalen. cum assistentia duarum dignitatum Ecclesiae Goan. loco duorum Episcoporum.* Et ita declaravit. Die 16 iulii 1605. *Goana in Indiis.*

609. Cum in Cathedrali Ecclesia Ruthenen. Archidiaconus, qui in dicta Ecclesia non est prima dignitas, electus Episcopus titularis in Partibus Infidelium, deputatus fuerit Coadiutor Episcopi Ruthenen. cum futura successione, et cum retentione Archidiaconatus praedicti, dubitatum fuit: An, Coadiutoria praedicta durante, etiam in praesentia Episcopi ipse Coadiutor Archidiaconus debeat, ob dignitatem, et Ordinem Episcopalem, tam in Choro, quam in Processionibus, et in quibuscumque aliis actibus publicis, ac etiam in loco capitulari, absente Episcopo, habere locum supra omnes alias dignitates, et Canonicos etiam ipso tamquam simplici Archidiacono digniores, et antiquiores?

Et S. C. respondit: *Placere sibi in hoc consuetudinem trium Ecclesiarum Patriarchalium Urbis, nempe s. Ioannis Lateranen., s. Petri et s. Mariae Maioris, in quibus, si aliquis Canonicus habuerit Dignitatem, seu Ordinem Episcopalem cum retentione Canonicatus, praecedit omnes alios Canonicos etiam ipso in canonicatu anteriores, et digniores: et ita etiam servandum esse in Ecclesia Ruthenen. in casu proposito* censuit, et declaravit die 24 septembris 1605. *Ruthenen.*

610. Pro parte Episcopi Minerbin. Administratoris Pontificalium in Ecclesia Valentin. S. Rit. C. expositum fuit, quod licet ipse antiquior Ordine, et promotione sit Episcopo Oriolen., nihilominus in quadam Episcopi consecratione ipse Oriolen. Minerbinum praecedere voluit, sub eo pretextu, quod Ecclesiam suam praedictam resignaverit: ideo petiit declarari, quid conveniat?

Eadem S. Rit. C. respondit: *Ordinem, characterem, et titulum semper inhaerere personae Episcopi consecrati, quae*

numquam dimittit, nec dimittere potest, et ideo licet administrationem Episcopatus quis dimittat, titulum et Ordinem semper retinere, et consequenter debere praecedere omnibus aliis Episcopis post ipsum electis, et consecratis, censuit, et declaravit. Die 24 martii 1606. *Minerbin.*

611. Cum in Ecclesia Caesaraugustana ob Archiepiscopi senectutem saepe nonnulli suae Provinciae Episcopi suffraganei, et saepius Episcopus Uticensis suus Coadiutor Missas solemnes, et alias Pontificales functiones celebrare,et exercere consueverint, a S. Rit. C. quaesitum fuit pro parte eiusdem Archiepiscopi Caesaraugustani: An saltem Episcopis suffraganeis celebrantibus duae ultimae eiusdem Ecclesiae dignitates, et dicto Episcopo Uticen. celebranti duo iuniores Canonici praeter Diaconum, et Subdiaconum assistere debeant?

Eadem S. Rit. C. respondit: *Assistentiam duarum Dignitatum, vel Canonicorum tantummodo Episcopo Loci Ordinario, et nulli alteri convenire, ut expresse cavetur in Caeremoniali Episcop. lib.* 1. *cap.* 8. *in fine: et ideo dictos Episcopos suffraganeos, et Episcopum Uticen. Coadiutorem in dicta Ecclesia Caesaraugustana solemniter celebrantes contentos esse debere Ministris solitis Diacono, et Subdiacono, ac uno Capellano cum pluviali, qui eis assistat ad librum.* Et ita censuit, et declaravit. Die 9 maii 1606. *Caesaraugustana.*

612. Ad dubium propositum in S. Rit. C. pro parte Illmi, et Rmi D. Card. Aquaviva Civitatis Neapolitanae Archiepiscopi: An scilicet conveniat, ut quando aliquis Episcopus in eadem Civitate Neapolitana, ipso Illmo D. Card. Archiepiscopo praesente, sermonem, vel concionem habuerit, antequam pulpitum, vel ambonem ascendat, petat ab ipso Archiepiscopo benedictionem, sicuti ceteri concionatores non Episcopi facere solent?

Eadem S. Rit. C. respondit: *Ob supremum Ordinem, et Dignitatem Episcopalem non convenire, ut Episcopus concionaturus ab Ordinario etiam Cardinali ante concionem benedictionem petat.* Et ita censuit, et declaravit. Die 28 aprilis 1607. *Neapolitana.*

613. S. Rit. C. audita relatione Illmi,et Rmi D. Card. Montis-Regalis declaravit: *Non teneri Dignitates, et Canonicos obviam Episcopo ire suffraganeo ad Ecclesiam venturo usque ad eius cubiculum, sicut tenentur obviam ire proprio Archiepiscopo, sed satis esse, si aliqui Canonici ei obviam procedant usque ad portam Ecclesiae, et dignior ei aspersorium porrigat* (*ut se ipsum tantum aspergat*); *cumque*

usque ad Altare, vel locum ad celebrandum, seu alias functiones exercendum destinatum, associent.

Item declaravit, dictum suffraganeum solemniter celebrantem non debere sedere in sede Archiepiscopali, sed in Faldistorio in cornu Epistolae locando, nec debere uti baculo Pastorali, nisi quando tenuerit Ordinationes, vel alias functiones fecerit, in quibus iuxta Regulas libri Pontificalis eo uti debet, et necesse est, nec debere habere assistentiam duorum Canonicorum praeter Diaconum, et Subdiaconum, qui erunt cantaturi in Missa Evangelium, et Epistolam, sicut haberet proprius Archiepiscopus, si solemniter celebraret, sed satis esse, si praeter Diaconum, et Subdiaconum ei unus ex Dignitatibus, vel Canonicis assistat ad librum, Pluviali paratus.

Similiter, celebrante Episcopo suffraganeo, non teneri omnes Dignitates, et Canonicos sacra Paramenta accipere, sicut tenentur celebrante proprio Archiepiscopo, sed praeter Ministros supra dictos alios omnes assistere debere in habitu ordinario Canonicali. Et pariter, celebrante Episcopo suffraganeo, super Altare non esse ponendum septimum candelabrum, sicut ponitur, celebrante proprio Archiepiscopo.

In reliquis functionibus, quas exercet Episcopus suffraganeus, vel alius Episcopus delegatus a proprio Archiepiscopo, velut in Ordinationibus Clericorum, in consecrationibus, et reconciliationibus Altarium, et Ecclesiarum, seu Caemeteriorum, et in similibus Dignitates, et Canonicos teneri assistere Episcopo suffraganeo in habitu Canonicali, quando legitime non erunt impediti: et ex eis sacra sumere debere Paramenta tot Dignitates, et Canonicos, quot necessarii erunt, iuxta Rubricas Pontificalis, et formam actus, quam dictus Episcopus suffraganeus exercet.

Et ita in omnibus, ut supra eadem S. Rit. C. censuit, et declaravit. Die 1 septembris 1607. *Bracharen.*

614. Praepositus, et Canonici Ecclesiae Nicien. cum instarent, ut Episcopus indueret Cappam Pontificalem in aula ipsius habitationis, quando cum Canonicis est iturus ad solemnia celebranda in Ecclesia, et ex altera parte, Episcopus offerret se paratum observare Caeremoniale, modo ipsi quoque Canonici observent pro parte eorum, qui in tali casu sequi debent Episcopum, iuxta dictum Caeremoniale *lib.* 1. *cap.* 15. non autem ante ire, ut faciunt:

Habito ad hanc S. Rit. C. per dictum Episcopum recursu, S. C. mandavit: *Servari Caeremoniale pro utraque parte,*

videlicet tam pro parte Episcopi, quam pro parte Canonicorum. Die 4 aprilis 1626. *Nicien.*

615. Thesaurarius, et Magister Caeremoniarum Capellae Regiae in Ulysbona supplicarunt declarari: An Archiepiscopus ante Pallii receptionem possit in sua Ecclesia exercere Pontificalia?

Et S. C. respondit, *expectandum Pallium.* Die 7 augusti 1627. *Ulysbonen.*

616. An Episcopus induere teneatur Cappam Pontificalem in sua camera, antequam excipiat Canonicos in habitu Canonicali pro illo comitando ad Ecclesiam, an vero sufficiat, quod Cappam induat in illa camera, in qua conveniunt Canonici pro illo excipiendo?

Et ad hoc S. C. *satis esse*, respondit, *quod Episcopus Cappam induat in illa camera, in qua expectant Canonici pro illo excipiendo.* Die 20 novembris 1628. *Nicien.* ad 4.

617. An Episcopo audienti concionem in sua sede ordinaria cum Cappa Pontificali debeatur assistentia duorum Canonicorum, prout debetur in Missa, et in Vesperis?

Et S. C. mandavit: *In hoc exquiri solitum Ecclesiarum vicinarum.* Die 20 novembris 1628. *Nicien.* ad 5.

618. Archiepiscopus Turritanus conquestus est de Archiepiscopo Arborensi degenti in Provincia Turritana, quod audeat incedere per Civitates cum Rocchetto discooperto, et Mozzetta, benedicens populum per vias, in praeiudicium iurisdictionis Metropolitani, supplicans declarari, an praefata liceant?

Et S. C. respondit: *Non licere, et Archiepiscopum Arboren. omnino abstinere debere; qui si habuerit aliquid relevans in contrarium, deducat: et audietur.* Die 18 augusti 1629. *Turritana.*

619. Episcopus Pisaurensis accedere volens ad Ecclesiam Cathedralem habet duas vias, alteram breviorem, qua per porticum Sacristiae ex propriis aedibus intrat, et per hanc consueverunt hactenus Canonici ei obviare, eumque reducere in diebus minus solemnibus: alteram longiorem, per plateam ad portam maiorem Ecclesiae tendentem, quam tenere consueverunt diebus solemnioribus. Quaesierunt propterea Canonici praedicti, utrum teneantur eumdem Episcopum per secundam viam longiorem ad ipsius libitum in quibuscumque diebus ducere, et reducere?

Et S. C. respondit: *Canonicos teneri Episcopum Cappa indutum per eam viam, et ex ea aula, seu camera, quas ipse ad hoc singulis vicibus designaverit, ad Ecclesiam progredientem comitari, atque deducere, et ad easdem sic ut praemittitur destinatas reducere.* Die 17 decembris 1642.

Pisauren. (Eadem pene, ni forte brevior, est duplex via, qua Episcopus Niciensis e suo Palatio ad Ecclesiam Cathedralem progreditur.)

620. Archiepiscopus Ephesinus a S. Rit. C. declarari postulavit: Num Archiepiscopi Titulares in aliena Ecclesia existentes praeferri debeant Episcopis, et Archiepiscopis consecratione iunioribus, nec non aliis Episcopis charactere senioribus, sed gradu Archiepiscopali posterioribus, ut puta, ad Ecclesiam Archiepiscopalem post ipsius Oratoris translationem translatis?

Et Emi Patres praedictae Congregationi praepositi *Affirmative* responderunt: *Extra tamen Ecclesiae ambitum, intra quam Ordinario privative quoad omnes Episcopos, et Archiepiscopos etiam seniores praecedentia competit.* Die 8 aprilis 1656. *Ephesina.*

621. Archiepiscopus Mechlinien. et Primas Flandriae supplicavit declarari: An Episcopi dignitati suae praeiudicium inferunt, quando Archiepiscopo Primati suo Pontificaliter celebranti ad Altare inserviunt pro maiori solemnitate Officii?

Et S. Rit. C. respondit: *Praeiudicium inferre, et non licere.* Et ita declaravit die 24 februarii 1680. *Mechlinien.*

622. An Sacramenta Episcopo aegrotanti ministranda sint ab Archipresbytero ut Parocho, an vero a Canonicis Ecclesiae Cathedralis?

Resp. *Spectare ad digniorem Capituli Cathedralis.* Et ita declaravit S. Rit. C. hac die 22 novembris 1681. *Thelesina.*

623. An Episcopus possit concedere licentiam Abbatibus claustralibus Ordinis s. Benedicti Congregationis Tarraconensis exercendi pontificalia in Ecclesiis Saecularibus, aut Regularibus Dioecesis, dictis Abbatibus non subiectis?

Et S. eadem Rit. C. audito prius voto Apostolicarum Caeremoniarum Magistri respondit: *Nequit Episcopus Abbatibus, aliisque Praelatis inferioribus exercitium Pontificalium restrictive habentibus in suis tantum Ecclesiis facultatem, seu licentiam impertiri exercendi illa in Ecclesiis ipsis non subiectis, sive Saeculares fuerint, sive Regulares suae Dioecesis.* Et ita decrevit, et declaravit, die 11 iulii 1739. *Barchinonen.*

624. Metropolitanae Ecclesiae Ravennaten. Canonici, dum Archipraesulem a propria residentia ad illam, vel aliam Ecclesiam comitantur, bini post Archiepiscopalem Crucem ante ipsum Archiepiscopum incedunt. Vigentis consuetudinis ignoratur porsus origo. Ad hanc eliminandam, utpote Caeremoniali Episcoporum *lib.* 1. *cap.* 25. §. 1. et *lib.* 3. *cap.* 10. §. 2. contrariam, instituit modernus Archiepiscopus. Ast Cano-

nici recensitum ius sibi vindicant acquisitum. Re itaque unanimi Archiepiscopi, et Canonicorum consensu ad S. Rit. C. delata, sequens dubium super huiusmodi consuetudine enodandum propositum fuit.

An consuetudo, qua Canonici Ravennatenses in associatione Archiepiscopi ab eius Aula ad Ecclesiam incedunt post eius Crucem immediate ante ipsum, possit in casu sustineri?

Et eadem S. C., Emo, et Rmo D. Card. Iulio Maria de Somalia Episcopo Ostiensi, et Veliternen. Praefecto, et Ponente referente, re maturius, diligenterque discussa, audito prius voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scriptis exarato, typisque evulgato, ad propositum dubium respondendum censuit: *Negative, et servetur omnino Caeremoniale Episcoporum, et amplius.* Atque ita decrevit, et servari mandavit die 12 aprilis 1823. *Ravennaten.*

625. An, dum Episcopus suffraganeus assistit concioni, Praedicatoris salutatio ei prius dirigi debeat distincte ab illa Canonicorum, et Magistratus Saecularis?

Resp. *Affirmative S. Rit. C. quatenus sedeat in Presbyterio.* Die 6 septembris 1698. *Veliterna,* ad 4.

626. An Episcopus semper debeat manu benedicere Canonicis, ceterisque de Clero, qui in sacris functionibus ei reverentiam faciunt? Resp. *Danda est dum ascendit ad thronum vel ex eo descendit, post circulos, et quotiescumque Canonici collegialiter obsequium praestant Episcopo.* S. Rit. C. 12 novembr. 1831. *In una Marsor.* ad dub. 19.

627. Episcopi tenentur ne ad applicationem Missae pro ovibus post adeptam possessionem, an statim ac electi sunt in Consistorio? Resp. *Post adeptam possessionem.* S. Rit. C. *In una Marsor.* diei 12 novembr. 1831, ad dub. 22.

628. Caeremoniale Episcoporum lib. 2. cap. 28. iniungit Episcopo aegrotanti, ut antequam communicet, profiteatur fidem catholicam ex formula ab Apostolica Sede praescripta. Quaeritur quae sit ista formula? Resp. *Eadem quae a cathedralibus et superioribus ecclesiasticis vel beneficiatis curam animarum habentibus observanda est.* S. Rit. C. ut supra ad dub. 24.

Dubia de Episcopis Titularibus

629. Quum non una, eademque sit Auctorum omnino sententia de Privilegiis, quibus Episcopi, Titulares praesertim, gaudent relate ad Missae celebrationem, dum in propria, vel in aliena Dioecesi peragrantur; ad quascumque eliminandas dubitationes sequentia dubia in ordinario Conventu S. Rit. diei 22 augusti labentis Emin. et Rev. PP. enucleanda proposita sunt, nimirum:

Primo. Se un Vescovo Titolare possa senza uno speciale Rescritto erigere l'Altare ovunque egli voglia, ancorchè nella casa di sua abitazione esista già una Cappella per uso de'suoi parenti?

Secondo. Se possa oltre la sua Messa far celebrare altre Messe?

Terzo. Se detta Messa, o Messe vagliano in adempimento del precetto, anche a' suoi parenti seco abitanti, ed alle persone non solo addette al suo servizio; ancorchè non necessarie nell' atto della Messa, ma anche di servizio di detti suoi parenti seco abitanti?

Quarto. Se possa celebrare, e far celebrare nei giorni soliti eccettuarsi nell' Apostolico Indulto?

Quinto. Se nel caso, che i suoi parenti i quali già godono dell' Oratorio privato, avessero fatta celebrare la Messa, possa il Vescovo far celebrare un' altra Messa oltre la sua?

S. eadem Rit. C., audito prius altero ex Caeremoniarum Apostolicarum Magistris, qui suam scripto sententiam pandidit, typisque evulgavit, referente Emo, et Rmo D. Card. Matthaeio, loco Emi, et Rmi D. Card. Iulii-Mariae de Somalia Praefecti, et Ponentis absentis, respondendum censuit:

Ad 1. *Affirmative: Verum consulendum SS. pro extensione privilegii, videlicet, quod Episcopi in casibus a iure permissis hospitantes domi vel Parentum, vel Extraneorum, qui gaudent Indulto Oratorii domestici, possint, et valeant in eodem celebrare, vel celebrari facere loco, et vice Arae portatilis, quam tantum extra propriam Dioecesim indulget Bonifacius VIII*, cap. Quoniam Episcopi, de privilegiis in 6, *servata in reliquis forma decreti S. M. Clem. XI iuxta tamen posteriores declarationes S. M. Innoc. XIII, et Concilii Rom. sub Bened. XIII c.* 15., *n.* 3.

Ad 2: *Negative. Verum consulendum SS. pro extensione privilegii quoad unicam Missam, quam, propria celebrata, Episcopi solent audire.*

Ad 3: *Affirmative quoad familiares duntaxat eidem Episcopo actu necessarios: Negative quoad reliquos.*

Ad 4: *Affirmative.*

Ad 5: *Iam provisum in primo, et secundo.* Die 22 aug. 1818.

Facta autem relatione de praemissis SS. D. N. Pio VII, Sanctitas Sua S. C. responsa *adprobavit, confirmavit, et extensionem Privilegii ut supra indulsit. Die* 15 *eiusd. mensis et anni.*

630. Rmus Praesul Franciscus Maria Zoppi, qui Sanctissimo annuente Episcopatum Massensem dimisit, in eo est, ut potiatur Canonicatu superioris ordinis in Metropolitana Mediolanensi, et ne in novo hoc munere aliquid detrahat Episco-

pali Dignitati, ac novitatis notam devitet, S. Rit. C. sequentia dubia pro opportuna dilucidatione proposuit, nimirum:

1. Quaenam sedes vulgo stallo sibi competat in choro, in quocumque capituli congressu, et quando sibi cum eodem capitulo publice procedendum est?

2. Quemnàm habitum gerere in choro, quemnam in publicis supplicationibus aliisque sacris functionibus, quemnam extra chorum, cum privatam personam agit?

3. An teneatur in sua hebdomada Missam et Vesperas canere seu celebrare, aliaque singulariter peragere, ad quae tenentur Canonici eiusdem ordinis in sua quisque hebdomada?

4. Et quatenus teneatur an sandaliis, dalmaticis, mitra, baculo pastorali, cruce, et similibus Episcopo competentibus uti debeat?

5. Quatenus vero non teneatur, vel sibi liceat a praefatis hebdomadarii officiis se abstinere, an distributiones amittat quamvis choro cum ceteris Canonicis interfuerit?

6. An debeat Archiepiscopo solemnia agenti assistere, ministrare, aliaque praestare, quae ceteri eiusdem ordinis Canonici de more eidem praestant?

7. Quum autem Orator minime ignorat a ceteris eiusdem Ordinis Canonicis aegreferri Episcopum e gremio eiusdem Capituli vestes et caligas coloris violacei, et quidquid aliud Episcopalem dignitatem referat in choro eorumque congressu gestare, et quomodocumque se ab ipsis distinguere, ac proinde non multis abhinc annis duos eiusdem Capituli Canonicos, a Summo Pontifice Episcopos in partibus renuntiatos, locum, quem antea in choro habebant et in quovis capituli congressu retinere, et Missas et Vesperas aliasque functiones in sua hebdomada, nulla adhibita indumentorum aliave distinctione ceu reliquos Canonicos hebdomadarios celebrare consuevisse, seque dumtaxat a supplicationibus publicis Episcopalis honoris ergo abstinuisse, distributiones tamen omittendo ac si culpabiliter minime interfuissent, obsequentissime postulat: an teneatur vel saltem sibi liceat huic consuetudini se conformare in omnibus, aut quanam in parte?

Et S. eadem C. in ordinario coetu ad Vaticanum coadunata, referente me infrascripto Secretario, attentis expositis, ac singulis rationum momentis serio examine perpensis, rescribendum censuit:

Ad 1. et 2. *Ratione Episcopatus posse et debere uti habitu ordinario, quo utuntur Episcopi in Romana Curia, idest Rocchetto supra subtanam, et mantelletto coloris violacei, et debe-*

re praecedere omnibus aliis Canonicis, et sedere in primo stallo supra omnes, ut in Compostellana diei 15 *iulii* 1617.

Ad 3. *In Missis de turno abstineat: et subroget alium ut in Asculana diei* 10 *aprilis* 1728. *In solemnioribus cum indumentis pontificalibus, sed de licentia Episcopi.*

Ad 4. *Iam provisum.*

Ad 5. *Quoad primam partem iam provisum: negative quoad secundam partem.*

Ad 6. *Tenetur sedere in choro cum pluviali.*

Ad 7. *Negative in omnibus.*

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 16 martii 1833. *In Mediolanen.*

Alia videnda sub numeris 14. 78. 95. 96. 236. 402. 421. 536. 559. 576. 577. 578. 579. 672. 757. 778. 781. 785. 786. 796. 834. 835. 836. 838. 841. 851. 852.

§. II. *De Vicariis Generalibus*

631. *Vicario Generali dabitur locus, quem habere solet pro consuetudine diversarum Ecclesiarum.* Caeremoniale Episcopor. lib. 1. cap. 13. num. 12.

632. Cum alias in Ecclesia Neritonen. inter Vicarium Generalem, et Dignitates, et Canonicos differentia orta fuerit, ad quem eorum absentia Episcopi pertineat celebrare Missas, et Officia Divina, et SS. Sacramentum in Processione deferre in die solemnitatis eiusdem, et alias functiones, et officia facere, et celebrare, quae, si praesens esset, ad Episcopum pertinerent.

Et cum tam pro parte Vicarii, quam pro parte Dignitatum, et Canonicorum S. Rit. C. allegata fuerit, sed non probata consuetudo praedictae Ecclesiae, et nihilominus Vicarius praedictus, non probata consuetudine, tentavit portare in processione SS. Sacramentum, Missas cantare, et alias functiones praedictas facere, quae de iure, et iuxta formam libri Caeremonialis, et Decretorum eiusdem S. C. in absentia Episcopi ad Dignitates, et Canonicos, non autem ad Vicarium pertinent.

Eadem S. Rit. C. ad tollendas dissentiones, et pro quiete, et bono pacis eiusdem Ecclesiae, donec Vicarius legitime probaverit praetensam, et ab ipso allegatam consuetudinem, declaravit: *Missas solemnes, Processiones, Officia Divina, et alias similes functiones, quas faceret Episcopus si praesens esset, et ad ipsum pertinent, Episcopo absente non ad Vicarium, sed ad Dignitates, et Canonicos eiusdem Ecclesiae pertinere successive, et non alternatim, idest si Episcopus praesens non erit prima Dignitas celebret, et Officium faciat quod ad Episcopum praesentem pertineret, et ea im-*

pedita, vel absente, succedat secunda Dignitas; et secunda impedita, tertia; et omnibus Dignitatibus impeditis, vel absentibus, primus Canonicus id exequatur, et sic per ordinem successive faciendum esse declaravit. Et ita in Ecclesia praedicta Neritonen. servari mandavit, die 25 febr. 1606. *Neritonen.*

633. Pro parte Capituli, et Canonicorum Ecclesiae Niciensis, S. Rit. C. expositum fuit, solere in associando funera Defunctorum ad sepulturam accedere Vicarium una cum Canonicis, maxime quando Vicarius est de numero Canonicorum, et inter ipsos non tamquam Vicarium, sed tamquam Canonicum incedere. Sed modernum Vicarium, licet sit ex numero Canonicorum, id recusare, et velle non tamquam Canonicum, et cum Canonicis, sed ab eis seiunctum tamquam Vicarium incedere. Et propterea petierunt a S. Rit. C. declarari: An id deceat, et conveniat?

Et eadem S. Rit. C. respondit: *Non esse a solito recedendum, et debere Vicarium, si sit Canonicus, cum Canonicis in suo loco incedere, et quatenus tamquam Vicarius funera defunctorum associare voluerit, nihil lucrari de cera, seu aliis distributionibus, quae dantur, seu dari solent Canonicis associantibus funera praedicta.* Et ita censuit, et declaravit, die 10 maii 1608. *Nicien.*

634. S. Rit. C. iuxta alias resoluta respondit: *Vicario Generali in habitu Vicariali deberi praecedentiam supra Dignitates, et Canonicos, tam praesente, quam absente Episcopo, dummodo Dignitates, et Canonici non sint sacris vestibus induti.* Et ita in Cathedrali Polignanen. omnino servari mandavit, contraria consuetudine non obstante, die 12 ianuar. 1641. *Polignanen.*

635. Vicarius Generalis Episcopi Anagnini supplicavit in S. Rit. C. pro declaratione infrascriptorum dubiorum videlicet:

Primo: An Vicarius Generalis debeat praeferri Praeposito, et aliis omnibus de Capitulo in omnibus actibus publicis, et privatis, tam praesente, quam absente Episcopo? Resp. *Deberi.*

Secundo: An, praesente Vicario Generali, et absente Episcopo, Celebrans debeat thurificari triplici, vel duplici ductu? Resp. *Triplici ductu.* Et ita declaravit S. Rit. C. Hac die 15 novembr. 1676. *Anagnina.*

636. Pro parte Episcopi Niciensis supplicatum fuit apud S. Rit. C. pro declaratione:

An Vicarius Generalis Episcopi in Choro, in Ecclesia, et ubique praecedere debeat omnibus Canonicis, et Dignitatibus etiam primae post Pontificalem, sive Praepositus, Archidiaco-

nus, sive quomodolibet vocetur, ac etiam in honore exhibendo in thurificationibus, ac cinerum, candelarum, et palmarum distributionibus, quacumque consuetudine in contrarium, si adsit, non obstante?

Et eadem S. Rit. C. inhaerendo aliis decretis in similibus emanatis respondit: *In omnibus Affirmative*. Et ita declaravit, die 2 octobris 1677. *Nicien.*

637. S. Rit. C. inhaerendo aliis resolutionibus in similibus editis iterum declaravit: *Quod Vicarius Generalis Ruben. qui est unus ex Participantibus Ecclesiae Cathedralis Ruben. in Ecclesia in habitu Ecclesiastico debet sedere in loco suae receptionis, ut lucretur distributiones: et quando tamquam Vicarius vult praecedere, debet deponere habitum Chori, sive Ecclesiasticum, et non percipere distributiones: nec lucretur distributiones, quae dantur interessentibus Processionibus, nisi incedat in habitu Canonicali.*

Et ita decrevit, et servari mandavit, instantibus Archidiacono, et aliis Dignitatibus, et Participantibus Ecclesiae Ruben. Hac die 22 maii 1683. *Ruben.*

638. Capitulum Cathedralis Isernien. S. Rit. C. sequentia dubia enodanda proposuit: 1. An Vicarius generalis ad Cathedralem cum Episcopo accedens in pontificalibus, aliisque sacris functionibus uti possit, eique apponendum sit stratum et pulvinar? 2. An eidem Vicario generali accedenti vel ad dandam Canonicis possessionem, vel alia quacumque de causa, praestanda sit honorifica associatio duorum Canonicorum? 3. An eidem ut in dubio 2 accedenti ministrandum sit ad fores Ecclesiae aspersorium ad instar Episcopi? S. Rit. C. in ordinario coetu ad Quirinale adunata respondit: *Negative in omnibus ad formam Decretorum, nimirum* ad primum *iuxta decretum in una Urbevetana Praeeminentiarum diei* 3 *augusti* 1737 *ad dub.* 5, *quo nec pulvinar nec stratum Vicario generali deberi statuitur, et confirmatur in una Melphiten. Praeeminentiarum diei* 10 *decembr.* 1740 *ad dub.* 7. Ad secundum et tertium *iuxta decretum in una Vercellen. diei* 7 *augusti* 1655 *quo iniungitur nullo modo Vicario generali competere honorificam associationem Clericorum et Beneficiatorum, aut ministrationem aspersorii per Canonicum.* Die 17 iulii 1830. *In Isernien.*

§. III. *De Vicariis Capitularibus*

639. Praetendente Vicario Capitulari Ecclesiae Syracusanae facere functiones Episcopales, et decretum alias scriptum, quod non ad Vicarium sed ad primam Dignitatem pertineant, ipsum

Vicarium Capitularem non afficere: instante super hoc Archidiacono dictae Ecclesiae Syracusanae.

S. Rit. C. respondit, et declaravit: *Decretum alias factum supra praedictis functionibus contra Vicarium Ordinarii comprehendere, et afficere etiam Vicarium Capitularem, et dictas functiones spectare ad primam Dignitatem.* Die 7 augusti 1627. *Syracusana.*

640. Vicarius Capitularis Altamurae conquestus est de prima Dignitate denegante sibi praecedentiam, etiamsi incedat in habitu Vicariali, supplicans responderi an debeatur?

Et S. C. respondit: *Praecedentiam deberi Vicario supra omnes de Capitulo, excepta prima Dignitate, vel alio repraesentante Capitulum.* Die 12 iunii 1638. *Nullius.*

641. Vicarius Capitularis Bugellae Vercellen. Dioecesis S. Rit. C. supplicavit ut declarare dignaretur, quinam locus ei debeatur in processione Corporis Christi, an videlicet immediate ante, vel post Baldachinum?

Et S. C. respondit : *Vicario Capitulari locum competere tam in choro, quam in processionibus a sinistris primae Dignitatis, vel prima Dignitate deferente SS. Sacramentum, a sinistris primi, et dignioris Canonici repraesentantis Capitulum.* Die 16 martii 1658. *Vercellen.*

642. S. Rit. C. inhaerendo simili declarationi factae in *Nullius* 12 iunii 1638, iterum declaravit: *Vicario Capitulari deberi praecedentiam supra omnes de Capitulo, excepta prima Dignitate, vel alio repraesentante Capitulum : et proinde Benedictum Fuffium Canonicum, et modernum Vicarium Capitularem Cathedralis Feretranae praecedere non debere Praeposito eiusdem primae Dignitatis. Dictoque Vicario Capitulari incedenti tamquam Vicario sine habitu canonicali non deberi, neque lucrari distributiones quotidianas.* Hac die 2 aprilis 1667. *Feretrana.*

643. Vicarii Capitulares tenentur ne ad Missae applicationem pro populo, sede vacante? Resp. *Negative.* S. Rit. C. die 12 novembr. 1831. *In una Marsorum*, ad dub. 23.

§. IV. *De Capitulis Cathedralium*

644. Praepositus, qui est prima Dignitas in Ecclesia Pisaurensi, petiit declarari, ad quem, absente Episcopo, pertineat benedicere palmas, candelas, et cineres, et alias similes functiones facere, quas faceret Episcopus, si esset praesens?

S. Rit. C. *Functiones praedictas, et benedictiones candelarum, cinerum, et palmarum, absente, vel impedito Episcopo, ad primam Dignitatem, non autem ad Canonicum*

hebdomadarium pertinere censuit, et declaravit, die 21 martii 1609. *Pisauren.*

645. In causa Casalensi praecedentiae inter Dignitates, et Canonicos Ecclesiae Cathedralis, ac Vicarium Generalem eiusdem Ecclesiae, et inter easdem Dignitates, et Canonicos, ac Inquisitorem Generalem eiusdem loci.

Audita relatione Illmi, et Rmi D. Card. Capponi, cui haec causa commissa fuerat: *Quoad praecedentiam inter Vicarium Generalem, et Dignitates, et Canonicos Ecclesiae Casalensis S. Rit. C. censuit, non esse recedendum a decretis alias in similibus causis factis: nempe praecedentiam dandam esse Vicario Generali super omnes Dignitates, et Canonicos, dummodo ipse Vicarius non sit de numero ipsarum Dignitatum, et Canonicorum, quia tunc deberet sedere, et incedere in suo loco, sive stallo, ut distributiones quotidianas lucrari posset, et dummodo Canonici non sint sacris vestibus parati, quia tunc ratione paramentorum debet Vicarius cedere locum Digniorem Canonicis paratis.*

Quo vero ad praecedentiam inter Inquisitorem, et easdem Dignitates, et Canonicos eadem Congregatio remisit negotium ad Congregationem s. Inquisitionis. Et ita ut supra censuit, et declaravit, die 5 iulii 1614. *Casalensi.*

646. Capitulum Cathedralis Alexandrinae narrans, tam vigore Statuti particularis, quam antiquae consuetudinis sex ultimos Canonicos teneri, et obligatos esse, licet Sacerdotes inservire pro Diacono, et Subdiacono Canonicis antiquioribus solemniter celebrantibus: Et modo sex Canonicos novissimos recusare haec munia peragere: supplicavit eos obstringi sub poena, quod non faciant fructus suos.

Et S. C. respondit: *Pro Diacono, et Subdiacono inservire debere habentes Praebendas Diaconales, et Subdiaconales, non obstante statuto, et consuetudine in contrarium allegatis, quam consuetudinem abusum esse declaravit.* Et ita in Cathedrali Alexandrina omnino servari mandavit, die 22 novembr. 1631. *Alexandrina.*

647. S. Rit. C. declaravit: *Non licere Canonicis Ecclesiae Cathedralis Fani recipere thurificationem capite cooperto pileolo: ideo abusum in contrarium removeri iussit.* Die 21 novembr. 1665. *Fanen.*

648. Ius dicendi orationem *Respice quaesumus Domine* in functionibus fieri solitis in Hebdomada Sancta S. Rit. C. audita relatione Vicarii censuit *spectare ad primam Dignitatem Ecclesiae Salernitanae ordine successivo, atque in-*

tervenientem, absente Archiepiscopo, ut Archidiaconus prima Dignitas declarari petiit, non autem ad ipsum Vicarium intervenientem loco Archiepiscopi absentis, hac die 15 ianuarii 1667. *Salernitana.*

649. Utrum liceat Vicario Generali, et Canonicis in Missis, et Vesperis solemnibus recipere thurificationem capite cooperto pileolo? Resp. *Non licere.* S. Rit. C. die 28 aprilis 1663. *Senogalliensis.* Possunt tamen Episcopi, ut per decretum eiusdem S. C. 21 aprilis 1668. *Fanen.*

650. Pro parte Hyacinthi Venetiani Canonici Sacerdotis Cathedralis Monopolit. adversus Canonicum Sforza Antonium Clericum eiusdem Cathedralis supplicatum fuit apud S. Rit. C. pro resolutione infrascripti dubii:

An supradictus Canonicus Clericus sedere debeat tum in Choro, tum in Capitulo, et stare in loco suae receptionis, an vero post omnes Canonicos Sacerdotes, etiam postquam fuerit effectus Sacerdos, in loco tamen ex tunc sibi tangente?

Et eadem S. C. inhaerendo aliis resolutionibus in similibus emanatis, et praecipue in una Urbis s. Mariae ad Martyres de Rotunda sub diebus 29 martii, et 27 septembr. 1659, iterum declaravit: *Quod Canonici Clerici, ubi Praebendae non sunt distinctae in Presbyterales, Diaconales, et Subdiaconales, quamvis antiquiores receptione non sunt praeferendi Canonicis Presbyteris, etiam postquam Canonici Clerici fuerint effecti Sacerdotes: et tunc nec ipsis competere reintegrationem, seu praecedentiam adversus Canonicos Sacerdotes posteriores receptione, cum ius semel adeptum ex Sacerdotio numquam amittatur, non obstante immemorabili in contrarium consuetudine, quam abusum impraescriptibilem* declaravit, et servari mandavit in praedicta Ecclesia Cathedrali Monopolitana, dummodo tamen in eadem Praebendae sint solummodo Presbyterales. Hac die 17 novembr. 1674, *Monopolitana*; et 16 decembr. 1828, *Aquipendien.*

651. An Canonicis accedentibus feria 6 in Parasceve ad Crucis adorationem cum Cappis explicatis, earum extremitates sint a Clericis elevandae?

Resp. *Negative.* Et ita declaravit S. Rit. C. 10 septembr. 1701. *Cortonen.* ad 4.

652. *In Panormitana* 12 *martii* 1778. S. Rit. C. decrevit, ut Canonici Cathedralium Ecclesiarum, qui usu Cappae, et Rocchetti donati sunt, hisce, aliisve sibi tributis honorum insignibus utantur dumtaxat in propria Ecclesia. Quod si privilegio polleant ea induendi etiam extra, nonnisi in supplica-

tionibus, aliisque Ecclesiasticis functionibus, quibus capitulariter, non autem ut singuli intersunt, ea possint adhibere. . . Et facto verbo cum SS. ferendum, atque edendum esse censuit Generale Decretum; ideo declaravit:

Sub num. 2. *Dignitatibus, et Canonicis, etiamsi gaudeant indulto deferendi cappam, et rocchettum tam in propria, quam in alienis Ecclesiis, huiusmodi tamen, aliorumque Canonicalium insignium usum extra propriam Ecclesiam licitum esse dumtaxat, quando capitulariter incedunt, vel assistunt, et peragunt sacras functiones, non autem si intersint ut singuli, nisi speciale privilegium nedum Collegium comprehendat verum etiam singulariter, et distincte ad personas extendatur.* Et ita declaravit, decrevit, et servari mandavit, si SS. videbitur. Die 31 maii 1817.

Facta autem relatione, per me infrascriptum Secretarium S. Rit. C. de praemissis SS. D. N. Pio VII Pont. Max. Sanctitas Sua S. C. Decretum apostolica confirmatione munitum typis tradi, et evulgari iussit. Pridie nonas iunii 1817.

653. An omnes Capitulares teneantur obedire Caeremoniarum Magistro in iis, quae divinum cultum respiciunt, vel potius considerari debeat tanquam Capitularium famulus?

Resp. *Capitulares omnes teneri obedire Caeremoniarum Magistro in iis quae divinum cultum respiciunt; eumdemque in sui muneris exercitio esse Capitularium Directorem, non famulum.* S. Rit. C. 21 maii 1817. *Dubiorum* ad 11. Quod iam fuerat ab eadem S. C. decisum sub die 17 iulii 1734. *In Monopolitana.*

654. Ecclesiae Mantuanae Canonicos ex antiqua, et immemorabili consuetudine, statutis etiam eiusdem Ecclesiae confirmata, solitos esse, dum solemniter celebrant, praeter Diaconum, et Subdiaconum unum Capellanum assistentem cum pluviali habere, quam assistentiam solis Praelatis, non autem Canonicis dandam esse, ex praescripto libri Caeremonialis Magistrum Caeremoniarum eiusdem Mantuanae Ecclesiae asseruisse S. Rit. C. narratum fuit, et petitum: An dicta immemorabilis consuetudo continuanda sit, nec ne?

Eadem S. Rit. C. *Librum Caeremonialem Episcoporum in praemissis non obstare,* respondit, *et ideo praedictam Ecclesiae Mantuanae immemorabilem consuetudinem servandam esse, et nihil innovandum* censuit, et declaravit. Die 19 iunii 1604. *Mantuana.*

655. An Capellani, qui Cappas, seu Pluvialia in Ecclesia Burgen. Canonicis in quibusdam solemnitatibus ministrant, ca-

pite detecto, ut hactenus consueverunt, vel cooperto, ut modo praetendunt, ministrare debeant, pro parte Capituli Burgen. petitum fuit. Et S. Rit. C. *capite detecto Capellanos ministrare debere iuxta solitum*, respondit: *Et ita in posterum servari* mandavit. Die 19 iunii 1604. *Burgen.*

656. Capitulum, et Canonici Ecclesiae Salernitanae S. Rit. C. exponi fecerunt, eos habere in eorum Ecclesia nonnullas particulares, et antiquas Caeremonias a Pio IV fel. rec. approbatas, quae libro Caeremoniali Episcoporum noviter impresso non sunt conformes, et ideo ab eadem S. Rit. C. declarari petierunt, eos non esse obligatos ad observationem dicti libri Caeremonialis.

Quae quidem S. Rit. C. respondit: *Omnes Ecclesias, Metropolitanas, Cathedrales, et Collegiatas dictum librum Caeremonialem in omnibus ad unguem servare debere, praeter quam in illis, quae de antiqua, immemorabili, et laudabili consuetudine, alio, vel diverso modo ab eo, quo in Caeremoniali praescribitur, observantur.* Et ita censuit, et declaravit die 16 iulii 1605. *Salernitana.*

657. An disposita in tertia parte Pontificalis de porrigendo Praelato, vel Legato processionaliter ingredienti aspersorium a maiori dignitate habeat locum in Canonico digniori Cathedralis processionaliter Ecclesiam ingredienti, ut puta in Litaniis?

Et S. C. respondit: *Non habere locum.* Die 5 augusti 1627. *Urbis. Dubiorum*, ad 1.

658. Praepositus Cathedralis Pientinae supplicavit definiri, an ipse, absente vel impedito Episcopo, distribuens Palmas laicis stare debeat capite detecto, vel cooperto?

Et S. C. respondit: *Stare debet capite detecto, prout eidem alias respondit* 18 *iulii* 1626. Die 31 martii 1629. *Pientina.*

659. Praepositus, qui est prima dignitas post Episcopum in Ecclesia Niciensi asserens ab antiquissimo tempore, quando solemniter celebrat pro Episcopo absente, vel impedito habere in Missa, ultra Diaconum, et Subdiaconum, etiam Capellanum assistentem cum Pluviali, supplicavit mandari servari solitum. Et S. C. mandavit *servari solitum*, prout mandavit alias pro Ecclesia Mantuana in his propriis terminis. Die 7 decembr. 1630. *Nicien.*

660. Dignitates, et Canonici Cathedralis Caputaquen. ob aeris intemperiem non obligati ad residentiam in Civitate, supplicaverunt declarari, an ipsis existentibus in locis Dioecesis debeatur praecedentia supra alios Presbyteros in deferendo SS. Sacramentum ?

Et S. C. respondit: *Canonicis ut singulis nullam deberi praecedentiam, aut prerogativam.* Die 17 iulii 1640. *Caputaquen.*

661. Quaesivit Episcopus Vercellensis: An dignitatibus Ecclesiae Cathedralis habentibus usum Mitrae, dum illa utuntur in solemnioribus diebus, absente Episcopo a Choro, Canonici teneantur ministrare de Mitra, an potius ad Capellanos, et alios inferiores pertineat?

Et S. C. respondit: *Mitram per Capellanos, seu Ministros inferiores esse ministrandam.* Die 14 martii 1643. *Vercellen.* ad 6.

662. Consulta S. Rit. C. An Canonici teneantur Episcopum levare, et associare, quando ad Ecclesiam est accessurus ad assistendum divinis Officiis, et Pontificaliter celebrandum, quamvis ipse accedat cum Rocchetto, et Mozzetta, sed absque Cappa?

Eadem S. C. respondit: *A Canonicis cum habitu Canonicali non esse excipiendum, et associandum Episcopum, nisi sit Cappa indutus, et tunc satis est, ut per Canonicos excipiatur ad portam Ecclesiae.* Die 13 ianuarii, et 13 septembr. 1646. *Nicien.*

663. An Praeposito Capituli Cathedralis in Processionibus debeatur candela maioris ponderis, et in distributione Palmarum distincta, et honorabilior, quam ceteris de Capitulo?

Resp. *Affirmative.* S. Rit. C. die 21 aprilis 1736. *Anagnina*, ad 5.

664. An Praepositus Capituli Cathedralis teneatur per se ipsum, quando non est legitime impeditus, servare hebdomadam in Choro, et canere Missas per turnum cum caeteris Canonicis?

Resp. *Affirmative.* S. Rit. C. die 21 aprilis 1736. *Anagnina*, ad 10.

665. Pro parte Capituli et Canonicorum Ecclesiae Cusentinae supplicatum fuit S. Rit. C. declarari: An Archiepiscopo in ferialibus accedenti ad Ecclesiam cum cappa interessendo concionibus teneantur praestare obsequia, quae consueverunt in solemnioribus, nempe illum euntem et redeuntem comitari?

Eadem S. C. respondit: *Teneri quandocumque cappa pontificali indutus accedat ad Ecclesiam, cum ea distat nisi ducentis passibus.* Die 17 martii 1663. *In Cusentina.*

666. An Episcopo divinis cum cappa interessenti teneantur ponere et deponere biretum Canonici et Dignitates assistentes? Resp. *Biretum Ordinariis locorum Divinis cum cappa interessentibus non per Dignitates aut Canonicos assistentes, sed per seipsos poni et deponi debere.*

667. An Canonici teneantur Episcopo ministrare, assistere, et inservire ordinationes tam intra quam extra Cathedralem Ecclesiam facienti? Resp. *Teneri Canonicos praefatos ministrare assistere et inservire Episcopo Ordinationes tam intra quam extra Cathedralem facienti dummodo in Cathedrali tot Canonici et ministri remaneant, qui satis sint ad divina officia celebranda*. S. Rit. C. die 16 septembr. 1645. *In Grossetana*, ad dub. 1. et 3.

668. Audito Archiepiscopo Ragusino ac mature perpensis rationibus et fidibus per eumdem adductis et exhibitis, Emi S. Rit. C. praepositi declararunt *teneri assistentes accipere biretum de manu Archiepiscopi cappa induti et reddere eidem Archiepiscopo*. Die 4 augusti 1663. *In Ragusina.*

669. An Canonicis habentibus usum cappae magnae liceat cessante consuetudine in choro et canonicali uti superpelliceo supra rocchettum? Resp. *Affirmative nempe a primis Vesperis Vigiliae omnium Sanctorum usque ad Sabbatum Sanctum Paschae Resurrectionis Canonici deferant cappam supra rocchettum, et deinde postea cottam seu superpelliceum*. S. Rit. C. die 22 ianuarii 1678. *In Cusentina.*

670. An liceat Clericis ministrantibus thuribulum seu naviculam Canonicis celebrantibus genua illi flectere sicut Episcopo? S. Rit. C. resp. *Negative*. Die 4 aprilis 1699. *In una Burgi s. Sepulchri*, ad 7.

671. An Canonici, qui sacris vestibus induti assistunt Episcopo exercenti Pontificalia, sedere debeant super scabellis panno coopertis? Resp. *Negative*. S. Rit. C. die 19 iulii 1738. *In Bituntina*, ad dub. 27.

672. An Canonici et Assistentes Episcopo parati et illum ad Altare comitantes in pontificalibus debeant omnes procedere cooperti vel nudis capitibus? Resp. *Ratione habita paramentorum posse procedere per ecclesiam coopertis capitibus*. S. Rit. C. die 28 aprilis 1708. *In Bracharen.* ad dub. 4.

673. An Canonicus Cathedralis concionator teneatur Episcopo genuflectere in actu recipiendae benedictionis, seu potius tantum caput inclinare? Resp. *Servetur Caeremoniale Episcoporum lib. 1. cap. 22*. S. Rit. C. die 3 augusti 1737. *In Urbevetana*, ad 9.

674. *Canonicos pro Diacono et Subdiacono assistentes debere genuflectere dum Archiepiscopus actu Sacramento benedicit*, declaravit S. Rit. C. die 28 novembr. 1739. *In Messan.*

675. Utrum assertae consuetudinis immemorabilis vi liceat Canonico celebranti uti pulvinari pro genuflectendo coram Archiepiscopo? Resp. *Probetur formiter asserta consuetudo.*

676. Pisanae Ecclesiae Primatialis Canonici dum e propria residentia ad illam, vel ab illius ianua ad propriam Sedem Archiepiscopalem Archipraesulem in cappa accedentem comitantur, iuxta sublatum morem Canonicorum Ravennatensium bini post Crucem Archiepiscopalem ante ipsum Antistitem progrediuntur. Ad hanc tuendam consuetudinem maximi roboris esse perhibetur veterum picturarum testimonium, et perennis traditio a maioribus accepta adeo ut praesumatur hic usus ab eo tempore inchoatus, quo ab Urbano Papa secundo haec primatialis ecclesia in metropoliticam dignitatem recepta est. Quaeritur igitur utrum recensita consuetudo servanda nec ne sit? Resp. *Negative et servetur omnino Caeremoniale Episcoporum*. S. Rit. C. die 12 novembr. 1831. *In Pisana*, ad dub. 12.

677. Utrum Canonicus qui per Apostolicas litteras expeditas favore sui Collegii Canonicorum gaudet usu rocchetti et mozzettae etiam coram Pontifice, illis uti valeat in Sacramentorum administratione, et verbum Dei annunciando? Resp. *Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam, sed in propria tantum Ecclesia, vel in aliis ecclesiis ubi adest usus deferendi cappam vel mozzettam iuxta decretum in una dubior. diei* 31 *maii* 1817.

678. Quatenus negative, utrum superpelliceum rocchetto imponere valeat? Resp. *Affirmative si Capitulum in choro utatur superpelliceo tempore aestivo, secus negative iuxta decretum praedictum, sed cotta tantum et stola utendum iuxta Rituale Romanum tit.* 1. *n.* 7. S. Rit. C. *In Maceraten.* die 7 april. 1832. ad dub. 1. et 2.

679. An Beneficiati Cathedralis Recineten. qui Diaconi et Subdiaconi munia exercere debent, possint ac debeant indui paramentis sacris in eadem mensa in qua planeta vel pluviali se induit celebrans etiamsi hic sit Canonicus, et Dignitas? Resp. *Affirmative*. S. Rit. C. die 16 martii 1833. *In Recineten.*

680. Rmus hodiernus Compostellanus Archiepiscopus S. Rit. C. supplex adivit, declarationem consecuturus quoad sequens dubium nimirum: an Canonici Cathedralis teneantur assistentiam praestare Episcopo extra Cathedralem ipsam sacras ordinationes facienti? Emi et Rmi Patres sacris ritibus tuendis praepositi in ordinariis comitiis ad Vaticanum habitis perpendentes alias ab hac S. C. decretum fuisse Canonicos Cathedralis teneri ad assistentiam Episcopo praestandam tam intra quam extra Cathedralem, atque etiam privatim Ordinationes peragenti, rescribendum censuerunt: *Serventur decreta in una Veliternen. diei* 6 *septembr.* 1698, *in Grossetana diei* 16 *septembr.* 1645,

ac Civitatis Ducalis diei 7 *decembris* 1698, *nec non Caeremoniale Episcoporum.* Die 23 maii 1835. *In Compostellana.*

681. Quum Canonici Cathedralis Compostellanae renuant associare Rmum Archiepiscopum ab aula ad Ecclesiam, uti praescribitur in Caeremoniali Episcoporum, dum Pontificalia peragere debet, Rmus idem Archiepiscopus opportunam in re declarationem a S. Rit. C. expostulavit humillime. Et S. eadem C. ad Vaticanum coadunata in Ordinario coetu rescribendum censuit: *Servetur dispositio Caeremonialis lib.* 1 *cap.* 20. *et detur decretum in Turritana diei* 26 *aprilis* 1704. Atque ita rescripsit, servarique mandavit. Die 23 maii 1835. *In Compostellana.*

Alia videnda sub numeris 78. 269. 278. 291. 407. 449. 483. 484. 564. 565. 567. 591. 594. 598. 599. 602. 609. 611. 613. 614. 619. 622. 624. 632. 633. 634. 635. 636. 639. 640. 641. 642. 692. 696. 757. 782. 783. 812. 827. 847.

§. V. *De Collegiatis*

682. An Canonicus Ecclesiae Collegiatae in Ordine Presbyterali constitutus, qui tamquam Presbyter a principio locum habuit supra Diaconos, debeat cedere locum digniorem Canonicis Diaconis praedictis, si postea ordinentur Presbyteri?

S. Rit. C. respondit: *Nihil innovandum esse, et illum Canonicum debere praecedere, qui prius tamquam Presbyter praecedentiam habuit, licet Canonici Diaconi postea facti sint Presbyteri: quia attenditur prioritas Ordinis, et non Canonicatus.* Et ita declaravit, die 3 augusti 1602. *Urbis.*

683. *Satis est, si Prior Collegiatae, dum in Cathedrali simul cum illius Dignitatibus, et Canonicis interest, duplici ductu thuribuli thurificetur; sed non competit Priori Collegiatae praecedentia super Canonicos Cathedralis.* S. Rit. C. die 19 augusti 1619. *Tuscanellae.*

684. Archipresbyter, Cantor, et Presbyteri s. Matthaei Terrae Siciniani, Caputaquensis Dioecesis, petunt responderi: An Primicerius, Cantor, et Canonici Ecclesiae s. Margaritae erectae ab Episcopo in Collegiatam absque confirmatione Sedis Apostolicae, possit frui praerogativis Ecclesiae Collegiatae?

Et S. C. posito quod non habeat confirmationem Apostolicam respondit: *Non posse.* Die 3 iulii 1627. *Caputaquen.*

Nota. Si tamen Collegiata fuerit antiquitus auctoritate Apostolica instituta, ac deinceps, nulla secuta canonica suppressione, seu extinctione, in vim temporalium vicissitudinum ipsa cessante, postea erecta videatur auctoritate Ordinaria absque Sedis Apostolicae confirmatione, an talis erectio teneat, et pos-

sint Canonici frui praerogativis, quibus antea gaudebant, censetur quod sic, si non constet de Canonica suppressione, seu extinctione (quae non sufficeret si esset mere indirecta, vel tacita, cum simus in odiosis), per quas enim causas res existunt, per eas dissolvi necessum est: nec per obliquas temporum vicissitudines aequum est Collegiatas canonice erectas radicitus evulsas iri: quae proinde censerentur in illo intermedio mortificatae, non mortuae.

Quod probari videtur ex Barbosa tit. *De Canonicis, et Dignitatibus*, cap. 2. num. 13. post Innoc. in cap. *Postulasti* n. 1. *de iure Patron.* dicente: *Qui* (Canonici) *si recesserint, vel saltem de praesenti non existat Collegiata, adhuc tamen sufficit illam habitu esse ad hoc, ut censeri debeat Collegiata. Numerus autem trium Canonicorum congruus est ad Collegiatam constituendam.* Idem Barbosa, loc. cit. n. 12.

685. Dubiis tribus per Parochum s. Petri Terrae Silvalungae porrectis, sic respondendum censuit S. Rit. C.

Ad 1: *Canonicos Collegiatae Capitulariter convenientes in Ecclesia Parochiali s. Petri occasione festivitatum, aut funeralium, habere debere praecedentiam super omnes alios praeter Celebrantem solemniter, aut Officium facientem.*

Ad 2: *Missas solemnes in Parochiali spectare ad Parochum, seu Rectorem.*

Ad 3: *Officium super cadaveribus peragi debere ab ipso Rectore in sua Parochiali, etiam quod interveniat Capitulum Collegiatae*, eadem S. C. 21 iunii 1636. *Pientina.*

686. Canonici Collegiatae Ecclesiae Morri Vallis supplicarunt praecipi Regularibus Loci, ne audeant pulsare campanas pro Salutatione Angelica, nisi prius dato signo per Ecclesiam Collegiatam.

Et S. C. respondit: *Nihil*, die 24 septembr. 1638. *Firmana.*

687. Carolus Fortunatus, primus post Decanum in Collegiata s. Constantii, supplicavit declarari ad ipsum spectare, et pertinere Missas solemnes, absente, vel impedito Decano.

Et S. Rit. C. respondit: *Ad Oratorem spectare Missarum solemnium celebrationem, absente, vel impedito Decano*, 26 martii 1639. *Fanen.*

688. Capitulo, et Canonicis Collegiatae Ecclesiae s. Iacobi de Bene Dioecesis Montis Regalis petentibus declarari :

Primo : An Parochus, et Clerus Ecclesiae Parochiali Matrici addicti, sint praeferendi Capitulo, et Canonicis Collegiatae ? Resp. *Capitulum, et Canonicos Collegiatae Parocho Matricis Ecclesiae in omnibus praeferendos esse.*

Secundo: An Parochus Protonotarius Apostolicus uti possit Almutia? Resp. *Parochum uti Protonotarium Almutia nullatenus uti posse.*

Tertio: An in Synodo Dioecesana Capitulum Collegiatae sit Parocho Matricis Ecclesiae praeferendum? Resp. *In Synodo Canonicos Collegiatae praeferendos esse cuilibet Parocho etiam Matricis Ecclesiae eiusdem Loci.*

Quarto: An valida sit erectio Collegiatae auctoritate Ordinaria, ob idque Collegiata, Auctoritate Apostolica erecta, videatur praeferenda antiquiori Collegiatae, sed novissimis hisce temporibus erectae auctoritate Ordinaria? Resp. *Erectionem Collegiatae auctoritate Ordinaria, cui saltem Auctoritas Apostolica minime accesserit, penitus nullam nequaquam sustineri: et Collegiatam canonice erectam ius praelationis acquisivisse super ceteris a die expeditionis Litterarum Apostolicarum.* Et ita servari mandavit S. Rit. C. 4 augusti 1657; *Montis Regalis*, et 11 decembris 1613, *Verulanen.*

689. Iterum proposita in C. S. Rit. controversia, quae versabatur inter Capitulum Collegiatae s. Iacobi, et Archipresbyterum Terrae Bennarum, S. eadem C. pluries auditis partibus declaravit: *Decretum editum die* 4 *augusti* 1657 *executioni debitae demandandum esse, nempe quod Capitulum Collegiatae praeferatur praefato Archipresbytero, quamvis Archipresbyteralis Ecclesia sit unica Parochialis, et Collegiata Ecclesia animarum cura penitus careat. Idemque quoad unicam Crucem Collegiatae Ecclesiae in funeribus deferendam, si Capitulum intervenerit servandum fore. Usum vero Almutiae praedicto Archipresbytero prohibendum, ex quo adhuc non docuerit de Indulto Apostolico.* Die 2 iulii 1661. *Montis Regalis.*

690. Proposita in S. Rit. C. per Emum D. Card. Bona causa Cavallicen. praeeminentiarum, vertente inter Canonicos Ecclesiae Collegiatae Villae Insulae, Cavallicen. Dioecesis ex una, et Sacristam, et Praecantorem dictae Ecclesiae partibus ex altera, de, et super iure faciendi functiones in solemnibus festivitatibus, absente, vel impedito Praeposito dictae Ecclesiae.

Eadem S. C. audita relatione Episcopi Ordinarii, et utraque parte informante, censuit, *absente, impedito, vel nolente Praeposito, functiones Ecclesiasticas spectare ad Canonicos digniores ordine successivo*, hac die 23 augusti 1673. *Cavallicen. Praeeminentiarum.*

691. Propositis in S. Rit. C. ab Emo Cardinali Francisco Barberino infrascriptis dubiis, inter Monachos Congregationis

Reformatae s. Bernardi Monasterii B.Mariae de Testona ex una, et Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Collegiatae Montis Callerii, Taurinensis Dioecesis, ex altera, partibus excitatis videlicet:

Primo: An, et a quo, et quomodo sit danda aqua lustralis Capitulo, et Canonicis processionaliter accedentibus in Ecclesiam B. Mariae de Testona?

Secundo: An constet de consuetudine faciendi Commemorationem Defunctorum a Capitulo, et Canonicis in ingressu dictae Ecclesiae usque ad medium, in die tertia Rogationum, ac in Nativitate B. Virginis? Et quatenus affirmative, an dicta consuetudo sit retinenda?

Et eadem S. Rit. C. tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, censuit respondendum:

Ad primum: *Dandam esse aquam lustralem per Monachum Sacerdotem, seu Clericum cotta indutum per aspersionem cum aspergillo Capitulo, et Canonicis processionaliter accedentibus ad Ecclesiam B. Mariae de Testona; Sacerdoti vero pluviali induto per contactum.*

Ad secundum: *Non licere canere* De profundis *et* Libera me Domine, etc., *in casu, de quo agitur.* Et ita decrevit, et servari mandavit, die 12 septembris 1699. *Taurinen. Praeeminentiarum.*

692. Proposito ab Emo et Rmo D. Card. Colloredo in S. Rit. C. infrascripto dubio: An intervenientibus Canonicis insignis Collegiatae s. Gaudentii una cum Canonicis Cathedralis Novariae in functionibus Pontificalibus, debeatur praedictis Canonicis Collegiatae thurificatio, et pax a quo, et quomodo?

S. eadem Rit. C. tam in voce, quam in scriptis informantibus partibus auditis, respondit: *Thurificationem Canonicis Collegiatae s. Gaudentii deberi ab eodem Ministro, sed unico ductu; et idem servandum in dando osculo pacis.* Et ita declaravit, et servari mandavit, die 23 ianuarii 1700. *Novarien. Thurificationis.*

Nota: Aliter statutum fuerat in *Fundana dubiorum* sub die 16 iunii 1674, ubi ad dubium excitatum in S. Rit. C. inter Capitulum, et Canonicos Cathedralis Civitatis Fundanae, et Capitulum, et Canonicos Collegiatae s. Mariae eiusdem Civitatis, videlicet:

An ipsi Archipresbyter, et Canonici Collegiatae assistentes in Cathedrali Divinis Officiis sint uno, vel duobus ductibus thurificandi? Eadem S. Rit. C. respondit ad 2. *Canonicos Collegiatae esse thurificandos duplici ductu.*

693. An prima dignitas insignis Collegiatae titulo B. M. V.

Olivae Vivamiensis, Dioecesis Bracharensis; qui adhuc non est Sacerdos, in Benedictione candelarum, et palmarum ministrare debeat Sacerdoti celebranti candelam, et palmam, vel potius similes actiones ad secundam dignitatem Sacerdotem, praesente in Choro supradicta prima dignitate, pertinere debeant?

Resp. *Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.* S. Rit. C. die 10 septembris 1796. *Bracharen.*

694. Petitum fuit pro parte Collegiatae Ecclesiae Terrae Schii declarari: An, vocato Capitulo ad funus alicuius, si interveniant de Ordine Capituli tres, vel quatuor ex Canonicis, dicantur capitulariter incedere, ad effectum gaudendi praeeminentia Capitulo Collegiatae concessa?

Et S. C. respondit: *Iuxta alias resoluta tres ex Canonicis in casu proposito sub Cruce Capituli associantes funus repraesentare totum Capitulum, ad effectum habendi praecedentiam supra omnes alios funus associantes.* Die 23 maii 1639. *Vincentina.*

695. Capitulum, et Canonici Collegiatae Oppidi Bennarum supplicarunt pro declaratione infrascriptorum dubiorum:

Primum: An, cum in dicto Loco Auctoritate Apostolica erecta sit nova Collegiata de bonis patrimonialibus sine cura animarum, in die Corporis Christi levanda sit Processio, et SS. Sacramentum de Ecclesia ipsius Collegiatae, vel de Parochiali, uti prius? Resp. *De Ecclesia Parochiali Matrice.*

Secundum: An delatio SS. Sacramenti in dicta die spectet ad Parochum Matricis, vel potius ad Dignitatem, et, eo absente, ad antiquiorem Canonicum? Resp. *Ad Parochum.*

Tertium: An, cum Regulares, et Confraternitates Laicorum ex immemorabili consuetudine dicti Loci faciant suas Processiones per limites Parochiae, et cum propria tantum Cruce, hoc idem liceat Canonicis dictae Collegiatae? Resp. *Ad Ecclesias tantum Parochiales infra limites Parochiae.*

Quartum: An in festo s. Marci Evangelistae, et triduo Rogationum Parochus Matricis una cum suis Clericis convenire debeat in Collegiatam Ecclesiam, ut ex illa leventur Processiones illis diebus faciendae, vel potius teneatur Capitulum illas facere separatim ab ipso Parocho? Resp. *Convenire debet ad Ecclesiam Parochialem Matricem, cum ius benedicendi sit ad Parochum.*

Quintum: An spectet ad primam Dignitatem, et, ea absente, ad digniorem de Capitulo, vel potius ad Parochum, in cuius districtu dicta Collegiata posita est, administrare Sacramenta Canonicis eiusdem Collegiatae, illorumque funus leva-

re, et officium facere circa illud, dum defertur ad sepeliendum?

Resp. *Ad Parochum. Nisi secus in casibus omnibus praedictis provisum sit a Sede Apostolica in erectione Collegiatae, et nisi Collegiata gaudeat aliquo privilegio Apostolico.* S. Rit. C. 17 martii 1663. *Taurinen.*

696. Relato ab Emo, et Rmo D. Card. Costaguto in S. Rit. C. super controversiis exortis inter Capitulum, et Canonicos Collegiatae s. Gaudentii ex una, et Capitulum, et Canonicos Cathedralis Civitatis Novarien. ex altera, partibus infrascripto dubio:

An liceat Capitulo, et Canonicis Ecclesiae s. Gaudentii, tam die festivitatis dicti Sancti, quam quandocumque, Episcopo ibi ad Pontificalia exercenda accedenti obviam ire ad ianuam Ecclesiae, aspersorium praesentare, et successive illum circumcirca lateraliter comitari usque ad Altare, etiamsi dictum Episcopum processionaliter praeincedant Capitulum, et Canonici Cathedralis dictae Civitatis, inhibitione Episcopi, et aliis quibuscumque non obstantibus?

Eadem S. C. visis, et auditis iuribus, et informationibus utriusque partis tam in scriptis, quam in voce deductis, respondit: *Quoad porrectionem aspersorii affirmative, quoad associationem negative.* Et ita declaravit, et servari mandavit. Die 4 septembr. 1694. *Novarien.*

697. Super iure praecedendi in Processionibus, ceterisque functionibus Ecclesiasticis inter Seminarium Civitatis Sarni, et Capitulum Ecclesiae Cathedralis, adversus Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Collegiatae s. Matthaei eiusdem Civitatis, ortis controversiis, illisque ad S. Rit. C. delatis, Emus et Rmus D. Card. Albanus infrascripta dubia inter partes concordata declaranda proposuit.

Primo: An in Processionibus, ceterisque functionibus Ecclesiasticis praecedentia debeatur Capitulo, et Canonicis Ecclesiae Collegiatae s. Matthaei Sarni, vel potius Seminario eiusdem Civitatis? Resp. *Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam, quando incedunt sub diversa Cruce.*

Secundo: An eadem praecedentia debeatur dicto Capitulo, et Canonicis, quotiescumque praefatum Capitulum, et Canonici incedant sub Cruce Cathedralis? Resp. *Affirmative.*

Et ita declaravit, et servari mandavit S. Rit. C. Die 15 februarii 1716. *Sarnen.*

698. Delata in S. Rit. C. causa Senogallien. praeeminentiarum inter Capitulum s. Mariae ex una, et Sacerdotem Antonium Caprini Plebanum s. Petri Belvederii Senogallien. Dioe-

cesis ex altera, partibus, infrascripta dubia inter easdem partes concordata, Emus et Rmus D. Card. Crivelli decidenda proposuit, videlicet:

Primo: An Collegiata Belvederii praecedere debeat Ecclesiae Parochiali eiusdem Loci in casu etc.? Resp. *Negative.*

Secundo: An, et quae functiones spectent ad Collegiatam, et quae ad Parochum? Resp. *Licere Collegiatae exercitium functionum consuetarum: dummodo non turbetur exercitium functionum propriarum Parochiae s. Petri.*

Et ita declaravit, et servari mandavit eadem S. C. Die 20 septembris 1806. *Senogallien.*

Nota. Aliter quandoque in similibus statutum est: unde iurium discrimen inter Collegiatas, et Parochiales Ecclesias eiusdem Civitatis, vel Oppidi non aliunde, ut plurimum advenit, nisi ex privilegiis, quae in earum erectione, plus, minusve unicuique sancita fuere, vel quae tractu temporis a s. Sede sunt consecutae.

699. Utrum tolerari possit, ut in Collegiata, cum in Choro adsunt Beneficiati Sacerdotes, unus in Minoribus constitutus impleat onus suae hebdomadae in decantandis tantummodo Horis Canonicis, vertendo versum *Dominus vobiscum* in *Domine exaudi orationem meam?*

Resp. *Negative.* S. Rit. C. die 17 septembr. 1785. *Portugallien.* ad 6.

Alia videnda sub numeris 72. 93. 94. 561. 565. 754. 806.

§. VI. *De Coadiutoribus*

700. Pro parte Capituli Ecclesiae Elboren. quaedam dubia declaranda in S. Rit. C. proposita fuerunt, videlicet:

Primum: Cum in praedicta Ecclesia extet quoddam Statutum, cuius vigore potest Capitulum praedictum ob senectutem, seu temporalem, aut perpetuam infirmitatem eximere, et iubilare Praebendatos, seu Beneficiatos illius:

Quaeritur, an Statutum praedictum extendatur ad Coadiutores, et Capitulum possit etiam Coadiutores eximere, et iubilare?

Congregatio respondit: *Statutum stricte esse intelligendum, et ideo non esse extendendum ad Coadiutores* declaravit.

Secundum: Utrum dum Coadiuti reperiuntur infirmi, seu in servitio Sancti Officii Sacrae Inquisitionis, aut in quovis alio ministerio occupati, quorum occasione de iure, aut iuxta Ecclesiae praedictae Statuta habentur pro praesentibus, remaneant Coadiutores per hoc exempti, et liberi ab obligatione residendi in Ecclesia, durante impedimento Coadiuti?

Congregatio respondit: *Coadiutores non remanere exem-*

ptos, seu liberos ab obligatione residendi, quando Coadiuti sunt infirmi, vel alia causa impediti, per quam tamquam praesentes vigore Statuti reputarentur.

Tertium: An idem servandum in casu diverso, ubi scilicet Coadiutor est exemptus, an Coadiutus residere, et interesse debeat?

Congregatio respondit: *Coadiutum residere debere, quando Coadiutor est absens, vel ex quavis causa exemptus.*

Quartum: An si existentibus in Choro Coadiutoribus, dum Horae Canonicae cantantur, superveniant Coadiuti, qui pro eorum devotione velint stare in Choro, remaneant ipsi Coadiutores exempti, et lucrari valeant distributiones quotidianas, licet in litteris Coadiutoriarum non fuerit expressum, quod alternatim servire possint?

Congregatio respondit: *Non posse Coadiutores lucrari distributiones quotidianas, quando Coadiuti sunt praesentes ex quacumque causa.*

Quintum: Quia de Ecclesiae consuetudine, quando deficit Hebdomadarius in Choro, iunior (deficiente etiam aliquo quaternario) tenetur in eius locum officiare, quaeritur, utrum Coadiutores, qui iuxta Statuta eiusdem Ecclesiae sedere debent post Canonicum iuniorem, teneantur officiare in locum Hebdomadarii absentis?

Congregatio respondit: *Canonicum iuniorem iuxta Ecclesiae consuetudinem, non Coadiutores debere Officium facere in locum Hebdomadarii absentis, vel impediti.*

Et ita ut supra ad praedicta dubia eadem S. Rit. C. respondit, et declaravit die 15 aprilis 1606. *Elboren.*

701. Canonici, et Capitulum Ecclesiae Coimbricensis supplicavit humiliter S. Rit. C. ut dignetur illis declarare infrascripta dubia, videlicet:

Primum: An Coadiutores Canonicorum debeant habere novam possessionem post mortem Coadiuti, an vero satis sit illis prima possessio habita, vivente Coadiuto?

Resp. *Coadiutorem debere habere novam possessionem, nec sufficere primam possessionem habitam, vivente Coadiuto, superveniente tamen titulo Canonicatus post mortem Coadiuti, censeri sibi mutasse causam possessionis, nisi aliud appareat.*

Secundum: An Coadiutores sint veri Canonici, et pro talibus debeant haberi, et reputari, viventibus Coadiutis, an vero tantum post mortem Coadiuti?

Resp. *Coadiutores non esse veros Canonicos, nec pro talibus habendos esse, viventibus Coadiutis, sed tantum post obitum Coadiuti, gaudere tamen omnibus privilegiis expressis in ipsa Coadiutoria.*

Tertium: An Coadiutores, quibus data non fuit nova possessio post mortem suorum Principalium, sint tuti annales, triennales, vel decennales possessores?

Resp. *Coadiutores, quibus non est data nova possessio post obitum suorum Principalium, esse tutos annales, triennales, vel decennales possessores, si per annum, triennium, vel decennium continuaverint in sua possessione post obitum Coadiuti.*

Quartum: An Coadiutores, in vim primae possessionis acceptae in vita Coadiuti, possint praecedere in Choro, Capitulo, et Processionibus publicis veros Canonicos, qui de novo ipsis Coadiutoribus succedunt?

Resp. *Coadiutorem in vim primae possessionis acceptae in vita Coadiuti non praecedere in Choro, Capitulo, et Processionibus publicis veros Canonicos, qui de novo ipsis Coadiutoribus succedunt: sed durante vita Coadiuti debere remanere in ultima sede post omnes Canonicos sibi assignata tempore suae receptionis et ingressus.*

Quintum: An Coadiutores possint uti privilegiis concessis veris Canonicis, velut optandi Beneficia, et similibus pro dispositione Statutorum?

Resp. *Coadiutores posse uti privilegiis concessis veris Canonicis veluti optandi Beneficia, et similibus pro dispositione Statutorum, ad utilitatem tamen, et commoditatem Coadiuti.*

Septimum: An Coadiutores possint obligari tantum ad onera suorum Principalium, an vero ad onera etiam Canonicorum iuniorum?

Resp. *Coadiutores posse tantum obligari ad onera suorum Principalium, non autem etiam ad onera Canonicorum iuniorum.*

Octavum: Quomodo punctator Chori se habere debeat cum Coadiutoribus, qui residere nolunt, quando Coadiuti legitime impediti ratione infirmitatis, vel alterius excusationis volunt haberi pro praesentibus?

Resp. *Coadiutorem non esse exemptum, seu liberum ab obligatione residendi, quando Coadiutus legitime impeditus ratione infirmitatis, vel alterius excusationis vult haberi pro praesente. Et ideo punctatorem Chori posse punctare Coadiutum etiam legitime impeditum, quando Coadiutor non vult residere, ad damnum tamen ipsius Coadiutoris iuxta formam Coadiutoriae.*

Et ita eadem S. Rit. C. censuit, declaravit, et ad supradicta omnia dubia ut supra respondit, die 16 septembr. 1606. *Coimbricen.*

702. Cum Franciscus Tarchia perpetuus Coadiutor in Canonicatu Casalensi Francisci Tarchia Senioris teneatur pro ipso inservire, Missas cantare, et alias functiones facere, quae ad dictum Franciscum Seniorem Coadiutum pertinerent, et nonnulli ex Canonicis dictae Ecclesiae recusent inservire dicto Francisco Coadiutori, petiit a S. Rit. C. declarari, an id licite recusare possint?

Eadem S. Rit. C. respondit: *In absentia Coadiuti in omnibus functionibus Canonicalibus teneri Canonicos inservire, et ministrare iuniori Coadiutori, eo modo quo tenerentur inservire, et ministrare Canonico antiquiori Coadiuto.* Et ita declaravit, die 10 ianuarii 1609. *Casalen.*

703. Cum in Ecclesia Patavina prima dignitas sit Archipresbyteri, secunda vero Archidiaconi; quaesitum fuit: An Archidiaconi modernus Coadiutor cum futura successione, absente Archipresbytero, illas functiones, actus, et iurisdictiones facere, et exercere in omnibus, et per omnia possit, et debeat, quas sive iure ordinario, sive iure devoluto faceret, et exerceret ipse proprius Archidiaconus, si praesens esset, vel potius eae functiones, et iurisdictiones, absente Archipresbytero, non a Coadiutore Archidiaconi, sed ab inferioribus eiusdem Ecclesiae dignitatibus, aliisque gradatim Canonicis exercendae sint?

Et S. Rit. C. attentis litteris Coadiutoriae censuit, et declaravit: *Absente, vel impedito Archipresbytero ad Coadiutorem Archidiaconi iuxta formam earumdem litterarum, non ad alias dignitates inferiores, vel Canonicos eiusdem Ecclesiae pertinere illas functiones, actus, et iurisdictiones facere, et exercere, quas faceret, et exerceret quocumque iure ipse Archidiaconus, si praesens esset.* Et ita declaravit, et in Ecclesia Patavina servari mandavit, die 14 februarii 1615. *Patavina.*

704. In Ecclesia Cathedrali Reatina aderant duo Coadiutores Canonicorum, quorum secundus post mortem Coadiuti successit, et adeptus est possessionem Canonicatus, cui tamen primus Coadiutor tamquam antiquior vult praecedere: quaesitum fuit, cui praecedentia debeatur?

Et S. C. respondit: *Dictum secundum Coadiutorem, qui adeptus est possessionem Canonicatus per mortem Coadiuti praecedere debere.* Die 13 martii 1627. *Reatina.*

705. Consulta per Archipresbyterum secundam Dignitatem humiliter C. S. Rit. praeposita: An praesente in choro Archidiacono primam Dignitatem obtinente, functiones, et mu-

nera Episcopalia, absente, vel impedito Episcopo, ad eius Coadiutorem: et an, absente, vel impedito Coadiuto, ad eumdem Coadiutorem, vel potius ad proximam Dignitatem spectent?

Et Emi PP. ad 1: *Negative responderunt.* Ad 2. vero: *Coadiutori, non autem Dignitati proxime sequenti huiusmodi munera competere declararunt*, die 24 aprilis 1649. *Monopolitana.*

706. Cum S. Rit. C. in causa Lauretana controversiarum super iure praecedendi in Choro, ceterisque functionibus Ecclesiasticis, vertente inter Coadiutorem Primicerii Ecclesiae Cathedralis Lauretanae ex una, et ceteras Dignitates eiusdem partibus ex altera, sub diebus 15 ianuarii, et 2 aprilis 1667, inhaerendo aliis resolutionibus in similibus factis et signanter in causa Firmana, declaraverit, Coadiutorem Primicerii in Cathedrali Lauretana sedere debere in Choro post omnes alias Dignitates. Nihilominus eadem S. C. partibus tam in scriptis, quam in voce informantibus auditis, visisque iuribus hinc inde deductis, rescribendum censuit: *Praevio recessu a decisis sub diebus* 15 *ianuarii et* 2 *aprilis* 1667, *Coadiutores Dignitatum, absentibus Coadiutis, stare, et incedere debere in stallo Coadiuti tam in Choro, quam extra, et amplius.* Die 17 aprilis 1717. *Lauretana.*

Nota. Mirum non est, ait hic Rmus D. Gardellini sub-Promotor fidei, et S. Rit. C. Assessor, si apparens aliqua contradictio in praefatis decretis occurrat, quia ut plurimum in hisce, et similibus controversiis decidendi ratio desumpta est ex consuetudinibus Ecclesiarum, quoad rem, quae variationem iuxta circumstantias non respuit.

707. Cum in Ecclesia Metropolitana Bononiensi prima dignitas sit Archidiaconus, orta est controversia: An Archidiaconi modernus Coadiutor cum futura successione sedere debeat in Choro in ultimo loco post omnes dignitates, seu in ultimo loco post omnes Canonicos: Et an, absente Archidiacono, idem Coadiutor illas functiones exercere possit, quas faceret, sive exerceret ipse Archidiaconus, si praesens esset?

SS. D. N. Benedictus XIV, re mature discussa, et audito Rmo D. Card. Tamburino C. S. Rit. Praefecto, R. P. Ignatio Reali primo Sac. Caerem. Magistro, meque Secretario, et perpensis Decretis C. S. Rit. in similibus causis emanatis censuit, et declaravit:

Primo: *Praedictum Archidiaconi Coadiutorem sedere debere post omnes Dignitates, et ante omnes Canonicos, tam absente, quam praesente Coadiuto.*

Secundo: *Absente, vel impedito Archidiacono, ad Coadiutorem ipsius Archidiaconi, non ad alias Dignitates inferiores, vel Canonicos eiusdem Ecclesiae pertinere illas functiones, et actus exercere, quas faceret, et exerceret ipse Archidiaconus, si praesens esset.*

Et ita Sanctitas Sua in dicta Metropolitana Ecclesia Bononien. servari mandavit, quibuscumque in contrarium non obstantibus, die 15 martii 1757. *Bononien.*

§. VII. *De Protonotariis Apostolicis*

708. Ad instantiam Thesaurarii, et Magistri Caeremoniarum Cathedralis Ecclesiae Asculanae in Apulia a S. Rit. C. quaesitum fuit: an Archidiaconus eiusdem Ecclesiae, ex eo quod privilegium Protonotariatus obtinuerit, possit, et debeat in Choro, Processionibus, et aliis actibus publicis, relicto habitu proprio Archidiaconi, hoc est superpelliceo cum caputio violaceo, uti habitu Praelati, hoc est mantelletto, et rocchetto sine cotta, et caputio, et uti etiam dicto habitu, dum Episcopo Celebranti iuxta suum munus assistit, et in Processionibus incedere possit cum dicto habitu, non in loco sibi debito ut Archidiaconus, sed in ultimo tamquam Praelatus, et prope Episcopum? Et an conveniat, dum Missas in dicta Ecclesia celebrat, ut non ex Sacristia, ut faciunt ceteri omnes eiusdem Ecclesiae Dignitates, et Canonici, sed ex Altari sumat paramenta pro Missa celebranda more Praelatorum?

Eadem S. Rit. C. inhaerendo decretis alias in simili casu factis, declaravit: *Nullo modo posse Archidiaconum praedictum lucrari distributiones quotidianas, et fructus suae Praebendae Archidiaconalis, nisi in habitu proprio, et Archidiacono convenienti in Choro, et in Ecclesia assistat Horis Canonicis, et Divinis Officiis, et cum eodem habitu in Processionibus incedat in loco sibi debito, et convenienti tamquam Archidiacono, et non tamquam Protonotario. Et, dum in Ecclesia Cathedrali celebrat Missas, morem consuetum Ecclesiae servare debere, sicut faciunt alii eiusdem Ecclesiae Dignitates, et Canonici. Quod si voluerit uti habitu Protonotarii in Ecclesia praedicta, nihil participare poterit de fructibus, et distributionibus Archidiaconatus, tamquam extraneus reputabitur, eique locus assignandus erit post Abbates, non supra, nec inter Canonicos, ut dicitur in Caeremoniali Episcoporum lib.* 1. *cap.* 13. *circa finem.*

Et ita eadem Congr. declaravit, et in Ecclesia Asculana in Apulia servari mandavit, die 6 martii 1610. *Asculana in Apulia.*

709. Octavius Regina Canonicus in Ecclesia Panormitana,

et Protonotarius Apostolicus, qui per Urbem praedictam incedit cum habitu Praelati coloris violacei Protonotario convenienti, dum ad Ecclesiam convenit, ut tamquam Canonicus divinis assistat, deposito mantelletto super subtanam coloris violacei, habitum canonicalem induit eodem modo, et forma, prout omnes alii Canonici utuntur: qui praetendunt ipsum, dum Ecclesiam ingreditur, ut divinis assistat cum aliis Canonicis, debere deponere subtanam violaceam, et nigram capere, prout habent ceteri Canonici: propterea petiit a S. Rit. C. declarari, an tamquam Protonotarius possit uti dicta subtana violacea etiam in Ecclesia, dum divinis assistit?

Eadem S. Rit. C. respondit: *Posse dictum Canonicum Protonotarium uti subtana violacea in Choro, et in Ecclesia, dum divinis assistit, dummodo in ceteris omnibus habitum proprium, et Canonicis convenientem, et similem, et aequalem ceteris Canonicis deferat.* Et ita declaravit, die 14 ianuarii 1612. *In Panormitana.*

710. Cum novissime in Ecclesiis Patriarchalibus Urbis in dubium revocata fuisset antiqua quasi possessio praecedendi, et sedendi supra Canonicos, et immediate post Episcopos, quam Protonotarii Apostolici de numero Participantium semper habuerunt, SS. D. N. Paulus PP. V, per speciale rescriptum negotium huiusmodi ad S. Rit. C. remisit: et postmodum visa attestatione a Magistris Caeremoniarum ad favorem eorumdem Protonotariorum facta eidem Congregationi in hunc modum rescripsit: *Alla Congregazione de' Riti, che Nostro Signore intende, che non si faccia novità alcuna, ma si servi il solito secondo l'attestazione delli Maestri di Cerimonie, e si faccia sapere a chi bisogna.*

Eadem S. C. *Dictos Protonotarios in eorum quasi possessione praecedendi Canonicos, tam in praedictis Ecclesiis Patriarchalibus, quam in aliis quibuscumque etiam Cathedralibus, extra Urbem, manutenendos esse* censuit, et declaravit: *atque ita in futurum servandum esse* decrevit, *mandando Vicariis, et Canonicis dictarum Ecclesiarum Patriarchalium, et aliarum quarumcumque, ut in posterum in quibuscumque actibus huiusmodi decreto parere teneantur*, die 4 maii 1613. *Urbis.*

711. Proposui dubium in Regno Portugalliae excitatum, videlicet: in quo habitu debeant incedere Protonotarii in Processionibus, de quo in praecedenti Congregatione dictum fuit dari dubium pro prima?

Et S. C. respondit: *Protonotarios incedere debere cum mantelletto, et rocchetto*, die 18 iulii 1626. *Ulysbonen.*

712. An Protonotarii Titulares praecedere debeant Canonicos Cathedralis collegialiter non incedentes?

Resp. *Protonotarios praecedere debere, quando Canonici Cathedralis non incedunt collegialiter.* S. Rit. C. die 12 iulii 1628. *Dubiorum Urbis*, ad 2.

An tales Protonotarii habeant titulum Reverendissimi? *Remissum est ad S. C. Caeremoniarum*, ibi.

713. Franciscus Saeta Protonotarius Titularis, petiit hodie declarari, licere sibi, dum divinis assistit, stare immediate post Canonicos, ante omnes alios de Choro?

Et S. C. respondit: *Protonotariis Titularibus non licere ullo modo stare nec supra, nec infra Canonicos, aliosque de Choro, sed stare debere in loco assignato in Caeremoniali Episcopor. lib. 1. cap. 13.* quem ad unguem in omnibus, et per omnia in casu proposito servari mandavit, die 5 iulii 1631. *Licien.* (In dicto Caeremoniali habetur: *Protonotarii Apostolici non Participantes locum habent post Abbates, Participantes vero praecedunt Abbatibus*, loc. cit.)

714. Capitulum Cathedralis Nucerinae Paganorum instituit responderi: An liceat Canonico, vel Dignitati, qui sit etiam Protonotarius Titularis, in Cathedrali concionari cum habitu praelatitio, videlicet subtana, rocchetto, mantelletto, et stola?

S. C. respondit *Licere*, die 11 novembr. 1641. *Nucerina Paganorum.*

715. Praepositus Cathedralis, qui est Protonotarius Apostolicus, quaesivit, an liceat sibi, dum privatim celebrat extra Cathedralem, paramenta sumere de Altari?

Et S. C. iuxta decreta alias edita, et in Missali novo impressa respondit: *Paramenta pro celebratione Missarum nunquam per Oratorem esse sumenda de Altari, cum id competat solis Episcopis sive solemniter, sive privatim celebrantibus: inferioribus vero habentibus usum Pontificalium nonnisi quando in Pontificalibus celebrant.* Die 11 iulii 1643. *Brixien.*

De Privilegiis Protonotariorum Titularium, seu Honorariorum

716. Quamquam plura de Protonotariis, quos Titulares, seu Honorarios dicunt, a S. Rit. C. Decreta edita sint, prout videre est in nuperrima Decretorum eiusdem collectione, experientia tamen compertum est, complures abusus percrebuisse illorum culpa, qui nullis licet ut plurimum nominibus commendati talem honorem assequuti, vel iura sibi vindicare audent, quibus carent omnino, vel delatae dignitatis insignia in-

decore admodum adhibent, ut ne dum ipsorum splendorem haud referant pro dignitate,sed labem potius Ordini spectatissimo parent. Cum itaque crebrae de iis expostulationes ad SS. D. N. Pium VII humiliter etiam nomine plurium Episcoporum sint perlatae,Sanctitas Sua rem universam discutiendam commisit Congregationi particulari Emorum, et Rmorum DD. Card. de Somalia S. Rit. C. Praefecti, Litta, et Antonii ab Auria, qui una cum eiusdem S. Rit. C. Assessore, et altero ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, meque infrascripto Secretario, omnibus praediti facultatibus necessariis, et opportunis remedia proponeret, quae expedire magis viderentur, et certas praefinirent conditiones, et leges, quibus eorumdem privilegiorum modus, et usus contineretur.

Quare habito ad infrascriptum diem conventu in aedibus memorati Emi, et Rmi D. Card. de Somalia Praefecti, omnibusque serio, diligenterque perpensis, id in primis communi sententia visum est decernere, ut nimirum personarum delectus haberetur in Protonotariatus honore deferendo, ut nonnisi qui rite, honeste, ac pro dignitate id honoris sustinere valeant, eodem ornentur.

Proferantur idcirco testimonia, quibus constet indubie :

1. De nobili, vel honesta familiae conditione.

2. De aetate saltem annorum vigintiquinque.

3. De statu Clericali, et caelibi.

4. De Laurea Doctoratus in utroque iure, vel in Sacra Theologia a probata Universitate, vel a Collegio Protonotariorum Participantium rite tributa.

5. De morum honestate, et gravitate, ac de bona apud omnes existimatione.

6. De annuo censu scutatorum saltem biscentum, vel ex Patrimonii bonis, vel ex perpetuis pensionibus, vel ex Ecclesiasticis Beneficiis.

Sit praeterea petitio testimonio commendata Ordinarii, qui et de rebus hic adnotatis ob sibi tradita documenta edoceat, et personam idoneam se censere testetur, quae officium Protonotarii Titularis assequatur, illudque cum decore sustineat.

Quae quidem omnia luculenter probanda esse cautum est, quoties de honorario Protonotariatu assequendo postulatio praebeatur, sive per Apostolicas litteras, sive per diploma, quod a Collegio Protonotariorum Participantium tribuatur, seu a ceteris quibuslibet, qui iure gaudent illum conferendi.

Hisce de electione Protonotariorum Titularium constitutis, cum eos longe differre palam sit ab illis, qui sunt de Collegio

Participantium, vel ad instar Participantium, a SS. D. N. ex Romanae Curiae Praelatis adsciscuntur, decretum est, ea dumtaxat privilegia, iura, exemptiones, praeeminentias, praerogativas iisdem competere, quae infra singillatim enumerantur: aliis proinde quibuscumque, praesenti decreto non descriptis, irritis declaratis, et deletis, et abrogatis, utpote quae ex falsa plerumque diplomatum interpretatione, vel ex prava consuetudine, vel ex alio quovis praetextu usurpabantur, iisque insuper moderatis, ac reformatis, quae licet alias tribuerentur, gliscentibus tamen malis occasionem praebuisse dignoscuntur.

1. Igitur ius erit Protonotariis Apostolicis Titularibus extra Urbem dumtaxat, et quando eo loci, ubi degunt, non adsit Summus Pontifex, uti habitu Praelatitio, videlicet veste talari, et palliolo, nuncupato *mantelletto*, nigri coloris.

2. Eo habitu Praelatitio nigri coloris cum rocchetto subtus palliolum uti poterunt Protonotarii in publicis supplicationibus, aliisque Ecclesiae functionibus; in reliquis vero rocchettum dimittant simulque sciant sese, licet forte plures insimul conveniant, non exinde constituere Collegium, nec corporatos censeri.

3. Usus collaris, et caligarum coloris violacei omnino interdicitur: item et vitta, seu cordula in pileo coloris violacei, seu etiam, quo nonnullorum audacia erupit, rosacei, aut rubei, quae nigri dumtaxat coloris esse poterunt: eiusdem coloris sit pariter pileum cum lemniscis, stemmatibus imponendum.

4. Protonotarii Titulares, cui Dignitate, aut Canonicatu potiuntur, habitum gestent sui Ordinis, non vero Praelatitium in Choro, eoque consideant in loco, quem ex Beneficio eos deceat: quod si habitu Praelatitio uti velint, distributionibus quotidianis priventur, quae sodalibus accrescant.

5. Habitu Praelatitio induti omnibus Clericis Sacerdotibus simplicibus, et etiam Canonicis praeferendi sunt singulatim sumptis, non vero in Collegium coeuntibus. Neutiquam etiam praeferendos se esse arbitrentur aut Apostolicis Nunciis, aut utriusque Signaturae Referendariis, aliisve ex Romanae Curiae Praesulibus, etiamsi nullum ex sui muneris insignibus ii gestent, dummodo de ipsorum gradu non lateat: item nec antecellant Vicariis Generalibus, aut Capitularibus, aut Abbatibus.

6. Sacrum operantes a simplicibus Sacerdotibus minime differunt, idcirco sacras vestes induant in Sacrario, uno tantum Ministro utantur, ipsique Calicem deferant, detegant, cooperiant: item Libri Missalis folia evolvant; vetantur praeterea Palmatoriam, Canonem, Annulum, Pileolum adhibere.

7. Quando adstant ad Sacra cum habitu Praelatitio non genuflectant, sed caput inclinent, uti in more est apud Canonicos Cathedralis: duplici ductu thurificentur, consideant vero in loco per Caeremoniale Episcoporum constituto.

8. Conficere possunt Acta de Causis Beatificationis, et Canonizationis Servorum Dei: quo tamen privilegio uti nequeant, si eo loci alter sit e Protonotariis Participantibus.

9. Item rite eliguntur in Conservatores Ordinum Regularium, in Iudices Synodales, in Commissarios Apostolicos, et Iudices a Summo Pontifice adsciscendos pro Causis Ecclesiasticis, et Beneficiariis. Item apud ipsos Professionem fidei recte emittunt, qui ex Officio ad eamdem adstringuntur, item coram ipsis Pensiones transferri possunt ab iis, qui eo gaudent privilegio.

10. Beneficia eorum, qui Protonotariatum Titularem per Apostolicas litteras, vel per diploma Collegii Protonotariorum Participantium assequuti sunt, nonnisi ab Apostolica Sede conferri possunt.

11. In Civilibus Negotiis, nec non in Criminalibus, atque in vitae disciplina Ordinariis Locorum obnoxios plane se esse noverint, nullaque ratione ab ipsorum iurisdictione liberos esse comminiscantur.

12. Etsi habitum Praelatitium non gestent, gaudent tamen privilegio Fori, dummodo in habitu, et Tonsura incedant.

13. Familiaribus Papae minime accensentur, cum hoc privilegio gaudeant Protonotarii dumtaxat e Participantibus, vel Romanae Curiae Praelati,qui ex Pontificis benignitate iisdem aequiparantur.

14. Quae hic percensentur Privilegia, ea sunt, quibus dumtaxat Protonotarii Titulares donatos se sciant: qui secus facere, aliisque, praeter memorata, privilegiis, ac iuribus uti auserint, si ab Ordinario tamquam ab Apostolica Sede Delegato semel, et bis admoniti, non paruerint, eo ipso privatos delato honore se sciant.

15. Tandem qui Protonotariatu Titulari donati sunt , vel per Apostolicas litteras, vel alio legitimo diplomate, nequeant uti ipsius iuribus ad huiusce decreti praestitutum constabilitis, nisi antea vel Apostolicas litteras, vel diploma ipsum in Officio Secretarii Collegii Protonotariorum de numero Participantium exhibuerint, qui in Codicem referat nomen, cognomen, aetatem, patriam, qualitates novi Protonotarii Titularis, ac praeterea diem, ad quam vel Breve, vel diploma datum est.

Idem porro Protonotariatus privilegium in Secretaria Protonotariorum Participantium recognitum exhibeant Ordinario,

apud quem, vel apud aliam personam in Ecclesiastica dignitate constitutam Fidei professionem, et Fidelitatis iuramentum emittant.

Quibus peractis, fas ipsis sit habitum sui gradus induere, officium tenere, uti privilegiis, honoribus, praerogativis, quorum notula typis impressa, et ab aliquo ex Protonotariis Participantibus subscripta, et obsignata iisdem tradetur, ne quid adversus haec decreta ex ipsorum ignoratione peragi contingat.

Quare tum litterae Apostolicae in forma Brevis, tum diplomata, quibus Protonotarii Titulares creantur, concinnanda erunt iuxta huiusce decreti sententiam, ne qua ibidem ab eo aliena describantur.

Nihil autem hoc decreto immutatum censeatur de amplioribus privilegiis, quibus Collegia quaedam, et Capitula ex Apostolico Indulto etiam ad instar Protonotariorum Participantium alicubi gaudeant. Leges tamen, et conditiones in iisdem indultis praefinitae accurate, religioseque serventur: neque ulli fas sit concessionis limites pro suo arbitrio praetergredi, vel in Romana Curia id genus insignia deferre, vel sibi singulatim, et extra Collegii functiones attributa existimare, quae Corpori tantummodo sunt collata.

Demum eadem particularis Congregatio censuit rogandam esse Sanctitatem Suam, ut singula hoc Decreto proposita dignetur Constitutione Apostolica confirmare. Die 27 apr. 1818.

Ex audientia SS. *die* 9 *iunii* 1818. — *Sanctissimus me infrascripto Secretario referente resolutionem particularis Congregationis benigne adprobavit, et Apostolicam Constitutionem expediri iussit, cum derogationibus, et clausulis necessariis, et opportunis.*—I. M. Card. Episcopus Tusculanus de Somalia S. Rit. C. Praefectus.—*I. A. Sala S. Rit. C. Secretarius Coadiutor.*

§. VIII. *De Parochis, et aliis de Clero Saeculari*

717. Capitulum Ecclesiae Elboren. exposuit, quod licet alias SS. D. N. per suas litteras in forma Brevis expeditas sub die 20 februarii 1601 declaravit, quod in toto Regno Hispaniae, tam in Processionibus, quam in funeralibus, et quibuscumque aliis actibus publicis Clerus Saecularis praecederet quoscumque Regulares tam Monachos, quam Fratres cuiuscumque Ordinis, tamen in dicta Civitate Elboren. praetendunt praecedentiam super ipsos Clericos Saeculares. Et ideo dictum Capitulum petiit declarari, quod etiam in propriis Religiosorum Monasteriis, et Ecclesiis, ac ubicumque praecedentia Clericis Saecularibus reservetur. Et praefatus SS. D. N. mandavit expediri Breve iuxta mentem S. Rit. C.

Quae quidem S. Rit. C. *Praecedentiam omnino Clero Saeculari supra Monachos, Fratres, seu Religiosos quoscumque, in omni loco, etiam in propriis ipsorum Religiosorum Monasteriis et Ecclesiis deberi declaravit.* Die 27 sept. 1602. *Elboren.* Excipiuntur in Regularium Monasteriis, seu Ecclesiis Religiosi parati una cum Celebrante : quando vero Clerus Saecularis non facit corpus abstinere debet.

718. Circa ordinem praecedentiae inter quatuor Vicarios perpetuos Ecclesiarum Parochialium Civitatis Ripanae, S. Rit. C. audita relatione Illmi, et Rmi D. Card. Pii, cui hoc negotium commiserat, declaravit :

Praedictos Vicarios debere inter se praecedere secundum ordinem receptionis, non autem secundum ordinem maioris dignitatis Ecclesiarum, quarum curam exercent, ut fiebat ante erectionem dictae Ecclesiae Ripanae in Cathedralem: nec amplius attendendam esse dictam consuetudinem, cum mutatus sit status illarum Ecclesiarum, et simus in terminis iuris communis, ut ille Vicarius praecedat, qui prius Vicariatum obtinuit, sicut inter Canonicos, a quibus Vicarii praedicti dependent, ille praecedere debet, qui prius admissus est.

Et ita eadem S. Rit. C. censuit, et declaravit, et in Civitate Ripana servari mandavit, die 28 aprilis 1607. *Ripana.*

719. Praetendere Clericos Seminarii Ecclesiae Capuanae, ex eo quod soleant in Choro recitare Officium parvum B. M. V. et assistere Archiepiscopo ad Missas, et Vesperas venienti in diebus solemnibus, et cum Clero Ecclesiae Cathedralis quasi eius membrum in Processionibus ire, hanc praecedentiam retinere etiam in Processionibus generalibus supra omnes Curatos, Canonicos, et Clericos aliarum Ecclesiarum Collegiatarum, et Parochialium dictae Civitatis, pro parte Collegiatae Ecclesiae s. Benedicti eiusdem civitatis Capuanae in S. Rit. C. narratum fuit, et petitum, an id conveniat, cum in libro Caeremoniarum contrarium statuatur, ut scilicet Clerici Seminarii post Crucem ante Curatos Parochialium, et Canonicos Collegiatarum Ecclesiarum in Processionibus publicis incedant, prout etiam in Urbe servatur.

Et S. Rit. C. respondit: *Seminarium non esse membrum Ecclesiae Cathedralis, et propterea debere in publicis Processionibus generalibus anteire, et cedere locum digniorem Curatis, Canonicis, et Clero Ecclesiarum Parochialium, et Collegiatarum iuxta formam dicti libri Caeremonialis.* Et ita declaravit, et in Civitate Capuana servari mandavit, die 1 septembr. 1607. *Capuana.*

720. C. S. Rit. Illmo D. Cardinali Muto referente, censuit: *In Processionibus, aliisque similibus actibus praecedentiam competere Seminario supra Clericos adventitios in eadem Ecclesia non Praebendatos.* Die 21 martii 1620. *Rodigien. Andren. Dioecesis.*

721. Dionysius Capponius Abbas Terrae Amatricis Asculanae Dioecesis conquestus est de Vicariis Foraneis praetendentibus praecedentiam supra ipsum ex solo titulo huiusmodi Vicariatus, petens provideri, non obstante consuetudine contraria per dictos Vicarios praetensa.

Et S. Rit. C. respondit prout alias millies: *Nullam deberi praecedentiam Vicariis Foraneis ratione dicti Vicariatus, non obstante consuetudine contraria*, die 10 februarii 1629. *Asculana.*

722. Marcus Capaltus Curatus in Terra Lutiorum supplicavit declarari: ad quem spectent functiones solemnes in Ecclesia simplici intra fines alicuius Parochiae existente; an ad Archipresbyterum Loci, an ad Curatum, intra cuius fines Ecclesia existit, an vero ad Rectorem ipsius Ecclesiae simplicis?

Et S. C. respondit: *Ad Rectorem ipsius Ecclesiae*, die 6 octobris 1640. *Bisinianen.*

723. Quaesitum fuit a Presbyteris Terrae Acumuli: An Parochorum praecedentia ratione antiquitatis intelligatur inter simplices Parochos, an etiam inter Parochos, quorum aliqui habent specialem praerogativam, ut Archipresbyteri, Plebani, et similes, ita ut Parochus Archipresbyter praecedere debeat simplici Parocho nullam aliam praerogativam habenti?

Et S. Rit. C. respondit: *In praecedentiis Parochorum attendendam esse antiquitatem, et dignitatem Ecclesiae Parochialis, non autem ipsorum Parochorum*, die 10 maii 1642. *Asculana.*

724. Pro parte Hieronymi Castillionei Sacerdotis ex Oppido Buschae Fossanensis Dioecesis supplicatum fuit pro resolutione infrascriptorum dubiorum.

Primo: An Sacerdos provisus de Beneficio simplici extra Collegiatam ab Ordinario erecto valeat a Sacerdotibus simplicibus antiquioribus in Ordine praecedere in Processionibus, sessionibus, et functionibus publicis?

Secundo: An laurea Doctoralis sive in utroque iure, sive in Theologia scholastica conferat praecedentiam contra dictos antiquiores in Ordine?

Et eadem S. Rit. C. inhaerendo aliis decretis in similibus resolutis, respondit: Ad 1. *Affirmative.* Ad 2. *Negative.* Et ita declaravit, hac die 22 ianuarii 1679. *Fossanen.*

725. In causa Novarien. Praecedentiae verten. inter Iosephum Fortem, et alios Sacerdotes antiquiores Terrae Orbae ex una, et Ioannem Baptistam Nigrum, et alios Capellanos in Ecclesia Parochiali eiusdem Loci partibus ex altera.

S. Rit. C. ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Carpinei censuit: *Praecedentiam deberi indistinctim Sacerdotibus in ordine antiquioribus*. Et ita declaravit, die 24 februarii 1680. *Novarien.*

726. Proposita per Emum, et Rmum D. Card. De Norfolcia in S. Rit. C. causa Taurinen. Praecedentiae verten. inter Beneficiatos Metropolitanae Ecclesiae Taurini ex una, et Parochos dictae Civitatis partibus ex altera:

Eadem S. C. audita relatione Rmi Archiepiscopi Taurinen. ac visis iuribus hinc inde allegatis, censuit: *In Processionibus, quae fiunt cum interventu Capituli, praecedentiam deberi Beneficiatis*. Et ita declaravit, hac die 2 octobris 1683. *Taurinen.*

727. S. Rit. C. ad instantiam Caroli Antonii Zibalderii Sacerdotis Beneficiati, seu Capellani Beneficii sub invocatione s. Stephani erecti in Ecclesia Collegiata, et Parochiali Loci de Fubine Aquen. Dioecesis, inhaerendo decretis alias in similibus editis, declaravit:

Quod Sacerdos Beneficiatus uti Beneficiatus in Ecclesia, in qua nulla adest Collegiata, habere debet praecedentiam in functionibus Ecclesiasticis, tam in sessione, quam in incessu supra alios Sacerdotes non Beneficiatos, sed simplices Presbyteros etiam primo ordinatos in Ordine Sacerdotali, et antianos. Et ita servari mandavit die 11 augusti 1691. *Aquen.*

728. Humiliter S. Rit. C. supplicatum fuit a Praeposito Ecclesiae Cathedralis Arausicensis, penes quem residet cura habitualis Ecclesiae Parochialis Albignani, Arausicensis Dioecesis in Comitatu Venusino, pro declaratione infrascripti dubii, videlicet:

An Parocho Ecclesiae Parochialis Albignani praedicti liceat porrigere propriis manibus aspersorium aquae benedictae Baroni eiusdem Loci, et eius Uxori dum Divinis intersunt?

Et S. C. respondit: *Non licere*, die 2 augusti 1698. *Arausicen.*

729. An Parochus ingredi possit Ecclesias Regularium cum Stola, et Cruce, ibique Officium, et functiones peragere?

Et S. Rit. C. *Negative* respondit, die 2 aug. 1698. *Vaden.*

730. Aloisius Biandrà Sacerdos Taurinensis, olim Canonicus Regularis, et per Breve S. M. Pii Papae VI, Abbas per-

petuus Congregationis Lateranensis, cum omnibus privilegiis Abbatibus competentibus, actualis Archipresbyter Ecclesiae Parochialis antedictae suppressae Congregationis Loci Neyve, Dioecesis Asiensis, supplices porrexit preces S. Rit. C. quatenus declarare dignaretur, sibi licere in Ecclesiasticis eiusdem Paroeciae functionibus uti Abbatialibus privilegiis in memoratis litteris expressis, non obstante secuta dictae Congregationis suppressione, dummodo non adsit Episcopus.

Et S. Rit. C. referente Emo, et Rmo D. Card. Cacciapiatti, respondendnm censuit: *Negative;* et consulendum SS. pro usu personali Mozzettae ad instar aliorum Parochorum, die 31 maii 1817. *Astensis.*

Facta autem per me infrascriptum Secretarium de praemissis SS. D. N. relatione, Sanctitas Sua Congregationis sensum laudavit, concessitque Archipresbytero Oratori in omnibus Parochialibus functionibus usum Mozzettae dumtaxat, ad instar aliorum Parochorum, contrariis non obstantibus quibuscumque, die 4 iunii 1817. *Astensis.*

731. *A Monsignor Nunzio all' Imperatore.* La lettera di V. S. de' 3 del passato, nella quale dimanda il parere della nostra Congregazione dei Sacri Riti, sopra la precedenza tra li Chierici Secolari alunni del Collegio di N. S. che stanno sotto la cura dei Padri della Compagnia di Gesù di codesta Città di Praga, e li Regolari della medesima Città è stata da me letta a questi mel Signori Illustrissimi: e sebbene tutti hanno unitamente lodato e la prudenza di V. S. nel temperamento preso, per fuggire allora gli scandali, e gli rumori, e la modestia in non sentenziare prima d' intendere di qua il parer nostro. Tuttavia essendo la cosa così chiara, come Ella medesima ha conosciuto, e lo scrive, è parso, *che la potesse determinare appunto nel modo da lei considerato, cioè che detti Chierici Secolari alunni, come parte del Clero, devono in tutte le Processioni andare uniti con esso Clero, e per conseguenza precedere alli Regolari, nella qual conformità dichiarando, e sentenziando V. S. in questo negozio, lo loderà, come ha fatto quel, che è preceduto.* E con tal fine, raccomandandomele di cuore, prego il Signore Iddio, che la feliciti. Da Roma alli 6 d' agosto 1599. *Pragen.*

732. Archipresbyter Terrae Capranicae Sutrinae Dioecesis exposuit: Alios Sacerdotes in sua Parochia de licentia Episcopi, oratore contradicente, administrare Sacramenta ad Parochum spectantia, nempe Baptismum, Matrimonia, et alia munia Parochialia: supplicans mandari, non gravari in suis iuribus Parochialibus.

Et S. C. respondit: *Munia Parochialia exerceri non posse, invito Parocho, nisi per ipsum Parochum. Et ita in Terra Capranicae servari mandavit.* Die 22 martii 1631. *Sutrina.*

733. Occasione supplicationum generalium, publicarumque functionum Ecclesiasticarum, ubi adsint in eodem Oppido plures Parochi, debent collegialiter incedere: nec potest Praepositus substituere in his peragendis functionibus suum Vicecuratum, vel alium, sed Praeposito deficiente, competit tale ius Parocho, qui ei succedit, et sic de ceteris. *S. Rit. C. die* 16 *februarii* 1757. *Asten.*

734. S. Rit. C. inhaerendo aliis resolutionibus iterum declaravit: *Inter plures Ordinatos ad Presbyteratum eodem tempore, et ab eodem Episcopo, illum praeferendum esse in Choro, in Processionibus, et aliis actibus Capitularibus qui prius descriptus, vocatus, et ordinatus fuit, non autem qui prius Missam celebraverit.* Hac die 22 novembr. 1681. *S. Angeli Lombardorum.*

735. Cum Episcopus Pistorien. et Praten. exposuerit, occasione compilationis Dioecesanae Synodi comperisse abusum, quo simplices Sacerdotes Missam solemnem celebrantes etiam in Dioecesi, ad eorum libitum, ultra Diaconum, et Subdiaconum, sub praetextu immemorabilis consuetudinis adhibent Presbyterum sibi cum Pluviali assistentem: Cumque S. Rit. C. enixe supplicaverit pro declaratione huiusmodi dubii: An usus praedictus sit permittendus, ut simplices Sacerdotes Civitatis, et Dioecesis Pistorien., et Praten. praeter Diaconum, et Subdiaconum, adhibeant in Missa solemni Presbyterum assistentem?

Eadem S. C. inhaerendo aliis resolutionibus in similibus editis, *praefatum usum nequaquam permittendum, sed omnino tamquam abusum prohibendum esse mandavit.* Et ita decrevit die 15 martii 1721. *Pistorien. et Praten.*

736. Praecedentiae in Ecclesiasticis functionibus inter Seminarium, et Clerum in Cathedrali non praebendatum: Instante Episcopo iussit S. Rit. C. exquiri votum alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, quo audito, ad relationem Emi, et Rmi D. Card. ab Auria respondit: *Iuxta votum*, videlicet *in omnibus functionibus Ecclesiasticis Seminario competere tantum praecedentiam supra Clericos in Minoribus constitutos, et adventitios*, ut alias responsum fuit *in Rodigen. Andren.* 21 *martii* 1620, *et in Pannen.* 1 *martii* 1636. Die 7 septembris 1816. *Luceorien.*

737. S. Rit. C. humillime exposuit Sacerdos Angelus Fiordiponte Archipresbyter, et Parochus Ecclesiae s. Laurentii et

s. Mariae Novae Oppidi vulgo Toffia Nullius Farfen. ex antiquo more Archipresbyteros memoratae Ecclesiae consuevisse in omnibus ecclesiasticis functionibus, nimirum in Choro, in Processionibus, in administratione Sacramentorum uti stola, quam quidem consuetudinem ad hacc usque tempora hodiernus Parochus servavit. Verum cum in praesentiarum ab huiusmodi pacifica possessione deturbetur, optimum duxit nihil immutare, inconsulta hac S. Sede Apostolica, ac propterea a S. ipsa C. enixe petiit declarari: an sibi liceat uti Stola in omnibus ecclesiasticis functionibus quemadmodum semper servatum est, vel an debeat stolam assumere tantum in administratione Sacramentorum ? Et S. eadem C. ad Vaticanum in ordinario coetu coadunata, respondendum censuit : *Serventur decreta, nimirum Stolam adhibendam solummodo in Sacramentorum administratione.* Die 26 aprilis 1834. *In una Nullius Farfen.*

738. An Professores Seminarii censeri debeant unum et idem corpus efformare cum Clericis seminarii in publicis processionibus ? et an professores praedicti, qui sunt simplices Sacerdotes ius habeant in processionibus incedendi post Seminarium ante Capitulum Collegiatae ? S. Rit. C. respondit: *Negative ad utrumque, quia nullibi adest consuetudo.* Die 17 iulii 1830. *In Ianuen.* ad dub. 2. et 3.

739. An celebratio Missae cantatae si a proprio parocho in sua ecclesia vel in aliis ecclesiis parochiali suae ecclesiae adnexis non peragatur, spectet ad viciniorem parochum ? An celebratio sacrarum functionum peragenda in ecclesia independente a parocho, sed intra ambitum suae paroeciae contenta, spectet ad parochum, si capellanus eiusdem ecclesiae ipsas functiones non agat ? S. Rit. C. respondit *Negative.* Die 28 iulii 1832. *In una Civitatis Castelli*, ad dub. 1. et 2.

740. Praepositus Collegiatae Ecclesiae loci Piglio vulgo nuncup. Dioecesis Anagninae S. Rit. C. duo dubia dissolvenda proposuit: 1. Quum in una Sassoferrati Nucerinae Dioeces. die 24 octobris 1609 praescribatur : *Illmum Presbyterum, seu Curatum, seu Priorem qui defert stolam, et ad cuius ecclesiam funus defertur alios omnes praecedere debere etiam Canonicos Ecclesiae Collegiatae*, et in una Praenestina Cavarum die 12 maii 1618 contrarium asseratur, petiit declarari utrum primum an secundum ex allatis decretis servari debeat ? 2. Quum declaretur in una Maceraten. die 10 iunii 1656, Capellano curato ratione stolae in funeribus praecedentiam deberi etiam supra alios quoscumque Sacerdo-

tes curatos simplici cotta indutos, declarari petiit an idem valeat etiamsi alii Sacerdotes pro indumento habeant mozzettam? Et Emi et Rmi Patres sacris ritibus tuendis praepositi in ordinariis comitiis ad Quirinale coadunati respondendum censuerunt: *Praecedentiam competere illi, qui stolam defert.* Die 28 iulii 1832. *Anagnina.*

741. An Sacerdos simplex seu ad titulum patrimonii ordinatus possit in ecclesiis parochialibus, vel filialibus, vel ruralibus Missam cum cantu vel de Sancto, vel de requie celebrare in diebus festivis vel ferialibus invito et contradicente Parocho, et postea facere absolutionem prout de more? Resp. *In ecclesiis parochialibus et succursalibus requiritur consensus Parochi, in aliis ecclesiis consensus rectoris.* S. Rit. C. die 26 aprilis 1834. *In Cusentina.*

Alia videnda sub numeris 73. 85. 88. 90. 197. 198. 199. 200. 202. 237. 273. 274. 276. 278. 288. 289. 290. 292. 416. 518. 561. 562. 572. 601. 685. 688. 689. 695. 697. 698. 751. 772. 780. 832. 834. 839.

§. IX. *De Regularibus, et Sanctimonialibus*

742. Procurator Ordinis Carmelitanorum exposuit, quod licet in Terra Persiciae, Ugentinae Dioecesis, Fratres eiusdem Ordinis Carmelitanorum habeant Monasterium, et residentiam antiquam, nihilominus Fratres Minores Observantiae, qui novissime in eadem Terra venerunt, et apud Ecclesiam s. Mariae Angelorum Conventum obtinuerunt, praecedentiam super ipsos Carmelitanos praetendunt, contra formam Bullae fel. record. Gregorii Papae XIII.

S. Rit. C. respondit: *Servandam esse Bullam praedictam Gregorii Papae XIII fel. rec. in qua disponitur, quod priores in loco debeant praecedere.* Et ita declaravit, die 23 maii 1603. *Ugentina.*

743. *Antianitas Regularium desumitur ab erectione propriae Crucis in tali Loco.* S. Rit. C. 23 martii 1619. *Capucinorum.*

744. *Non suffragari Fratribus Mendicantibus supradictis, quod in praestando consensu ut supra asseritur, ius praecedendi Monachis Coelestinis sibi reservaverint, sed attendendum ius commune, quod Monachis semper, ubique supra Mendicantes tribuit praecedentiam,* Illmo Card. Bellarmino referente, censuit S. Rit. C. 23 martii 1619. *Monopolitana.*

745. Episcopus Niciensis respondit S. C. se non postposuisse Minores de Observantia Reformatos Capucinis, ex eo quod iudicaverit, dictos Reformatos esse novos Religiosos, sed quia

dicti Reformati nuperrime venerint ad habitandum in Civitate Niciensi, sequendo Constitutionem Gregorii XIII, quae tamen loquitur de erigentibus novam domum, vel Monasterium, quod non est in casu isto, in quo dicti Reformati iverunt ad habitandum in Monasterio antiquo s. Francisci, in quo soliti sunt habitare, et manere Observantes dictae Regulae. Unde cum Monasterium sit antiquum, et eiusdem Regulae ;

S. Rit. C. censuit: *Dictos Reformatos non esse sua praecedentia privandos, prout dicto Episcopo de ordine S. C. scriptum est.* Die 12 decembris 1626. *Nicien.*

746. Orta differentia inter Moniales Monasterii Succursus, quaenam ipsarum praecedere debeat, an prius admissa, et recepta, sed non Professa, an vero postea admissa, et prius Professa, fuit supplicatum responderi quid servandum?

Et S. C. respondit: *Prius Professam, licet postea receptam, praecedere debere*, die 11 novembr. 1641. *Nullius Altamurae.*

747. Moniales s. Clarae, et s. Benedicti Civitatis Sypontinae declarari petierunt, an earum Abbatissis liceat in Choro adhibere Baculum Episcopalem, eumdemque liceat, cum exponuntur earumdem Cadavera, earum manibus aptari, vel prope apponi?

Et S. C. iussit: *Admoneatur Episcopus, ut huiusmodi abusum dirimat*, die 29 ianuarii 1656. *Sypontina.*

748. Supplicarunt Moniales s. Clarae Civitatis Manfredoniae, prohiberi aliis Monialibus eiusdem Civitatis usum Baculi Pastoralis, ac in imaginibus s. Clarae pingere Pastorale prout ipsis Oratricibus vetitum fuit Decreto S. C. dato die 29 ianuarii praesentis anni.

Et S. C. iussit: *Episcopo iniungi, ut cum ceteris etiam Monialibus decretum S. C. exequatur*, die 10 iunii 1656. *Sypontina.*

749. Procurator Generalis Ordinis Capucinorum exposuit, a Fratribus Minimis s. Francisci de Paula nuncupat. Rossanensis Civitatis Fratribus Capucinis eiusdem Loci in Processionibus praecedentiam controverti, ex quo Capucini ab antiquo Conventu ad modernum, postquam Fratres Minimi in ea Civitate Conventum adepti sunt, transierunt.

S. itaque Rit. C. censuit: *Praecedentiam competere Capucinis uti antiquioribus in loco, et Familiam novi Conventus subrogati loco antiqui iis omnibus privilegiis gaudere, quibus antiqui Conventus Familia ipsa fruebatur; praesertim quod translatio Auctoritate Apostolica peracta sit;* die 19 iulii 1659. *Rossanen.*

*

750. Praetendentibus Canonicis s. Mariae Terrae Montopoli sibi, et non Confessario Monialium eiusdem Ecclesiae competere ius benedicendi, et distribuendi Candelas, Cineres, et Palmas, quae Monialibus dandae sunt; S. Rit. C. audita relatione Episcopi declaravit: *Hoc ius competere Confessario.* Et ita mandavit: *Scribi Episcopo qui provideat*, die 6 septembr. 1663. *S. Miniati.*

751. Relatis in C. S. Rit. sub infrascripta die habita per Emum, et Rmum D. Card. S. Angeli humillimis precibus Patrum Congregationis Oratorii s. Philippi Nerii erectae in Villa s. Michaelis, Mechoacanen. Dioecesis in America, seu nova Hispania, SS. D. N. Clementi Papae XIII porrectis, et a Sanctitate Sua eidem S. Rit. C. remissis, quibus occasione supplicationum, quae ordinarie infra annum, seu extraordinarie, aliqua urgente causa, in eadem Villa peraguntur, declarari petierunt sequentia tria infrascripta dubia, nempe:

Primum: An dicti Patres teneantur intervenire sacris supplicationibus, quae fiunt ordinarie infra annum, vel extraordinarie aliqua urgente causa?

Secundum: An casu, quo teneantur intervenire, vel invitati sponte interveniant pro populi aedificatione, incedere debeant veste nigra cum pileo aperto, vel potius cum superpelliceo, et bireto?

Tertium: An, si interveniant praedictis supplicationibus, debeant praecedere Regularibus, vel potius eis praecedentiam concedere?

Et S. eadem C. audita relatione praefati Emi, et Rmi D. Cardinalis S. Angeli Ponentis, cui haec eadem examinanda commiserat, rescribendum censuit: Ad 1. *Affirmative.* Ad 2. *Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.* Ad 3. *Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.* Et ita declaravit, et servari mandavit, die 21 ianuarii 1769. *Mechoacanen.*

752. S. Rit. C. censuit: *Non licere Regularibus pulsare eorum Campanas die Iovis sancti post silentium illarum Parochialis, et die Sabbati sancti ante earumdem pulsationem*, hac die 19 decembr. 1671. *Savonen.*

753. Abbates convenientes cum Capitulo Cathedralis, sedere debent in loco decenti, non autem supra, vel inter Canonicos. S. Rit. C. 2 iunii 1685. *Ragusina* ad 1. et Caeremoniale Episcoporum lib. cap. 13. n. 9. *Abbates Dioecesani benedicti habentes usum Mitrae, et Baculi habebunt locum condecentem pro iudicio, et prudentia Episcopi, dummodo non sint supra, nec inter Canonicos.*

754. An in Processionibus fieri solitis a Regularibus, in quibus intervenit Capitulum Ecclesiae Collegiatae, Religiosi parati debeant incedere unitim cum Celebrante, seu potius Canonici praecedere debeant eisdem Religiosis paratis ?

Resp. *Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.* S. Rit.C. die 3 augusti 1737. *Ripana Praeeminentiarum.*

755. Fratres Minores Observ.s. Francisci Civitatis Lucerien., qui cesso Fratribus Reformatis antiquiori Conventu s. Salvatoris, in alterum recentioris erectionis sub nomine Pietatis se receperunt, eis praecedentiam controverti a dictis Reformatis exposuerunt, ex quo his antiquior Conventus fuerit assignatus.

Et Emi Patres S. Rit. C. praepositi *Praelationem non ab antiquitate erectionis Conventus, sed ab incolatu Familiae cuiuscumque Ordinis desumendam esse iuxta disposita per S. M. Gregorium XIII* declararunt: *et propterea Fratribus Minoribus Observantibus, uti antiquioribus in loco controversiae, praecedentiam super Reformatos Luceriae deberi* decreverunt, die 8 iunii 1658. *Lucerien.*

756. S. Rit. C. ad relationem Emi Pallotti censuit: *Praecedentiam in Processionibus, et aliis Ecclesiasticis functionibus deberi Fratribus Minoribus Observantibus Reformatis degentibus in antiquo Conventu SS. Salvatoris Civitatis Lucerae non autem Minoribus Observantibus de familia degentibus in Conventu Pietatis eiusdem Civitatis, non obstantibus decretis, et litteris eiusdem S. C. in favore ipsorum Observantium de familia in contrarium editis, et scriptis.* Die 13 augusti 1668. *Lucerina Praecedentia.*

Decretum hoc confirmatum fuit in altera Congregatione die 10 septembr. eiusdem anni, ac etiam in Congregatione habita die 28 ianuarii 1719.

757. Pro parte Episcopi, et Capituli Legionen. S. Rit. C. supplicatur declarari infrascripta dubia, videlicet :

Primo: An quando Episcopus, Capitulum, et Clerus Cathedralis Legionen. accedit ad Ecclesiam s. Isidori processionaliter in die festivitatis eiusdem Sancti, vel alias quandocumque ob aliquam necessitatem, et causam, Prior, et Clerici Regulares s. Augustini commorantes in Monasterio eiusdem Ecclesiae possint impedire, et recusare dictam Processionem, vel potius debeant, et teneantur illam intra eorum Ecclesiam reverenter admittere, et recipere, ibidemque dictos Episcopum, et Capitulum pontificaliter, vel alias Missas votivas, et Litanias cantare, dicere, et celebrare ?

Resp. ad 1. *Tenentur Prior, et Clerici Regulares Mona-*

sterii s. Isidori obviam ire, et recipere Processionem in die festi s. Isidori, et Litaniarum maiorum, vel publicam aliquam ob causam, vel si viget consuetudo.

Secundo: An quandocumque dictum Capitulum processionaliter iter faceret prope dictam Ecclesiam, et Monasterium s. Isidori, dicti Clerici Regulares teneantur, et debeant campanas eorum Ecclesiae pulsari facere, et partem viarum eis tangentem, et pertinentem tergere, praeparare, et ab omni immunditia expurgari facere, prout fit in aliis viis Civitatis?

Resp. ad 2. *Tenentur Clerici Regulares praedicti in transitu Processionis campanas pulsare, et vias mundare in praefatis diebus tantum, et ob narratas causas. Verum si dicti Prior, et Clerici Regulares in aliquo se gravatos circa omnia praedicta senserint, S. adeant C., quae providebit ut iuris.* Eadem S. Rit. C. die 7 aprilis 1598. *Legionen.*

758. Quaesitum fuit pro parte Episcopi Eugubini in S. Rit. C. videlicet:

Primo: An Abbas, et Monachi s. Petri de Eugubio Congregationis Montis Oliveti possint absque licentia Episcopi facere Processionem, deferendo per Civitatem SS. Sacramentum, praesertim cum Ecclesia s. Petri sit curata?

Resp. *Posse Abbatem facere Processionem cum suis Monachis, et absque aliis Religiosis, dummodo non exeat limites Parochiae.*

Secundo: An Abbas possit solemniter benedicere populo, celebrando pontificaliter in dicta Ecclesia?

Resp. *Posse Abbatem, dum Pontificaliter celebrat in sua Ecclesia, populo solemniter benedicere, sed non in praesentia Episcopi.*

Tertio: An in Processionibus, quae fiunt per Civitatem, possit dictus Abbas deferri facere coram se Mitram, et Pastorale?

Resp. *Negative, quia Abbas extra suam Ecclesiam, et Conventum non potest uti Mitra, et baculo Pastorali.* Et ita censuit et declaravit S. Rit. C. die 17 iulii 1604. *Eugubina.*

759. Stephanus Pierard, cum esset Abbas Monasterii de Gratia Dei Ordinis Cisterciensis, fuit benedictus cum bireto dumtaxat, eo quod Abbates dicti Monasterii non habent privilegium utendi Mitra: postmodum fuit translatus Auctoritate Apostolica, et factus Abbas Monasterii s. Vincentii Ordinis s. Benedicti in Bisuntina Civitate, cuius Monasterii Abbas pro tempore existens habet usum Mitrae.

Dubitatum fuit: An idem Abbas Stephanus iterum esset benedicendus, vel ex se ipso Mitram, sandalia, aliaque indu-

menta Pontificalia accipere possit, quae Abbatibus usum Mitrae habentibus in benedictione traduntur?

S. Rit. C. respondit: *Abbatem praefatum non indigere alia benedictione, sed posse per se Mitram, et alia praedicta insignia, et indumenta capere.* Die 25 februarii 1606. *Bisuntina.*

760. Fratres Minores de Observantia Reformati Conventus s. Ioannis Baptistae de Piglio Anagninae Dioecesis contendunt de praecedentia cum Conventualibus s. Laurentii eiusdem Loci: qui Conventuales allegant pro se Breve Gregorii XIII quo disponit, illos Regulares praecedere, qui sunt antiquiores in loco: at Minores Observantes praedicti respondent, S. hanc C. alias 2 martii 1613 decrevisse, dictum Breve Gregorii XIII habere locum extra Urbis districtum, in Urbis autem districtu circa praecedentiam Regularium observandum esse id, quod in Urbe servatur.

Et S. C. respondit: *Si locus, de quo agitur, est in Urbis districtu, servari debere praedictum huius S. C. decretum.* Die 20 iunii 1626. *Anagnina.*

761. Quaesitum fuit definiri: An Regulares possint molestari a Parochis, ne in propriis Ecclesiis Missas privatas celebrent ante Missam Parochialem, et precipue diebus festivis?

Et S. C. respondit: *Non posse.* Die 21 aprilis 1635. *Neapolitana.*

762. Cum ex Regula Ordinis Ministrantium infirmis habeatur, ut nullus praecedendi locus sit inter Clericos, Sacerdotes, et Laicos; quaesitum fuit, utrum et ipsis defunctis eadem lex eatenus sit servanda, ut tam Clerici, quam Sacerdotes sine sacris vestibus ad instar Laicorum sint exponendi?

Et S. C. respondit: *Ab Oratoribus in vita servandas esse Constitutiones: in morte vero servandum esse Rituale Romanum.* Et sic deinceps fieri mandavit in die 24 ianuarii 1643. *Ordinis Ministrantium infirmis.*

763. Orta controversia super iure praecedendi in Processionibus, et aliis actibus publicis inter Fratres s. Francisci de strictiori Observantia de Vinaros ex una, et Fratres Eremitanos s. Augustini eiusdem Loci ex altera parte: Fratres s. Francisci ad confovendum ius suum tria Brevia S. M. Urbani VIII diebus 9 ianuarii 1630, 10 iunii 1643, et 20 aprilis 1644, ad eorum favorem emanata contra dispositionem Bullae Gregorianae, quae inc. *Pastoralis*, coram A. C. executioni demandari institerunt, et obtinuerunt, aliis etiam sententiis, et decretis in partibus desuper subsecutis; cum vero Fra-

tres s. Augustini se inauditos, et gravatos praetenderent, ad S. Rit. C. recursum habuerunt.

Eadem S. Rit. C. negotio mature discusso, pluries auditis partibus in iure, et in facto, ad relationem Emi D. Card. Franciotti, post longam dictorum Brevium discussionem de mandato SS. D. N. (Innoc. X) factam, censuit: *Dicta Brevia esse reducenda ad terminos iuris, non solum in praesenti, sed etiam in quacumque simili causa, tam in loco de Vinaros quam in aliis in iisdem Brevibus contentis: et denique ubique terrarum servandam esse Constitutionem Gregorianam, dictis Brevibus non obstant., si SS. placuerit.* Quam sententiam ad se relatam SS. approbavit. Die 5 decembr. 1646. *Dertusen. Praecedentiae.*

764. Non est in ingressu ad Ecclesias Regularium porrigendum aspersorium alicui, qui non sit Episcopus, ad aspergendum populum inibi intervenientem. *S. Rit. C. 24 iulii* 1683. *Aquilana*, ad 2.

765. Praelati Regulares, vel alii Sacerdotes in Capitulis generalibus deputati suas Ecclesias, Coemeteria, et Oratoria quaelibet sanguinis, vel seminis effusione, seu alias quomodolibet pollutas, seu polluta, quoties opus fuerit, aqua per eos (praesertim in locis remotis, ubi Episcopum aquam benedicentem per duas dietas adire non poterunt), benedicta, reconciliare libere, et licite valent. Leo X Constit. *Religionis suadet honestas* 3 februarii 1514.

Nota. Quaelibet dieta continet viginti milliaria italica, seu septem leucas (*Cavalieri, tom. 4. cap.* **11.** *decr. in Ord.* 192.)

766. Cum Provincialis Ordinis Servorum cum aqua a se ipso benedicta reconciliaverit in Dioecesi Imolen. Ecclesiam sui Ordinis ob sanguinis effusionem pollutam, ibique postea uti prius Officia recitata, et Missae celebratae fuerint, dubitavit Episcopus, an dicto Provinciali licuerit facere dictam reconciliationem, et an Ecclesia praedicta sit recte reconciliata, instans propterea, sicut fuit expositum, ut iterum reconciliaretur: unde Procurator Generalis dicti Ordinis humiliter S. Rit. C. supplicavit, ut declarare dignaretur, an dicta reconciliatio sit valida?

Et negotio mature discusso, Emi PP. S. Rit. C. praepositi responderunt: *Ecclesiam esse reconciliatam, sed in futurum abstinendos esse Fratres in similibus mandarunt.* Die 15 decembris 1646. *Imolen.*

767. Cum pro parte Abbatissae, et Monialium Monasterii s. Margaritae Civitatis Bononiae S. Rit. C. expositum fuerit, ex

undecim Sanctimonialibus eiusdem Monasterii, quae modo solemniter velari postulant, altera ne parvulo quidem temporis spatio e propria Cella discedere posse, prohibente gravi, qua laborat, chronica infirmitate: duas vero ex iisdem alias Moniales talibus corporis indispositionibus ita habitualiter esse obnoxias ut de suarum virium insufficientia merito timeri possit, ne aliquo corripiantur deliquio, ut impares sint absolvendae longioris et laboriosae solemnitatis, qualis profecto est Monialium velatio, seu consecratio facienda in Ecclesia exteriori.

Quare, ne tres praedictae Moniales spirituali quam summopere exoptant, consolatione priventur, supradictae Oratrices eidem S. C. devote supplicarunt, ut non solum quoad tres Moniales infirmas verum etiam quoad ceteras enunciatas Sanctimoniales velandas pro hac vice tantum dispensare dignaretur super observatione Pontificalis Romani, earumque solemnis velatio fieri possit ad fenestellam vestitionum, quo vero ad supradictam Monialem actu, et habitu infirmam, atque impotentem accedendi ad consecrationem, annuendo permittere, ut inter Missarum solemnia a duabus Monialibus velum benedictum ad eamdem deferatur.

Et S. C. habita prius Emi, et Rmi D. Archiepiscopi informatione, et voto, ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Praefecti, et Ponentis, attentis peculiaribus facti circumstantiis, benigne rescripsit: *Pro gratia, arbitrio, et iuxta votum Emin. Ordinarii.* Die 11 maii 1765. *Bononien.*

768. Regulares prohibentur receptare, et retinere in Conventibus Bannitos, Fallitos, et aere alieno gravatos, sub poena privationis Officiorum, vocisque activae, et passivae. *S. C. Episcopor. et Regular.* 17 *aprilis* 1601, *de mandato Clementis VIII et Paulus V sub die* 13 *augusti* 1613. Lucius Ferraris verbo *Bannitus.*

Alia videnda sub numeris 14. 15. 21. 22. 23. 27. 28. 32. 36. 57. 69. 71. 72. 88. 94. 98. 106. 134. 193. 195. 197. 204. 229. 235. 236. 242. 243. 260. 261. 262. 263. 265. 269. 275. 284. 286. 289. 290. 372. 385. 454. 478. 516. 533. 537. 547. 551. 563. 564. 571. 572. 573. 578. 623. 691. 717. 731. 785. 788. 795. 804. 815. 816. 823. 830. 836. 915. 917. 920.

§. X. *De Confraternitatibus*

769. Propositis iis, quae in praeinserto memoriali continentur in C. S. Rit. per Illmum, et Rmum D. Card. Perettum Ponentem, eadem S. Rit. C. decretum Episcopi, ut *Priores Confraternitatis SS. Sacramenti incedant non ante Baldachinum post Capitulum, sed a latere Baldachini hinc in-*

de, *servandum esse* censuit, et declaravit, et servari mandavit in Civitate Niciensi, die 3 ianuarii 1616. *Nicien.*

S. Rit. C. censuit: *Praecedentiam inter Confraternitates illi deberi, quae prius saccis usa est, etiam in concursu cum Confraternitate SS. Sacramenti,cui tamen debetur praecedentia in Processionibus SS. Sacramenti, dummodo accedat etiam ad alias Processiones, et in loco sibi debito incedat*, die 18 iunii 1639. *Lunen. Sarzanen.*

770. In causa Vercellensi Praecedentiae inter Confratres SS. Sacramenti Loci Robii ex una, Confratres SS. Trinitatis eiusdem Loci, Vercellen. Dioecesis, parte ex altera:

S. Rit. C. referente Emo, et Rmo D. Card. Columna, utraque parte audita, et informante in voce, et in scriptis censuit, *indulgendum, ut Societas SS. Sacramenti praecedat in Processionibus, in quibus SS. Sacramentum defertur tantum, dummodo eadem accedat ad alias Processiones iuxta ordinem antianitatis.* Et ita declaravit, decrevit, et servari mandavit, die 20 septembris 1687. *Vercellen.*

Urbis, et Orbis

771. Iurium Parochialium, Functionum, et Praeeminentiarum inter Parochos, et Confraternitates Laicorum, eorumque Capellanos, et Officiales.

Ad debitum imponendum finem controversiis, quae inter Parochos, et Confraternitates Saeculares, earumque Capellanos, et Officiales super iuribus Parochialibus, et Functionibus Ecclesiasticis, nonnullisque Praeeminentiis, seu praerogativis frequenter exoriri solent, in S. Rit. C. ab Emo D. Card. Colloredo propositis infrascriptis dubiis, videlicet:

1. An Confraternitates Laicorum legitime erectae in Ecclesiis Parochialibus habeant dependentiam a Parocho in explendis functionibus Ecclesiasticis non Parochialibus? Resp. *Affirmative.*

2. An dictae Confraternitates erectae in Capellis, vel Oratoriis, tam publicis, quam privatis adnexis Parochialibus Ecclesiis, et ab eis dependentibus, habeant dictam dependentiam a Parocho quoad dictas functiones? Resp. *Affirmative.*

3. An Confraternitates erectae in aliis Ecclesiis publicis habeant quoad easdem functiones aliquam dependentiam a Parocho, intra cuius Parochiae limites sitae sunt Ecclesiae? Resp. *Negative.*

4. An Confraternitates erectae in Oratoriis tum publicis, tum privatis, seiunctis ab Ecclesiis Parochialibus, quoad dictas functiones Ecclesiasticas habeant dictam dependentiam a Parocho? Resp. *Negative.*

5. An Benedictiones,et distributiones Candelarum,Cinerum,et Palmarum sint de iuribus mere Parochialibus? Resp. *Negative.*

6. An Benedictiones Mulierum post partum, Fontis Baptismalis, ignis, seminis, ovorum, et similium sint de iuribus mere Parochialibus? Resp. *Negative, sed Benedictiones Mulierum, et Fontis Baptismalis fieri debere a Parochis.*

7. An functiones omnes Hebdomadae Sanctae sint de iuribus mere Parochialibus? Resp. *Negative prout iacet.*

8. An celebratio Missae solemnis feria 5 in Coena Domini sit de dictis iuribus Parochialibus? Resp. *Negative prout iacet, sed spectâre ad Parochos.*

9. An prima pulsatio campanarum, in Sabbato sancto sit de dictis iuribus Parochialibus? Resp. *Negative prout iacet sed spectare ad Ecclesiam digniorem ad formam Constitutionis Leonis X.*

10. An celebratio Missarum solemnium per annum sive pro vivis, sive pro defunctis sit de dictis iuribus Parochialibus? Resp. *Negative prout iacet, sed licere Confratribus dumtaxat in festivitatibus solemnioribus eiusdem Ecclesiae, vel Oratorii, ut in Brundusina sub die* 11 *iunii* 1601.

11. An expositio XL. Horarum,et Benedictio, quae fit super populo,sit de dictis iuribus mere Parochialibus? Resp.*Negative.*

12. An expositio, quae fit cum Reliquiis, et sacris Imaginibus, et Benedictio, quae cum eis fit super populo, sit de dictis iuribus Parochialibus? Resp. *Negative:* et quoad Benedictiones cum Reliquiis, et Imaginibus serventur decreta.

13. An functiones in praecedentibus octo dubiis,videlicet a dubio 5 ad 12 expressae peragi possint in Oratoriis privatis, contradicente Parocho? Resp.*Satis provisum in superioribus.*

14. An in dictis Oratoriis privatis Confraternitatum per Confratres statis horis recitari possint Horae Canonicae cum cantu, vel sine absque alia licentia Parochi? Resp. *Affirmative, nisi aliter Ordinarius statuat ex rationabili causa.*

15. An in dictis Oratoriis privatis sit licita celebratio Missae privatae, assentiente Ordinario Loci, et contradicente Parocho? Resp. *Affirmative.*

16. An Capellani Confraternitatum possint populo denunciare festivitates, et Vigilias occurrentes in hebdomada absque licentia Parochi? Resp. *Affirmative.*

17. An Parochus invitis Confratribus docere possit doctrinam Christianam in praedictis Ecclesiis, et Oratoriis publicis, vel privatis a Parochiali divisis, et separatis? Resp. *Negative.*

18. An in saepe dictis Ecclesiis publicis Confraternitatum

possint haberi publice Conciones etiam per totum cursum Quadragesimae, et Adventus cum licentia Ordinarii, et absque licentia Parochi ? Resp. *Affirmative.*

19. An in iisdem Ecclesiis possit celebrari Missa sive lecta, sive cantata ante Missam Parochialem sive lectam, sive cantatam ? Resp. *Negative, nisi aliter Episcopus disponat.*

20. An ad Parochum spectet facere Officium funebre super Cadaveribus sepeliendis in saepe dictis Ecclesiis, et Oratoriis publicis Confraternitatum ? Resp. *Affirmative; quando tumulandus est subiectus Parocho, intra cuius fines est Ecclesia, vel Oratorium.*

21. An intra ambitum earumdem Ecclesiarum fieri possint Processiones iuxta cuiusque Confraternitatis Institutum absque interventu, vel licentia Parochi ? Resp. *Affirmative.*

22. An eaedem Processiones fieri possint extra ambitum dictarum Ecclesiarum absque licentia illorum Parochorum, per quorum territorium transeundum est ? Resp. *Negative, nisi adesset licentia Episcopi.*

23. An in dictis Processionibus Capellani Confraternitatum possint deferre stolam ? Resp. *Negative extra propriam Ecclesiam.*

24. An Episcopo accedenti ad Ecclesias publicas Confraternitatum, quae non sint Regularium, neque proprium Rectorem Beneficiatum habeant, porrigendum sit aspersorium a Parocho, in cuius territorio sitae sunt dictae Ecclesiae ? Resp. *Negative.*

25. An earumdem Ecclesiarum, et Confraternitatum Rectores, et Capellanos, possit Parochus, cessante speciali, ac legitimo titulo, et ex solo iure Parochialitatis, compellere invitos assistendum functionibus Ecclesiae Parochialis ? Resp. *Negative.*

26. An in saepe dictis Ecclesiis Confraternitatum neque Parochialibus, neque Regularibus retineri possit SS. Eucharistiae Sacramentum sine speciali indulto Sedis Apostolicae ? Resp. *Negative.*

27. Praesupposita facultate retinendi, an possit infra annum publice exponi sine licentia Ordinarii ? Resp. *Negative.*

28. An possit Parochus se ingerere in administrationem oblationum, eleemosynarum in saepe dictis Ecclesiis recollectarum, vel capsulae pro illis recipiendis expositae clavem retinere ? Resp. *Negative.*

29. An in Ecclesia Parochiali Confratres, vel eorum Capellani immiscere se valeant, invito Parocho, in eiusdem Ecclesiae functionibus sive Parochialibus, sive non Parochialibus ? Resp. *Negative.*

30. An Confraternitates sive sint erectae in Ecclesia Parochiali, sive extra illam, possint pro libitu, et iuxta uniuscuiusque peculiaria Statuta Congregationes suas facere absque interventu, vel licentia Parochi? Resp. *Affirmative, dummodo non impediant functiones, et divina Officia.*

31. An possint propria bona administrare, ac de illis disponere absque ulla dependentia a Parocho? Resp. *Affirmative.*

32. Quando Parochus eisdem Congregationibus intersit de mandato Ordinarii, et tamquam eius Delegatus, an possit suffragium decisivum ferre? Resp. *Negative.*

33. Et quatenus affirmative, an etiam suffragium duplex? Resp. *Negative.*

Et ita, salvis tamen conventionibus, et pactis in erectione Confraternitatum forsan factis, concordiis inter partes initis, et a S. Sede approbatis, Indultis, Constitutionibus Synodalibus, et Provincialibus, et consuetudinibus immemorabilibus, vel saltem centenariis, declaravit, atque decrevit, *si SS. D. N. videbitur* die 10 decembris 1703.

Et facta deinde per me Secretarium de praedictis decretis SS. D. N. relatione, praevia eorumdem integra lectura, Sanctitas Sua laudavit, benigneque approbavit; et publicari, et non obstantibus quibuscumque aliis in contrarium facientibus servari mandavit, die 12 mensis ianuarii 1704.

Ita reperitur in Regestis Decretor. existen. in Secretaria C. S. Rit.—In fidem. Pro R. P. D. Iulio de Carpineo S. Rit. C. Secr. Aloysius Gardellini S. R. C. Assessor.

772. In quo loco Officiales maiores Confraternitatis s. Ioannis Ripae Transonae in Processione fieri solita cum Sacra Imagine B. M. V. incoronatae incedere debeant, sive interveniente, sive non interveniente Episcopo?

Resp. *Officiales debere incedere a latere Statuae.* Et ita declaravit, et decrevit. S. Rit. C. die 22 aug. 1744. *Ripana.*

773. In Ecclesia s. Maria ad Nives nuncupat. Civitatis Veliternensis ab anno 1600 canonice erecta est sodalitas Sacrorum Stigmatum s. Francisci, semper autem, nemine contradicente, Capellano usa est in publicis tam solemnibus, quam funebribus Processionibus superpelliceo, et stola induto, tam intra, quam extra propriam Ecclesiam.

Novissime visum est Parochis Civitatis illam ab huiusmodi consuetudine deturbare, sub praetextu quod stola Parochialis iurisdictionis sit peculiare distinctivum, quodque S. C. in generali decreto diei 12 ianuarii 1703 requisita: An in dictis Processionibus Capellani Confraternitatum possint deferre sto-

lam? responderit: *Negative extra propriam Ecclesiam*, eamque a dictis Capellanis non a collo pendentem deferendam esse, sed potius instar Almutiae, vel manipuli brachio super impositam.

Ad huiusmodi evellenda dissensionum germina Confraternitatis sodales S. Rit. C. rogarunt pro consuetudinis manutentione.

Et S. eadem C. immemorabili usu mature perpenso, habitaque ratione, quod, decreto generali minime obstante, etiam in Urbe, et alibi consuetudo in contrarium viget: animadvertens tandem, decere, et conveniens esse, ut Confraternitatum Capellanus a simplicibus Clericis distinguatur, ad relationem mei infrascripti Secretarii rescribendum esse censuit: *Servandam esse consuetudinem, et nihil innovandum.* S. Rit. C. die 27 martii 1824.

Facta autem de praemissis SS. D. N. Leoni XII Pont. Max. relatione, Sanctitas Sua S. C. rescriptum approbavit, die 30 martii 1824. *Veliternensis.*

774. *Confratres Societatis SS. Rosarii incedentes sine habitu non possunt deferre Crucem: nec praecedentia eis competit super alias Societates, quae ante eos habent habitum.*

Ita censuit, et declaravit S. Rit. C. die 9 decembris 1617. *Bononien.*

775. *Al Vicario Generale di Vicenza.* Essendosi trattato in questa Congregazione de' Sacri Riti, e Cerimonie della differenza che suol nascere tra alcuna di codeste Confraternità, intorno al portare a seppellire i corpi dei Confratri, che per il testamento hanno disposto, che vi siano portati con l'abito della Compagnia, della quale erano vivendo, è parso a questi miei Signori Illustrissimi di risolvere: *Che in ciò si debba osservare quel che universalmente si osserva quasi per tutto, e particolarmente qui in Roma, ove le altre città devono pigliar esempio, cioè che sieno portati dalli Confratri di quella Compagnia medesima, della quale essi erano, e con l' abito, della quale lasciano che si portino vestiti, qualunque sia la Chiesa che si hanno eletta per sepoltura: il che in nome di questi miei Signori Illustrissimi vi significo con la presente, acciocchè così lo facciate osservare in codesta Città, e Diocesi per l' avvenire. Dio vi guardi.* Da Roma alli 8 dicembre 1588. *Vicentina.*

776. Confratres SS. Sacramenti Castri Gandulphi conquesti sunt de Archipresbytero Loci, turbante Regulares vocatos ab Oratoribus pro celebratione Missarum, ne munia Confraternitatis exerceant, neque ad Processiones accedant.

Et S. C. respondit: *Regulares vocatos a Confratribus non posse prohiberi ab Archipresbytero, quin accedant ad Processiones, et ad celebrationem Missarum.* Die 19 augusti 1634. *Albanen.*

777. Religio s. Dominici supplicavit declarari, non licere contra dispositionem Bullae Clementis VIII erigere duas Confraternitates in eodem loco sub eadem invocatione.

Et S. C. respondit: *Duas Confraternitates in eodem loco sub eadem invocatione erigi non posse, et ideo tam in civitate Mediolanen., quam ubique locorum id esse prohibendum, prout omnino per Ordinarios prohiberi mandavit.* Die 7 decembr. 1641. Ordinis Praedicatorum.

Alia videnda sub numeris 285. 559. 572. 807. 858.

§. XI. *Corollarium*

778. An Episcopo celebrante Vesperas septem candelabra sint in Altari ponenda cum in Caeremoniali non dicatur expresse de Vesperis?

Resp. *In Missa tantum, et non in Vesperis Episcopo Celebrante solet adhiberi septimum candelabrum. In Missis autem Defunctorum etiam ab Episcopis celebratis numquam adhibetur septimum candelabrum.* S. Rit. C. 19 maii 1607. *Placentina*, ad 8.

Praelati vero Episcopis inferiores, qui Pontificalium usu fruuntur, super Altari, in quo Sacra erunt facturi, septimum nequaquam debent imponere Candelabrum. S. Rit. C. 27 sept. 1659. In Decreto Generali coram Alexandro VII.

779. *Thuris, et pacis honorem inter Missarum, et vesperarum solemnia mulieribus non deberi saepe S. Rit. C. iuxta libri Caeremonialis dispositionem* censuit, *et propterea nullo modo Capitulum, et Canonicos Cathedralis Lucerinae cogendos ad id faciendum, quin potius omnino, et praecise prohibendos esse ab eorum Episcopo, ne id faciant*, decrevit, *etiamsi quaevis adesset contraria consuetudo, quam abusum* eadem S. Rit. C. declaravit, 3 iunii 1617. *Lucerina.*

780. Instituerunt Civitatis Alexandrinae Decuriones, ipsis thuris praerogativam debitam adiudicari immediate post Canonicos, etiam in Cathedrali Ecclesia, licet hactenus secus servatum fuisset.

Et S. C. *Episcopo iniungendum* imperavit, *ut post Clerum tantum Oratores thurificari mandaret*, die 10 iunii 1656. *Alex.*

781. Cum ad aures Emorum DD. Card. S. Rit. C. praepositorum pervenerit, quod Episcopus Vercellensis abstinuit a visitando Oppidum Massarani, quia Princeps tenet de facto intra Presbyterium a cornu Evangelii thronum cum strato, et

baldachino pro se, Principissa, et filiis ad exclusionem eiusdem Episcopi.

Quapropter eadem S. Rit. C. mandavit, *ut praefatus Episcopus curet omnino praedicta omnia removeri, et compellat etiam sub censuris, quatenus opus sit.* Et ita decrevit, die 13 febr. 1677. *Vercellen.*

782. Ad instantiam Canonicorum Cathedralis Vercellen. proposito in S. Rit. C. infrascripto dubio: An Concionator debeat prius salutare Canonicos Cathedralis in apparatu chorali, absente Episcopo, capitulariter sedentes, vel Gubernatorem saecularem?

Eadem S. C. respondit: *Salutandos esse prius Canonicos et deinde Gubernatorem.* Et ita decrevit, et in Cathedrali praedicta omnino in posterum servari mandavit, die 11 augusti 1691. *Vercellensis Salutationis.*

783. Cum sub die 11 augusti 1691, S. Rit. C. ad instantiam Canonicorum Cathedralis Vercellen. decisum fuerit, a Concionatore salutandos prius esse Canonicos dictae Cathedralis in apparatu chorali, absente Episcopo, capitulariter sedentes, et deinde Gubernatorem, cumque exortum fuerit dubium, an hoc procedere debeat etiam praesente Episcopo?

Eadem S. C. respondit: *In decisis etiam praesente Episcopo.* Die 24 ianuarii 1693. *Vercellen.*

784. Remissa a SS. D. N. Innocentio Papa XII ad S. Rit. C. supplici instantia Iulii Mariae della Leonessa Principis Sepini, Boianen. Dioecesis, supplicantis, sibi benigne impertiri facultatem construendi, et aperiendi in proprio Palatio fenestram, seu, ut vulgo dicitur, *Coretto* a latere Capellae ab ipso in Ecclesia Archipresbyterali Loci praedicti similiter propriis sumptibus constructae, pro consequenda audiendi inibi Sacrum exoptata commoditate.

S. eadem Rit. C. ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Imperialis censuit *negative* respondendum, die 2 augusti 1698. *Boianen.*

785. Pro parte, et ad instantiam Guardiani,et Fratrum Minorum Conventualium Oppidi Baruli Dioecesis Tranen. supplicatum fuit apud S. Rit. C. pro resolutione infrascriptorum dubiorum:

Primum: Utrum Regulares Oppidi Baruli Dioecesis Tranen. ubi residet Archiepiscopus Nazarenus (cui deberi genuflexorium cum strato, et pulvinari decreto eiusdem S. C. statutum fuit) possint eidem Archiepiscopo in eorum Ecclesiis, occasione alicuius solemnitatis ad audiendam concionem, baldachinum erigere absque licentia Ordinarii Tranensis, cum pari excellat

dignitatis gradu cum praefato Ordinario, neque hoc ad iurisdictionem pertineat, cuius exercitium in locis exemptis ipsimet Ordinario reperitur interdictum?

Secundum: Utrum dicti Regulares Baruli baldachinum erigentes praefato Archiepiscopo Nazareno absque dicta licentia possint ex hoc capite censuris Ecclesiasticis subiici, et eorum loca interdicto ab Ordinario Tranen. cum hoc non videatur esse in iure expressum?

Et eadem S. C. ad praedicta dubia respondit ut infra: Ad 1. *Non potuisse Regulares erigere baldachinum.* Ad 2. *Spectare ad S. C. Episcoporum, et Regularium.* Et ita declaravit, die 26 septembris 1682. *Tranen.*

786. Gubernatores Civitatis Cusentinae, qui et Provinciae Proreges nuncupantur, praetendunt sibi competere ius osculandi librum Evangeliorum, etiam Archiepiscopo pontificaliter celebrante, super qua re cum Archiepiscopus supradictus hanc S. C. consuluerit:

S. Rit. C. censuit: *Non competere ius laicis osculandi Evangelium, nisi Imperatori, aut Regibus, aut in eorum Dominiis iura Imperialia, seu Regalia habentibus.* Die 23 martii 1593. *Cusentina.*

787. Exposuit apud S. Rit. C. Episcopus Civitatis Avellini, et Frigenti in Regno Neapolis, quod nonnulli Barones ex ipsis Dioecesibus praetendunt in Ecclesia pro se, eorumque Coniugibus genuflexorium cum strato, et pulvinaribus in medio Ecclesiarum, ad instar Cardinalium, sive Episcoporum in suis Dioecesibus. Et quia praedicta tanquam abusum in visitatione facta cum suo Decreto prohibuit, aliqui eorum in spretum dicti Decreti, relictis ecclesiis iurisdictionis Episcopi, se conferunt ad Ecclesias Regularium, ubi inveniunt paratum genuflexorium in medio dictarum Ecclesiarum, una cum pulvinaribus, et strato magno ut supra, ideoque supplicavit pro opportuno remedio.

Et eadem S. C. ad relationem Emi, et Rmi D. Card. de Laurea inhaerendo Decretis pluries in similibus editis, et signanter in Mediolanen. die 6 maii 1679 iterum declaravit: *Praedicta nullo modo esse permittenda, sed servandum esse omnino Decretum Episcopi etiam per Regulares, et procedendum per Episcopum contra inobedientes, etiam auctoritate ipsius S. C.* Et ita decrevit die 24 sept. 1684. *Avellinen. et Frigentin.*

788. Sub die 26 augusti 1713 proximi praeteriti S. Rit. C. causa Placentina dubiorum super iure peragendi functiones

inter Comitem Fridericum Scottum Praepositum Ecclesiae Collegiatae, et Parochialis s. Mariae in Galliverto, Civitatis Placentinae ex una, et Congregationem Oratorii s. Philippi Nerii partibus ex altera, controversiis exortis, referente Emo, et Rmo D. Card. Ptolomaeo, rescribendum censuerit, *dilata, et adducendas esse Constitutiones Synodales*. Quibus exhibitis, idem Emus Ponens infrascripta dubia iterum decidenda proposuit:

Primo: An Prior, et Officiales pro tempore Congregationis s. Philippi Nerii possint in eorum Oratorio facere publicas expositiones cum SS. Eucharistiae Sacramento, et dare cum eo benedictionem super populo, celebrare Missas solemnes, praecipue diebus festis dictae Congregationis, et in suffragium Defunctorum, facere Officium funebre super cadaveribus sepeliendis, benedicere Ramos Olivarum, seu Palmarum, Candelas, et Cineres, ac exponere publicae venerationi Reliquias, et Sanctorum imagines independenter a Praeposito Parocho?

Resp. *Quoad primam partem dubii circa expositionem SS. Sacramenti, Imaginum et sacrarum Reliquiarum, affirmative de licentia Episcopi. Quoad secundam partem circa Missas, et Officium funebre super cadaveribus Defunctorum, negative. Ad tertiam partem, circa benedictionem Olivarum, Candelarum, et Cinerum, negative.*

Secundo: An possint statis horis cum cantu, vel sine dicere Horas Canonicas independenter ut supra? Resp. *Affirmative, servata forma Constitutionis Synodalis.*

Tertio: An possint, Episcopo, vel Magnatibus accedentibus ad Oratorium, porrigere aspersorium independenter ut supra? Resp. *Affirmative.*

Quarto: An possint habere publicas conciones cum licentia tantum Ordinarii? Resp. *Affirmative.*

Quinto: An possint facere Processiones extra ambitum Oratorii, cum licentia Praepositi Parochi? Resp. *Affirmative iuxta proprium Institutum.*

Sexto: An possint administrare oblationes, et eleemosynas, ac capsulae pro illis recipiendis clavem retinere, et de quibus bonis propriis disponere independenter ut supra? Resp. *Affirmative.*

Septimo: An possint retinere Sedem Confessionalem ad publice audiendas Confessiones Fidelium utriusque sexus independenter ut supra, in casu, etc.? Resp. *Affirmative de licentia Episcopi.*

Et ita declaravit, et servari mandavit S. Rit.C. die 10 martii 1714. *Placentina.*

789. An Congregationi, seu Unioni Presbyterorum Saecu-

larium sub invocatione ss. Ioannis, et Pauli, oppidi Novarum, Dioecesis Derthonensis, in associatione cadaverum, aliisque functionibus Ecclesiasticis competat praecedentia supra Regulares?

S. eadem C. habita prius Rmi Episcopi informatione, act visis iuribus Congregationis, seu Unionis Presbyterorum Saecularium, auditoque tantum eius Procuratore voce, et scripto informante, ad relationem praefati Emi Ponentis rescribendum censuit: *Affirmative, iuxta Decretum in Imolen.* 19 *augusti* 1719. Et ita decrevit, et servari mandavit die 15 martii 1774. *Derthonen. Praecedentiae.* Quod Decretum in Imolen. hic refertur, nempe:

Primo: An Congregationi Sacerdotum Saecularium sub invocatione s. Philippi Nerii in associatione Confratrum Defunctorum competat praecedentia supra Regulares in casu, etc.?

Secundo: An eidem Congregationi occasione associationis eorumdem cadaverum liceat elevare propriam Crucem in casu etc.?

Et S. Rit. C. iuribus hinc inde deductis mature consideratis, et tam in scriptis, quam in voce utriusque partis Procuratoribus informantibus auditis, rescribendum censuit: *Ad* 1 *et* 2 *Affirmative, et amplius.* Et ita decrevit, et servari mandavit die 19 augusti 1719. *Imolen.*

790. Cum Chorus sit divisus in duos ordines stallorum, adeo ut a cornu Evangelii sedeant Archidiaconus, Primicerius, et duodecim Canonici, a cornu vero Epistolae Cantor, Thesaurarius, et reliqui duodecim Canonici. An thurificatio facienda sit Dignitatibus singulatim, an vero prius toti ordini Dignitatum, et Canonicorum a cornu Evangelii, deinde alteri ordini a cornu Epistolae, sine differentia personarum?

Et S. Rit. C. respondit: *Thurificationem faciendam toti Ordini a latere dextero, et deinde toti a latere sinistro.* Die 20 iulii 1686. *Altamurana*, ad 3.

791. An Concionator, absente Episcopo, post reverentiam generalem factam Capitulo deinde populo, teneatur, incepta concione, iterum veniam exhibere, seu postulare a Canonicis, quia, ut aiunt, unum sunt cum Episcopo?

Resp. *Negative.* S. Rit. C. Die 31 maii 1817. *Dub.* ad 7.

792. Quando in Missa solemni Concionator post salutationem salutat Ministros Altaris, seu facit reverentiam, quaeritur, an debeant Celebrans, et Ministri correspondere, discooperiendo caput, an non?

Et eadem S. C. respondit: *Non est incongruum, si Ministri Altaris, et ipse Celebrans salutationi Concionatoris correspondeant.* Et ita declaravit die 20 iulii 1686. *In Angelopolitana*, ad 7.

*

793. In Processionibus SS. Corporis Christi praecedentia danda est Confraternitati SS. Sacramenti, dummodo eadem aliis Processionibus intersit, et antiquioribus locum cedat. S. Rit. C. die 17 augusti 1833. *In Beneventana.*

CAPUT X. — MISCELLANEUM

794. Sacramenta esse administranda cum superpelliceo et stola iuxta Rituale Romanum, edixit S. Rit. C. 12 *iulii* 1628. *In una Urbis*, ad 1.

795. Expositum fuit irrepsisse in multis Monasteriis Italiae per Moniales, quando faciunt inter ipsas Confessionem, alterantes verba *Vobis Fratres* in *Sorores*, et *te Pater* in *te Mater.*

Et S. C. respondit: *Confessionem fieri debere prout iacet in Breviario.* Die 18 augusti 1629. *Breviarii Romani.*

796. Dubiis per Episcopum Oppiden. transmissis ad relationem Emi de Torres S. C. respondit: *Consecrationem probari concludenter ex signis deductis, et signa probari per testes deponentes de visu.*

Ad 2. An per celebrationem Missae in Ecclesia polluta dicatur reconciliata? S. C. respondit: *Negative, et ideo debere reconciliari iuxta formam praescriptam in Pontificali.*

Ad dubium: An Ecclesia reconciliata ab Episcopo non habente iurisdictionem in loco, dicatur bene reconciliata, vel ne? Respondit: *Affirmative.*

Quo vero ad diem Consecrationis, cum ignoretur dies certus ipsius Consecrationis, S. C. censuit, *Episcopum constituere debere ex nunc certum diem, qui deserviat quotannis pro Consecratione Ecclesiae*, die 19 augusti 1634. *Oppiden.*

797. Quoties vigilia s. Ioannis Baptistae cadit in die Corporis Christi anticipandum est ieiunium in feria 4. S. Rit. C. 25 septembr. 1638. *Urbis, et Orbis.*

798. Posito, quod quaedam Reliquiae Sanctorum in genere alias dispensatae fuerint per varias mundi partes, adhibitis ad libitum nominibus Sanctorum in specie, seu, ut vulgo dicitur, *battezzate*, vel etiam Sanctorum certorum, sed quorum nomina vel non sunt in Martyrologio, vel si sunt in eo, nec sunt ipsorummet Sanctorum in Martyrologio expressorum, sed aliorum eiusdem nominis.

Quaesitum fuit, quid agendum sit tam circa Officium, et Missam ipsorum ratione insignis Reliquiae, quam etiam circa modum cultus, et venerationem eorumdem?

Et S. C. respondit: *Circa cultum, et venerationem Reli-*

quiarum huiusmodi, quoad praeteritum nihil innovandum, quoad futurum nullatenus baptizandas. Quoad Officium, si certa sit sanctitas, licet incertum nomen, servetur decretum locale S. C. de Reliquia insigni, non expresso nomine particulari aliquo, ut nec in chartis, aut thecis.

Re vero per me ad SS. D. N. delata, Sanctitas Sua praedicta adprobavit, *sed in futurum prohibuit absolute huiusmodi Reliquias baptizari*, die 19 decembr. 1643. *Reliquiarum incerti nominis.*

799. Petitum fuit responderi, quid servandum occurrente festo Corporis Christi cum vigilia s. Ioannis circa recitationem Officii vigiliae? S. C. respondit: *Casum hunc esse expressum in Rubricis Missalis Romani Rubr. 3. num. 2. nempe nihil hoc casu fieri de vigilia nec in Missa, nec in Officio. Die* 23 martii 1641. *Giennen.*

800. In multis Ecclesiis ad inserviendum lepori musices alteratur notabiliter textus Sacrarum Scripturarum, mutilando, anteponendo, postponendo, et alterando verba, et sensum illarum, et adaptando eas modulationi, ita ut non musices Sacrae Scripturae, sed haec illi inservire videatur: In Missis solemnibus concentus musicales, qui ad rem non pertinent, misceantur, et in tantum spatium protrahantur, ut Sacerdotes otiosi diutius ad Altare distracti haereant, et Caeremoniarum ordo inflectatur, ita ut non musices Missae, sed Missa musicae famuletur.

Et S. Rit. C. censuit: *Indigere reformatione, et quousque ratio congrua ineatur, iniungendum D. Card. Vicario, ut praedicta prohibeat, prout magis expedire cognoverit.* Die 21 februarii 1643. *Abusus.*

801. Proposito dubio ad instantiam quamplurium Rmorum Episcoporum: An, stante Constitutione SS. D. N. Urbani PP. VIII super observatione festorum, quae incipit *Universa*, idibus septembr. 1642 promulgata, Universitates, seu Communitates Civitatum, seu Locorum teneantur ex praecepto servare festa ex voto eorumdem inducta?

Die 18 aprilis 1643. S. Rit. C. referente Emo, et Rmo D. Card. Sacchetto censuit: *Ex dispositione Constitutionis praedictae personas voventes tantum teneri.*

Quam S. C. sententiam sibi relatam SS. D. N. laudavit, et approbavit, dixitque intentionem suam fuisse per eam Constitutionem tollere festa de voto quoad vim praecepti, et reducere illa ad instar festorum de devotione, reservata obligatione ratione personalis contractus ex vi voti provenientis ipsismet personis tantum, quae voverunt, die 18 aprilis 1643.

802. Litaniae de SS. Nomine Iesu ex gravissimis causis et peculiaribus rationibus adprobantur, si SS. placuerit, die 14 aprilis 1646. *Germaniae.*

803. Exposuit Episcopus C. S. Rit. praepositae, Civitatem Eporediensem multis abhinc annis voto publico se obstrinxisse servare nonnulla festa cum vigilia, et peragere Processiones, quod de anno 1631 ab Episcopo praedecessore confirmatum fuit: eo adiecto, ut ad ea teneantur etiam successores, licet votum non emiserint.

Cum autem eadem S. C. quoad festa alias declaraverit ex dispositione Constitutionis S. M. Urbani VIII super his editae, *voventes tantum obstringi*, institit etiam declarari: an eorum successores votum obliget quoad vigilias, et Processiones saltem ex vi praecepti? Et Emi PP. *negative* responderunt, die 19 novembr. 1650. *Eporedien.*

804. Moniales s. Catharinae Terrae s. Gemini Ordinis s. Clarae licentiam petierunt retinendi Corpus s. Antonini Martyris in Oratorio, quod intra Claustra Monasterii constructum reperitur.

Et S. C. *inhaerendo decretis Congregationis S. Concilii, quibus cautum reperitur, ne asserventur Reliquiae Sanctorum in Monasteriis, sed in exteriori Ecclesia , ad petita negative respondendum duxit*, die 17 aprilis 1660. *Narnien.*

805. Ad scrupulum Fratris Ephrem Casteau Proagentis Recollectorum Galliae, nempe se non tetigisse tactu physico Calicem in sua Ordinatione ad Presbyteratum, S. C. respondit: *Posse continuare celebrationem SS. Sacrificii absque ullo scrupulo, ac tuta prorsus conscientia*, die 3 decembris 1661. *Galliarum.*

806. Capitulum Collegiatae Rosigliani Dioecesis Conversan. exposuit in S. Rit. C. Nicolaum Francesium in eius, sub quo decessit testamento, reliquisse eius bona dicto Capitulo, cum onere celebrandi Missam quotidianam, et singulis diebus Veneris de Passione, et cum onere, terminata Missa, post Evangelium *In principio erat Verbum* recitandi ipsam Passionem secundum Ioannem. Et proinde cum dicta dispositio sit contra Ritus Ecclesiasticos supplicavit pro declaratione: An dicta Passio recitanda sit post dictum Evangelium alibi per Celebrantem?

Et S. eadem C. censuit: *Recitandum esse post finem Missae, exutis vestibus Sacerdotalibus, et cum sola cotta in Altari, vel in Sacristia.* Die 31 augusti 1669. *Conversanen.*

807. S. Rit. C. ad instantiam Confraternitatis SS. Rosarii Civitatis Forosempronien. censuit : *Esse tolerandum, si in*

fine Litaniarum dicatur Regina Sacratissimi Rosarii, *ideoque non posse prohiberi* declaravit, die 13 iulii 1675. *Forosempronien.* (Secus dicendum ubi instituta non fuerit Confraternitas ss. Rosarii.)

808. An translato festo, in cuius die conceditur Indulgentia, transferatur etiam Indulgentia?

Resp. *Negative.* S. Rit. C. 30 septembr. 1679. *Ord. Minor. Capucinor.* ad 7.

809. Supplicatum fuit a S. Rit. C. declarari, ut in supplici libello vulgari sermone tenoris sequentis: Desiderando un Sacerdote celebrare in un Altare fisso, il cui piano fatto di una sola pietra fu già tutto consecrato, ma al presente vi mancano le Reliquie, per essere state portate via insieme col coperchio del sepolcrino d'esse, il qual resta tuttavia al suo luogo incavato nel mezzo dell' istessa pietra. Desidera sapere, se basti, che egli da per sè stesso vi riponga altre Reliquie autentiche, con porvi nuovo coperchio o di pietra, o di legno, ovvero se si ricerchi perciò nuova consecrazione?

Et eadem S. C. examinata materia, ad relationem Emi, et Rmi D. Cardinalis de Laurea respondit: *Debet consecrari.* Et ita declaravit, die 23 martii 1686. *Nullius.*

810. Quaeritur, quando debeat accendi Cereus Paschalis, quibus diebus, quibus Horis, num tantum Dominicis, an etiam aliis diebus festis, in Missis, et Vesperis, an etiam in Matutinis solemniter celebratis?

Resp. *Cereus Paschalis regulariter accenditur ad Missas, et Vesperas solemnes in tribus diebus Paschae, Sabbato in Albis et in diebus Dominicis usque ad festum Ascensionis D. N. I. C. quo die cantato Evangelio extinguitur. Ad Matutinum, et in aliis diebus, et solemnitatibus etiam solemniter celebratis non accenditur, nisi adsit consuetudo, quod durante tempore Paschali accendatur, quae servanda esset.* S. Rit. C. 19 maii 1607. *Placentina.*

811. In Matutino Tenebrarum Candelabrum triangulare sustinens quindecim cereos cerae communis poni debet a latere Epistolae, et in fine cuiuslibet psalmi extinguendus est unus, incipiendo ab extremo a latere Evangelii.

Insuper ad *Benedictus* sex cerei Altaris extinguuntur, cum dicitur versiculis *Ut sine timore*, ita ut ad quemlibet versiculum extinguatur alternatim unus ex illis incipiendo a cornu Evangelii. Denique extinguenda sunt omnia alia luminaria, si qua sunt per Ecclesiam, praeterquam ante SS. Sacramentum. *Caeremon. Episcopor.* lib. 2. cap. 22. num. 4. 7.

et 11. (Igitur feria quarta ad Matutinum pro fer. 5. extingui non debet in fine *Benedictus* lampas ardens ante SS. Sacramentum.)

812. An in tribus ultimis diebus Officiorum hebdomadae maioris, ac in aliis infra annum, in quibus cantantur Prophetiae, debeant Dignitates, et Canonici cantare lectiones, et Prophetias in eodemmet loco, in quo canunt Capellani?

Resp. *De legili.* S. Rit. C. 13 martii 1700. *Archipae*, ad 22.

813. In novendiali ad Natale Domini in Benedictione SS. Sacramenti ad *Magnificat* non est incensandum Altare. *Caeremoniale PP. Min. Observ. cap.* 3. *num.* 2.

814. An in Sacrificio Missae uti possit palla a parte superiori drappo serico cooperta? Resp. *Negative.* S. Rit. C. die 2 ianuarii 1701. *Congregationis Montis Coronae.*

815. An publicae preces, et gratiarum actiones possint peragi in Ecclesiis Regularium, aut exemptis absque licentia Ordinarii?

Resp. *Affirmative, demptis Processionibus, aliisque actibus vetitis fieri absque licentia Ordinarii.* S. Rit. C. die 26 aprilis 1704. *Aversana*, ad 15.

816. An Regulares absque speciali privilegio, sed sola communicatione privilegiorum aliarum Religionum possint addere nomen s. Fundatoris in Litaniis, et *Confiteor* itemque recitare Officia, et Missas concessas aliis Religionibus?

Resp. *Negative in omnibus.* S. Rit. C. die 20 martii 1706. *Urbis et Orbis*, ad 3.

817. *Reliquia SS. Crucis non est incensanda a Celebrante genuflexo.* S. Rit. C. 15 septembr. 1736. *Brixien.* (Cultus enim incensandi genibus flexis soli augustissimo Sacramento competit. Bauldry *de Thurificat.* art. 2. num. 5.)

818. Ad lucrandas Indulgentias recitantibus sero Psalm. *De profundis* a Clemente XII concessas, debet idem Psalmus recitari flexis genibus, et ad sonum campanae, ut praescribit idem Summ. Pontifex per suam Constitutionem sub die 14 aug. 1736. Prout etiam ad sonum campanae, et flexis genibus ex ordinatione Summ. Pont. Bened. XIII per suam Constit. *Iniunctae nobis* sub die 14 apr. 1724 ad lucrandas Indulgentias recitanda est mane, ad meridiem, et sero Oratio *Angelus Domini*, exceptis diebus Dominicis, et tempore Paschali, in quo dicenda erit a scientibus Antiphona *Regina Coeli* ex praescripto Bened. XIV, ut per suam Encyclicam sub die 20 april. 1742.

819. Ad lucrandum quoque singulis sextis feriis totius anni Indulgentias pro recitatione flexis genibus, et ad sonum

campanae quinquies *Pater*, et *Ave* in memoriam Passionis, et Agoniae Redemptoris Nostri Iesu Christi concessas, campana pulsari debet in omnibus Parochiis hora tertia post meridiem, ut praecipit, et mandat Summ. Pont. Benedictus XIV per suam Constit. inc. *Ad Passionis, et Agoniae*, sub die 23 decembr. 1740.

820. An ad verba Invitatorii *Venite adoremus, et procidamus ante Deum, etc.* ad verba symboli *Credo, Et incarnatus est, etc.* et alia similia genuflexionem requirentia, sit genuflectendum etiam a Cantoribus ad ambonem, aut Chorum regentibus, dum ea proferuntur actualiter, et alii genuflectunt, vel post finitum versum, qui ab ipsis cantatur, et aliorum tunc actu non cantantium levationem ?

Et S. Rit. C. exquisito prius voto Caeremoniarum Magistri respondendum censuit: *Serventur Rubricae Missalis, Breviarii, et Caeremonialis Episcoporum, sic tamen, ut quando mora genuflexionis est brevis, haec fiat dum verba, quae cantantur, genuflexionem exquirunt. Quando autem mora est longa, ne plurium vocum unisona modulatio inflectatur, genuflexio peragatur sub finem verborum.* Et ita declaravit, et servari mandavit, die 8 martii 1738. *Ulixbonen. Occidentalis.*

821. Transeuntes ante expositam Reliquiam SS. Crucis utrum debeant genu usque ad terram flectere, vel etiam an sufficiat semigenuflexio, uti solet fieri coram Episcopo ? Et utrum eadem genuflexio facienda est ante praedictam Reliquiam SS. Crucis, quae licet non sit exposita, asservatur tamen occlusa in aliquo Altari, aut etiam quando exposita est, sed non apparet, ex eo quod pars haec, quae respicit populum, habet figuram Christi Crucifixi ?

Resp. *Si loco principe Reliquia SS. Crucis super Altare fuerit exposita, tunc transeuntes ante illam unico genu usque ad terram flexo venerare debent: diversimode vero sola capitis inclinatione, si praefata Reliquia recondita est in custodia.* S. Rit. C. 7 maii 1746. *Varsavien.*

822. An confirmandus tempore confirmationis, quando Episcopus dicit N. *Signo te, signo Crucis, etc.* praeter nomen suum baptismale possit aliud nomen Sancti sibi imponi curare ?

Resp. *Posse* S. Rit. C. 20 septembr. 1749. *Iaurinen. in Hungaria*, ad 9.

823. Superiores Ordinum, seu Religionum non debent cum habitu quotidiano imponere incensum in Thuribulo, nec illud benedicere. S. Rit. C. 27 martii 1779. *Ord. Min. Observ. Reformat. s. Francisci*, ad 11.

824. Cum Emo, et Rmo D. Card. Archiepiscopo Mechliniensi nonnulla occurrerint dubia circa sacros ritus servandos in consecrationibus Ecclesiarum, enixe S. Rit. C. supplicavit, quatenus ea benigne decernere dignaretur: dubia sunt sequentia, nempe:

Primum: An ieiunium in Pontificali Romano praescriptum iis, a quibus consecratur Ecclesia, sitne strictae obligationis, seu potius tantum de consilio? Resp. *Ieiunium in Pontificali Romano praescriptum esse strictae obligationis pro Episcopo consecrante, et pro iis tantum, qui petunt sibi Ecclesiam consecrari; idemque ieiunium indicendum esse die praecedente Consecrationi ad formam Rubricae Pontificalis.*

Secundum: An sit locale tantum, an personale, seu potius locale, et personale simul? Resp. *Negative quoad primam partem, Affirmative quoad secundam.*

Tertium: An si Ecclesia consecretur die feriali, sitne festum observandum in populo tali die, cum obligatione in huiusmodi loco abstinendi ab operibus servilibus, et audiendi Sacrum? Resp. *Negative.*

Quartum: An in loco consecrandae Ecclesiae Officium de communi dedicationis Ecclesiae sit celebrandum a primis Vesperis die praecedenti recitandis inclusive, seu potius dumtaxat inchoandum finita Consecratione, scilicet in Vesperis subsequentibus? Resp. *Negative quoad primam partem, Affirmative quoad secundam.*

Quintum: An eo casu de feria, vel de festo occurrenti Vesperae, Matutinum, ac aliae Horae praecedentes Consecrationem Ecclesiae recitandae sint? Resp. *Vesperas, Matutinum, Laudes et Horas Consecrationem praecedentes recitandas esse vel de feria, vel de Sancto, prout descriptum fuerit in Ordinario.*

Sextum: Si Officium a primis Vesperis die praecedente Consecrationem celebrandum sit de Communi Dedicationis Ecclesiae, quaeritur, an Pastor, aut alius Sacerdos ruri, deficientibus aliis Ecclesiis, in ipsa Ecclesia consecranda summo mane celebrans pro populi commoditate die Consecrationis peragendae Missam de Consecratione Ecclesiae celebrare valeat, et teneatur? Resp. *Negative iuxta modum. Et modus est, ut ubi nulla alia sit Ecclesia, vel Capella, Parochus, aut Sacerdos celebret post peractam Consecrationem; sin minus ea die se abstineat a Missae celebratione, et populus audiat Sacrum ab Episcopo decantandum.*

Septimum: Si nec valeat, nec teneatur, quaeritur, an Mis-

sam de festo alias occurrente, aut de Dominica, et quo ritu celebrare debeat? Resp. *Missam non esse celebrandam de Dedicatione Ecclesiae, et de feria, vel de Sancto, prout descriptum fuerit in Calendario.* Et ita declaravit, et servari mandavit, die 19 iulii 1780. *Mechlinien.*

825. *Imagines Beatorum pingi, ornarique possunt laureolis, radiis, et splendoribus, non autem diademate.* S. Rit. C. 19 februarii 1658 ab Alexandro VII confirmatum, et rursus a Benedicto XIV, 6 septembris 1744.

826. An fieri debeat inclinatio capitis, cum pronunciatur nomen SS. Trinitatis, sicut fit cum profertur nomen Iesus? Resp. *Congruere, ut fert praxis universalis, praesertim Urbis.* S. Rit. C. die 7 septembr. 1816. *Tuden.* ad 40.

827. An Canonici Cathedralis in administratione Sacramentorum, tam intra, quam extra Cathedralem Ecclesiam, teneantur deponere cappam, atque uti superpelliceo, et stola iuxta Rituale Romanum? *Secundo:* An teneantur dicti Canonici cappam deponere tam intra, quam extra Cathedralem, dum Verbum Dei praedicant, vel dum Officium Sacerdotis assistentis in Missa novi celebrantis, aliasque quascumque non Capitulares functiones exercent?

Resp. Ad primum: *Affirmative.* Ad secundum: *Negative in propria Ecclesia, etiam in concionibus, aliisque functionibus, excepta Sacramentorum administratione, in qua utendum est superpelliceo, et stola, ut ad primum: Affirmative extra propriam Ecclesiam* (intellige nisi habeant speciale privilegium). S. Rit. C. 31 maii 1816. *Dubia additionalia.*

Decretum Generale

828. Quamvis S. Rit. C. sub die 15 martii 1664 reprobaverit morem, qui forte alicubi obtinuerat, conficiendi *Amictus, Albas, Tobaleas Altarium, nec non Corporalia, et Pallas ex tela quadam composita ex lino, et gossipio subtilissimo,* nihilominus novissimis temporibus adeo invaluit abusus, ut, constanti Ecclesiae disciplina posthabita, nonnullis in Ecclesiis non alia adhibeantur supellectilia vel ad sacrificandum, vel ad altarium usum, nisi ex simplici gossipio confecta. Ad hanc corruptelam, quam bene multi consuetudinis nomine cohonestare nituntur, radicitus evellendam, studia converterunt Emi, et Rmi DD. Card. sacris tuendis Ritibus praepositi.

Solliciti idcirco, ut quod usque ab Ecclesiae primordiis quoad sacra indumenta, et supellectilia ob reales, et mysticas significationes inductum est, retineatur, restituatur, et in posterum omnino servetur; declararunt, et decreverunt ab antiquo mo-

re sub quolibet praetextu, colore, ac titulo non esse recedendum, et eadem sacra indumenta, ac supellectilia conficienda esse ex lino, aut cannabe, non autem ex alia quacumque materia, etsi munditie, candore, ac tenacitate linum, aut cannaben aemulante, et aequante.

Aliqua tamen indulgentia utentes permiserunt, ut Amictus, Albae, Tobaleae, Mappulae, si quae ex gossipio habentur, adhiberi interea possint, usque dùm consumentur, sed cum huiusmodi supellectilia renovanda erunt, ne ex alia materia fiant nisi ex lino, vel cannabe, praeceperunt. Districte vero iusserunt, ut Corporalia, Pallae, et Purificatoria post lapsum unius mensis a praesentis Decreti publicatione linea omnino sint, vel ex cannabe, interdicto et vetito aliorum usu, quae ex gossipio supererunt. Et ita decreverunt, ac ubique locorum, si SS. D. N. placuerit, servari mandarunt, die 15 maii 1819.

Facta autem per me Secretarium SS. D. N. relatione, Sanctitas Sua Decretum S. C. approbavit, confirmavit, typisque editum publicari praecepit: ac praeterea iussit, ut Locorùm Ordinarii eiusdem observantiae sedulo incumbant, die 18 eiusdem mensis, et anni.—Ioseph Antonius Sala S. Rit. C. Secr. Coad.

829. Parochus in casu necessitatis periclitantem puerum stola violacea indutus domi baptizavit, eique Sacrum Chrisma, et Oleum Sacrum, quod secum detulit, imposuit, prout in Rituali Romano. Quaeritur, an bene, vel male se gesserit in casu unctionis extra Ecclesiam?

Et S. Rit. C. respondendum censuit *iuxta votum*, nimirum, *Parochum male se gessisse baptizando cum stola violacea, et liniendo puerum periclitantem extra Ecclesiam, Oleo etiam Cathecumenorum: in casu enim necessitatis iuxta Ritualis praescriptum omnia sunt omittenda, quae Baptismum praecedunt, quaeque postmodum supplenda sunt in Ecclesia, si puer convalescit.* Et ita respondit, die 23 septembr. 1820. *Calceaten.*

830. An, iubente Ordinario, ut quibusdam solemnitatibus, vel in alio peculiari casu, sonus aeris campani omnium Ecclesiarum edatur, Regularium Ecclesiae, aliave quamtumvis exemptae eius mandato parere teneantur?

Resp. *Affirmative.*

An liceat titulo specialis devotionis Litaniis Sanctorum, vel Lauretanis aliquem versiculum addere, vel novas Litanias, de quarum adprobatione Ordinario nullatenus constet, in Ecclesiis canere, vel recitare?

Resp. *Negative, et serventur omnino Decreta S. C., curentque Ordinarii colligere, et vetare formulas quascumque tam impressas, quam manuscriptas Litaniarum, de quarum adprobatione non constat.* S. Rit. C. 31 martii 1821. *Decretum Generale*, ad 3. et 8.

831. Cum saepe oriantur dubia super authenticitate nonnullorum Decretorum, quae licet in publicis tabulis S. Rit. C. inscripta reperiantur, nihilominus in collectione eorumdem Decretorum typis edita omissa fuerunt, quaeritur, an huiusmodi Decreta pro postulantium voto eidem collectioni addi possint?

Resp. *Affirmative.* S. Rit. C. 17 septembr. 1822. *Dubiorum*, ad 13.

832. Facti species: Sacerdotes curam Animarum exercentes pro sua commoditate apud se in domibus suis retinent Sanctum Oleum Infirmorum: quaeritur, an, attenta consuetudine, hanc praxim licite retinere valeant?

Resp. *Negative, et servetur Rituale Romanum: excepto tamen casu magnae distantiae ab Ecclesia, quo in casu omnino servetur etiam domi Rubrica quoad honestam, et decentem, tutamque custodiam.* S. Rit. C. die 16 decembr. 1826. *Gandaven.*

833. An in orationibus tam Officii, quam Missae variari debeant *hunc diem*, vel *hodiernum diem*, sive *praesentem diem*, cum transfertur Officium sive accidentario, sive perpetuo?

Resp. *Nihil immutandum inconsulta Sacra Congregatione* S. Rit. C. 7 septembr. 1816. *Tudensi*, ad 21.

834. An Episcopus possit cogere Rectores Parochialium Ecclesiarum suae Dioecesis, ut vinum, hostias, paramenta, et cetera, ad celebrandum necessaria, subministrent Presbyteris in eorum Parochiis commorantibus, et in eorum Ecclesiis celebrare volentibus iuxta antiquam consuetudinem?

Resp. *Episcopum non posse cogere praedictos Rectores, sed hortari; et Rectores recte facturos, si monitionibus et hortamentis Episcopi pareant.* S. Rit. C. 10 iunii 1602. *Egitanien.* ad 3.

835. Capitulo, et Canonicis Cathedralis Laritanae declarari postulantibus: An potuerit Episcopus prohibere, ne, eo sacris Missarum solemniis Pontificaliter incumbente, in eadem Ecclesia Missae privatae interum celebrentur?

S. Rit. C. *Affirmative* respondit, die 28 aug. 1655. *Laritana.*

836. An Episcopo visitanti Ecclesiam Parochialem Monasterii s. Mercurialis, teneatur eiusdem Abbas indutus Cotta,

Stola, et Pluviali obviam ire cum aliquibus Monachis usque ad ianuam dictae Ecclesiae, ibique eum excipere, praebere aspersorium cum aqua benedicta, eumdemque thurificare? Et quatenus negative; an, et quomodo dictus Episcopus sit excipiendus in actu visitationis in dicta Ecclesia?

Et S. Rit. C. utraque parte in scriptis, et in voce audita, rescribendum censuit: *Affirmative quoad primam partem et amplius*. Et ita decrevit, et servari mandavit, die 25 iunii 1735. *Forolivien.* ad 1.

837. In Ecclesiis, ubi titulus est Ecclesiae, vel concursus populi ad celebrandum festum, quod transferri debet iuxta Rubricas Missalis *de Translatione festorum*, possunt cantari duae Missae, una de die, alia de festo; sed in Ecclesiis, in quibus non est obligatio cantandi Missam quotidie, cantari potest Missa solemnis votiva de festo occurrente tantum. *S. Rit. C.* 17 *augusti* 1709. *In Bergomen.*

838. Episcopus in aliena Ecclesia non potest sibi pulvinar, et pannum coloris violacei sternere, et extra suam Dioecesim non competit illi deosculatio textus Evangelii. *S. Rit. C.* 13 *octobris* 1618. *In Iadren.*

839. Sacerdotes in die Coenae Domini SS. Christi Corpus sumpturi possunt deferre stolam vel ante pectus, vel a collo pendentem. *S. Rit. C.* 30 *septembris* 1679. *In una Capucinorum.*

840. In secundo triduo maioris hebdomadae non possunt celebrari Exequiae Defunctorum, et Officium, et preces recitentur privatim. *S. Rit. C.* 11 *augusti* 1736. *In Placentina.*

841. Archiepiscopi, et Episcopi cuiuscumque Ordinis Regularis Professores, ad horum Ordinum Claustra redeuntes, ad eorum Officia assumi nequeunt. Paulus IV Constit. 21. incip. *In sacra*, 19 iulii 1559. Barbosa Collect. 41. n. 2.

842. Cardinalis nullus fieri potest, qui sit frater germanus alterius Cardinalis viventis. Iulius III Constit. 22. inc. *Sanctissimus* de anno 1554. Barbosa Collect. 131. num. 5.

843. Demissa nimis facies Arae maximae Cathedralis Ecclesiae Senogallien. in altiorem formam reducta nuper cum fuerit, superiorem lapidem Altaris eiusdem mensam efformantem a suo stipite amovere necessario oportuit: constat autem Altare illud ad modum *fixi* fuisse consecratum, cum sigillis, atque unctionibus mensam inter, et stipitem: Hinc diversa Canonicorum studia quoad necessitatem illud iterum consecrandi. Eapropter a S. Rit. C. petitum responderi: Utrum, amota mensa ab Altari ad modum *fixi*, et non portatilis consecrati, necessario nova indigeat consecratione?

Et S. eadem C., me infrascripto eiusdem Secretario referente : *In casu de quo agitur*, *Altare denuo consecrandum esse decrevit*. Die 15 maii 1819. *Senogallien.*

844. Ad petitionem nobilis viri Gomesii de Amescua, Praesidentis Summariae Neapolis, C. S. Rit. censuit: *D. Gometii a Mesena pii, ac praestantis viri supplicationi satisfieri posse, ita ut ei liceat sacras Reliquias domi suae in aliquo loco decenti religiose asservare, easque cum voluerit devote, ac debita cum veneratione etiam ad collum deferre*. Die 24 maii 1594. *Neapolitana.*

845. Multi cives, et habitatores Civitatis Neritonen. S. Rit. C. exposuerunt, introductum esse lucri causa per Sacristanos Ecclesiae Cathedralis eiusdem Civitatis, in Benedictione sponsi, et sponsae usum ornandi locum, ubi sponsi benedicuntur in Ecclesia, cum tapetibus, pulvinaribus, et baldachino, quod *Pallium* vocant, pro quo pallio dando pactiones prius faciunt cum contrahentibus, et illud non concedunt, nisi duos, tresve aureos, vel quanti convenerint prius ipsi Sacristiae solverint. Quare dicti cives petierunt, ut eisdem Sacristanis ordinetur, ne quidquam pro dictis Palliis a sponsis in futurum exigant.

Eadem S. Rit. C. *nec Pallium, nec Baldachinum in huiusmodi benedictionibus sponsis convenire debere censuit, nec quidquam exigendum esse a Sacristanis pro tali Pallio dando declaravit, et ordinavit ut in futurum nullo modo pro sponsis benedicendis Pallium, seu Baldachinum paretur, nec Sacristae quidquam omnino exigere audeant, seu praesumant pro tali benedictione*. Et ita censuit, ordinavit, et in praedicta Ecclesia Neritonen. et Civitate exequi mandavit. Die 25 februarii 1606. *Neritonen.*

846. Alexander Contilius S. Rit. C. exposuit, se quemdam lapidem com quadam antiqua inscriptione emisse a Canonicis s. Laurentii Terrae Contiliani, Reatinae Dioecesis, qui lapis alias consecratus fuit pro lapide Altaris, sed postea profanatus, et venditus sibi, qui an tuta conscientia illum tenere possit petiit declarari.

Eadem S. Rit. C. *Cum lapis sit profanatus, potuisse Canonicos illum vendere, et emptorem posse illum in loco tamen decenti, et honesto tenere tuta conscientia.* Et ita censuit, et declaravit, die 9 maii 1606. *Reatina.*

847. Orta contentione in Abavilla Galliarum circa terminationem Iubilaei proxime indicti per Sanctissimum: An quindecim dies appositi in Brevi et publicati v. gr. in prima Dominica mensis, finiant in tertia Dominica inclusive, vel exclusive?

Et S. C. respondit: *Inclusive*. Die 20 novembr. 1628. *Galliarum*.

848. Cum in Cathedrali Savonen. orta sit altercatio inter Canonicos, et Musicos, quando Episcopus solemniter cantat Vesperas, vel celebrat, circa recitationem psalmorum, praetendentes Canonici hoc onus esse Musicorum, et viceversa Musici praetendentes psalmos alternatim decantandos per Canonicos, Magister Capellae eiusdem Cathedralis supplicavit praecipi Ordinario Loci, ut absque ulla appellatione, vel recursu faciat observare Caeremoniale lib. 1. cap. 2., et lib. 2. cap. 1.

Et S. C. mandavit *servari Caeremoniale*. Die 26 novembr. 1629. *Savonen*. (Quod Caeremoniale lib. 1. cap. 1. num. 8. ait: Psalmi decantari debent a Choro, et ab ipsismet Canonicis, et Beneficiatis, aliisque de Capitulo in tono, et cantu Gregoriano, cum gravitate, et decore, ita ut eorum verba ab omnibus intelligantur. . . Et si placuerit, finito quolibet psalmo, poterit antiphona per Organum repeti, dum tamen per aliquos Mansionarios, aut alios ad id deputatos eadem antiphona clara voce repetatur.)

Decretum — Pro Patronis in posterum eligendis

849. S. Rit. C. annuente SS., quoad Patronos Locorum in posterum eligendos hunc ordinem servari mandavit:

Primo: *Quod eligi possint in Patronos ii solum, qui ab Ecclesia universali titulo Sanctorum coluntur, non autem Beatificati dumtaxat.*

Secundo: *Quod de Patrono Civitatis electio fieri debeat a Populo, mediante consilio generali illius Civitatis, vel Loci, non autem ab Officialibus solum, et quod accedere debeat consensus expressus Episcopi, et Cleri illius Civitatis. Idemque servari debeat in Patrono Regni, qui pariter eligi debeat a populo singularum Civitatum Provinciae; non autem a repraesentantibus Regnum, nisi ad hoc habeant speciale mandatum, et pariter cum consensu Episcopi, et Cleri dictarum Civitatum.*

Tertio: *Quod causae electionis novorum Patronorum debeant in S. Rit. C. deduci, ac examinari, ac demum, causa cognita, ab eadem Congregatione approbari, et confirmari.*

Et ne praemissorum ignorantia ullo unquam tempore possit allegari, eadem S. C. praedictum Decretum imprimi mandavit. Die 23 martii 1630.

850. Episcopus Scardonen. narrans, sibi ex urbe trasmissas nonnullas Reliquias Sanctorum sine nominibus, supplicavit pro licentia imponendi illis nomina bene visa.

Et sic respondit: *Si Reliquiae sunt authenticae, posse concedi, facto verbo cum SS.* Die 24 augusti 1630.

SS. dixit: *Episcopum illis posse uti, si sint authenticae, in consecratione Altarium, absque alia denominatione.* Die 7 septembris 1630. *Scardonen.*

851. Emo Sacchetto referente petitionem cuiusdam familiae, quae a fundamentis extruxerat Capellam in Ecclesia Parochiali, eamque sufficienter, ut asserebatur, dotatam; an in ea liceret affigere inscriptiones virorum in Dignitate Ecclesiastica constitutorum ex eadem familia, cum imaginibus, et statuis ipsorum ?

Et S. C. respondit: *Licere.* Die 2 martii 1641. *Comen.*

852. Supplicavit Episcopus Rithimen. responderi, quomodo se gerere debeat in confectione Olei Sancti, stante penuria Sacerdotum non constituen. numerum, quem requirit Pontificale Romanum ?

Et S. C. respondit: *Episcopum supplere debere cum Regularibus Sacerdotibus.* Die 11 novembr. 1641. *Rithimen.*

853. Episcopus Rithimensis exposuit, cum ob penuriam Presbyterorum uti non possit in consecratione Oleorum sanctorum numero Sacerdotum, Diaconorum, et Subdiaconorum praescripto in Pontificali Romano, supplicavit ex causa praedicta sibi concedi licentiam conficiendi Olea sacra cum minori numero Ministrorum.

Et S. C. censuit, si SS. D. N. placuerit, *petitam facultatem Episcopo Oratori concedi posse, quatenus sufficiens numerus Presbyterorum in Dioecesi Rithimensi non reperiatur, vel aliter commode haberi nequeat, super quo eius conscientia oneratur, et dummodo in reliquis, quantum fieri potest, Pontificali praedicto se conformet.*

Et relatione SS. facta, Sanctitas Sua iuxta praedicta benigne annuit. Die 24 ianuarii 1643. *Rithimen.*

854. S. Rit. C. declaravit: *Non licuisse eligere in Patronas Sacras Spinas Coronae D. N. I. C., et ideo mandavit scribi Episcopo Celsonen., qui declaret nullitatem electionis factae ab Universitate Castri Terragae, Celsonen. Dioecesis, et certioret de executione.* Hac die 20 sept. 1681. *Celson.*

855. Pro parte Collegiatae Ecclesiae de Tino, Dioecesis Girgentinae, supplicatum fuit apud S. Rit. C. pro declaratione, ut in supplici libello, cuius tenor est ut sequitur: Cadendo in quest' anno nella Settimana Santa la dedicazione della Chiesa Collegiata della terra di Tino, Diocesi di Girgenti, si supplica le Emze Vostre a dichiarare, se i lumi, che sogliono ac-

cendersi nelle Croci fisse nelli muri di detta Chiesa, debbano accendersi nel giorno detto, nel quale cade la dedicazione, oppure in quello, nel quale dovrà essa trasferirsi, e celebrarsi dopo l'ottava di Pasqua, per essere stato sin ora osservato diversamente; che il tutto, ecc.

Et eadem S. C. respondit: *Accendenda sunt lumina ante Cruces positas in parietibus ea die, ad quam transfertur celebratio Officii dedicationis Ecclesiae*. Et ita declaravit. Die 28 februarii 1682. *Girgentin.*

856. Episcopus Bambergen. exposuit ut infra, videlicet: Episcopus dono accepit Altare quoddam portatile, seu viaticum, ut vocant, cum authentico quidem testimonio consecrationis ab Episcopo quondam Magdeburgensi eidem facto. Quia tamen illud notabili temporis intervallo sub manibus acatholicorum extiterat, timens memoratus Episcopus, ne aliquod forte inconveniens, maxime quoad Reliquias sacras mutatas, vel falsatas contigerit, securitatis, non curiositatis causa lignum, quo lapis incrustatus fuerat, amovit, et subtus cavitatem animadvertens, eam etiam aperuit, et Reliquias impositas extraxit, lustravitque, atque authenticas repertas denuo composuit, loculumque ut prius occlusit. Dubitatur nunc, an per tam cautam, et necessariam aperitionem, Altare illud consecrationis sanctitatem veterem amiserit, et nova indigeat?

Propterea relato praedicto dubio SS. D. N. porrecto, et S. Rit. C. remisso: An praedictum Altare portatile execratum sit, et ad novam eiusdem consecrationem deveniri debeat? Eadem S. C. respondit: *Quatenus Episcopus celebraverit in supradicto Altari, non indigere ulla consecratione*. Die 14 martii 1693. *Bambergen.*

857. Quaesitum fuit ab Emo, et Rmo Episcopo Imolensi D. Card. de Verme declarari: An in Ecclesiis suae Dioecesis Altaria Sanctis Testamenti veteris Prophetis dicata essent permittenda?

Et S. Rit. C. respondit: *Antiqua tantum permittat.* Die 13 augusti 1697. *Imolen.*

858. An liceat Confraternitati, seu Confratribus retinere Sedes Confessionales in eorum Oratorio, ibique per Confessarios approbatos excipere Confessiones Sacramentales?

Resp. *Licere de licentia Episcopi* S. Rit. C. die 9 martii 1711. *Papien. Iurium Parochialium.*

859. An in adoratione Crucis in feria 6 in Parasceve, debeant Celebrans, et Ministri deponere etiam Manipulum?

Resp. *Affirmative.* S. Rit. C. die 15 septembr. 1736. *Toletana*, ad 4.

860. Quinam pro Doctoribus Ecclesiae intelligendi sint, an quatuor dumtaxat, sive etiam alii posteriores?

Resp. *In casu, de quo agitur, intelligendos illos, in quorum Officio Ecclesia utitur Antiphona:* O Doctor optime. S. Rit. C. 7 septembr. 1754. *Lisbonen.* ad 2.

861. Quinam pro Patriarchis Religionum intelligendi?

Resp. *In casu, de quo agitur, intelligendos esse omnes illos de quibus Ecclesia Catholica celebrat Officium, et Missam.* Et ita declaravit S. Rit. C. die 7 sept. 1754. *Lisbonen.* ad 3.

862. Cum in nova constructione Ecclesiae Cathed. Brixien. imagines, et tituli Altarium antiquitus consecratorum translati fuerint de uno loco ad alium, non amota tamen a primaevo loco mensa iam consecrata, quaesitum fuit an nova indigerent consecratione?

Et S. Rit. C. ad relationem mei infrascripti Secretarii respondit: *Eadem Altaria non indigere nova consecratione, cum Altaria non Sanctis, sed Deo in honorem Sanctorum dedicentur.* Et ita declaravit. Die 7 iulii 1759. *Brixien.*

863. Piis, enixisque precibus serenissimi Regis Hispaniarum per R. P. D. Azpour apud Sanctam Sedem eiusdem Catholici Regis negotiorum Ministrum SS. D. N. Clementi Papae XIII porrectis, quibus supplicabat, ut facultas fieret in suis Regnis, et Dominiis, in quibus B. M. V. sub Immaculatae Conceptionis Mysterio uti Patrona principalis peculiari devotione colitur, addendi in Litaniis B. M. V. nuncupatis *Lauretanis*, quae tam publice, quam privatim recitantur, post versiculum *Mater intemerata* alterum scilicet *Mater Immaculata:*

Sanctitas Sua, auditis prius Emo Card. Ferroni S. Rit. C. Praefecto, nec non Carolo Alexio Pisani Fidei Promotore, meque infrascripto Secretario, attentis peculiaribus circumstantiis benigne annuit *pro gratia, dummodo tamen non addatur in iisdem tam privatim, quam publice aliud, nisi speciali oblenta facultate a s. Sede Apostolica: Quibuscumque in contrarium disponentibus minime obstantibus, ac praesertim Decreto S. M. Clementis PP. VIII* (*diei* 6 *septembr.* 1601), *quibus in hoc casu Sanctitas Sua pro hac vice derogatum voluit.* Die 12 septembris 1767. *Hispaniarum.*

864. Cum in insula Canariensi occasione alicuius publicae calamitatis imago quaedam Bmae Deiparae *a Pinu* dicta a Templo existen. in oppido *Ferror* vulgo nuncupato, in quo apparuisse fertur, ad Cathedralem Ecclesiam supplicationis causa transferri soleat, Rmus Episcopus S. Rit. C. supplicavit, ut ad tollendas controversias inter capitulares eiusdem Cathe-

dralis exortas, definiret: Utrum eadem imago in iis circumstantiis thurificanda sit triplici, an duplici ductu?

S. eadem Rit. C., audita etiam sententia unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, referente Emo, et Rmo D. Card. Archinto Praefecto, rescribendum censuit: *Thurificandam esse duplici ductu tantum.* Die 28 iulii 1789. *Canarien.*

865. An festa primaria ss. Benedicti, et Bernardi sint de praecepto quoad obligationem audiendi Sacrum, et vacandi ab operibus servilibus in Monialibus Cisterciensibus?

Resp. *Serventur Constitutiones Ordinis.* S. Rit. C. die 11 iulii 1807. *Corduben.* ad 1.

866. Quid agendum in dubio Ecclesiae Cathedralis pollutae, et in dubio illius reconciliationis rite, vel non rite factae?

Resp. *Ad mentem Emi Ponentis: mens est, quod facto verbo cum SS., scribatur Episcopo, non esse amplius hac de re inquirendum.* S. Rit. C. die 11 iulii 1807. *Corduben.* ad 4.

Quibus a me infrascripto Secretario SS. D. N. Pio VII Pont. Max. relatis,' Sanctitas Sua resolutionem S. C. approbavit. Die 11 iulii 1807.

867. Proposito dubio in S. C. super Indulgentiis, sacrisque Reliquiis: An os femoris alicuius Sancti sit Reliquia insignis? Responsum fuit *Negative* a S. Rit. C. sub die 12 aprilis 1823. *Dubium de sacris Reliquiis.*

Licet enim, ut ait ibi in suis notationibus saepe laudatus Gardellini, generali Decreto eiusdem S. C. 13 ianuarii 1631 sancitum sit: Reliquias insignes esse caput, brachium, crus, aut illam corporis partem, in qua passus est Martyr, duplici tamen conditione adiecta: *dummodo sit integra, et non parva, et legitime ab Ordinario approbata.* Atque huiusmodi Decreta tanto cum rigore accipienda sunt, ut quamvis os princeps cruris sit tybia, nihilominus S. C. declaravit sub die 3 iunii 1662, *Tybiam sine fibula non esse Reliquiam insignem*, siquidem, iuxta S. C. sensum, crus, ut insignibus adnumeretur, integrum esse debet; et quoniam duobus ossibus constat, si unum desit, membri perit integritas. Os femoris utique maius est tybia, nec tamen ut insignis Reliquia habendum est, quamvis notabilis sit corporis pars: nec proinde Clero Ecclesiae, in qua asservatur, concedere pòterit Ordinarius Officium, et Missam etiamsi de Reliquiae authenticitate plane constet, et sit Sanćti ab Ecclesia adprobati.

868. Parochiali in Ecclesia s. Ambrosii, oppidi Valpolicella, Dioecesis Veronensis, decenti in theca, iuxta appositam inscriptionem, asservantur sequentes Reliquiae, nimirum: Gut-

tae sanguinis D. N. I. C., velum B. M. V. eodem sanguine aspersum, parva Crux de Cruce Salvatoris: Quoniam hae ex dono concessae sunt ab anno 1725, onus ex legato illi inest, quibusdam in diebus publicae venerationi Reliquias istiusmodi exponendi.

Ritus autem ex tunc ea occasione servatur, ut scilicet e loco custodiae ad Altare SS. Sacramenti asportata theca, ponatur in throno, et decantata solemni Missa, celebrans utroque genu adoret, thurificet triplici ductu, populumque, uti cum sacra Eucharistia, benedicat, reponatque in Tabernaculo una cum SS. Sacramento, ut vespere idem servari possit.

Rubricarum dispositionibus, et decreto S. Rit. C. anni 1736, contrarius apparuit (praefatus Ritus) Sacerdoti Francisco Negrini recensitae Parochialis Archipresbytero, Reliquiasque erectus thurificavit, neque in Tabernaculo amplius reposuit. Haec dissidiorum, et controversiarum causa.

Ad dissidia itaque componenda prudens Archipresbyter primo Rmum Episcopum, dein S. Rit. C. adivit, ut super exposito ritu decernerent.

Et S. eadem C. in ordinario coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coacto, exquisita prius sententia R. P. D. Aloysii Gardellini eiusdem S. C. Assessoris, typis excusa, ad relationem Emi et Rmi D. Card. Rivarola Ponentis, re mature, diligenterque discussa, rescribendum censuit: *Iuxta votum Assessoris:* nimirum *citra approbationem Reliquiarum, scribatur Rmo Ordinario iuxta mentem* (mens autem quae fuerit patet ex eodem voto). Et ita decrevit die 22 septembr. 1827. Nempe *mens est, ut permittat tantummodo illas venerationis, et cultus significationes, quae conveniunt Reliquiis de Cruce D. N. I. C., prudenter vero, suaviter per se, vel per alios discretos Sacerdotes curet Populum docere, et erudire, ne scandalum patiatur ex praescripta indebiti cultus reformatione.*

869. An ante sacras Reliquias expositas unica solum lampas continuo ardere debeat ?

Resp. *Omnino debere, et super Altare saltem ardeant duo lumina, alias Reliquiae non exponantur.* Ita respondit S. Rit. C. 22 ianuarii 1701. *Congregationis Montis Coronae*, ad 9.

870. *Non possunt excipi in Ecclesia Confessiones maxime mulierum, durante tempore nocturno, sed expectandum est, ut illucescat aurora, tam pro Confessionibus mulierum excipiendis, quam pro Eucharistia ministranda Christifidelibus utriusque sexus.* S. Rit. C. 23 martii 1686. *Se-*

nen. ad 2. Tunc autem dicitur ad rem satis illucescere, non quando prima lux per terram diffundi incipit, sed quando ita diffusa est, ut obiecta facile discerni valeant. *Cavalieri, tom. 4. cap. 4. decr. in Ord. 58. num. 5.*

871. Quum occasione mortis alicuius Episcopi praescribat Caeremoniale Episcoporum lib. 2. cap. 38. §. 27. quod ipso sepulto preces pro opportuna electione Deo fundantur, quaeritur utrum haec collecta pro eligendo Episcopo continuari debeat usque ad diem consecrationis an electionis tantum? Resp. *Collectam continuari debere usque ad diem electionis, qui est dies Consistorii secreti.* S. Rit. C. die 10 decembr. 1829. In *Florentina*, ad dub. 3.

872. Si Episcopo detur facultas conferendi Ordines sacros diebus festivis, potestne illos conferre in diebus Apostolorum ceterisque per Apostolicam Sedem abrogatis? Hisce autem diebus licetne conferre Ordines minores? Resp. *Affirmative ad primam partem et etiam ad secundam sed mane tantum.*

873. In ordinatione Clericorum antequam tonsurandi nominatim vocentur a Notario, debetne Archidiaconus eos invitare dicens: *Accedant, qui promovendi sunt ad tonsuram?* Resp. *Potest iuxta morem generalem.*

874. In collatione tonsurae legitur in Pontificali: *Quilibet cum tondetur dicit: Dominus pars etc.* Haec verba suntne proferenda etiam ab Episcopo? Resp. *Proferat iuxta morem.*

875. Pontificale praescribit quod completa ordinatione ordinati suggerente Archidiacono recedant ad loca sua. Quibus verbis uti debet Archidiaconus in hisce occasionibus? Resp. *Ad loca vestra, vel similibus.*

876. Quando Ostiarius, Archidiacono comitante, claudit et aperit fores ecclesiae debetne claudere, et aperire etiam cum clave, praesertim si in foribus oratorii, ubi confertur ordo, non adsit clavis? Resp. *Non est stricte necessarium.*

877. *Amen* quod pontificale praescribit respondendum in traditione vel materiae vel sacrorum indumentorum in ordinatione, dicendum est ab ipso ordinando vel adstantibus? Resp. *Iuxta consuetudinem ab ordinando.*

878. An ordinatis Episcopo candelam offerentibus per offertorium tolerari possit usus ut una tantum candela accendatur, quae a singulis ordinatis Episcopo offeratur? Resp. *Affirmative.*

879. In ordinatione unius Subdiaconi legitur in rubrica: *Quatuor candelabra cum cereis etc.* Quot ergo candelae in Altari sunt accendendae si Missa ordinationis non fiat in can-

tu? Resp. *In ordinatione privata possunt accendi quatuor cerei ut in rubrica, sed in Ecclesia et publica ordinatione septem ut in Missa pontificali.*

880. Pariter si Missa ordinationis non fiat in cantu, Subdiaconus et Diaconus debetne cantare vel legere Epistolam et Evangelium, et quando? Resp. *Legant dum Episcopus legit.*

881. Si ordinatio Presbyteri fiat in cantu, praefatio et alia quae cantantur ab Episcopo, quomodo dicenda sunt ab Ordinatis? Resp. *Sine cantu legenda.*

882. In Pontificali legitur: *Ordinati ad Presbyteratum dicant Evangelium in fine Missae:* dicere ne debent una cum Episcopo ad suam sedem redeuntem, an ex se solis? Resp. *Una cum Episcopo.*

883. Quando sermo post Evangelium est habendus legitur in Caeremoniali lib. 1. cap. 27. n. 3: Concionatori Indulgentias petenti Episcopus concedit Indulgentias consuetas. Quibus eas verbis concedere debet? Resp. *Satis est ut dicat numerum dierum.*

884. Finito sermone praescribit Caeremoniale lib. 1. cap. 25. num. 1: *Diaconus qui cantavit Evangelium stans ante infimum vel in supremo gradu altaris . . . cantat confessionem;* in lib. 2. vero cap. 39. num. 1. legitur: *Statim finito sermone Diaconus stans ante infimum gradum solii cantabit confessionem.* Quaeritur 1. an liberum sit Diacono in confessione cantanda stare vel ante infimum gradum solii vel in supremo, aut in infimo gradu Altaris? Quaeritur 2. an dicta benedictio semper danda sit ab Episcopo etiam quando finita Missa debet dare benedictionem papalem? Quaeritur 3. an si Episcopus assistat cum cappa debeat stare cum bireto, an sine dum cantatur confessio? Quaeritur 4. an si Episcopus assistat cum cappa debeat stare cum bireto vel sine dum incensatur a Presbytero assistente? Resp. *Ad quaestionem 1. Negative sed stabit ante gradum solii celebrante Episcopo; ante gradum Altaris assistente tantum Episcopo. Ad quaestionem 2. Negative quando in fine impertienda est populo papalis benedictio. Ad quaestionem 3. iuxta Caeremoniale capite cooperto. Ad quaestionem 4. sine bireto.*

885. Dum Episcopus Missae per alium cantatae assistens Missam cum Celebrante incipit ante infimum gradum Altaris, Presbyter assistens et Diaconi assistentes ubi stare, et quid agere debent? Resp. *Presbyter assistens cum aliis Canonicis, Diaconi vero assistentes a tergo Episcopi et Celebrantis.*

886. Diaconi et Subdiaconi quando in sacra ordinatione di-

cere debent *Confiteor*, ante vel postquam communicati sunt Presbyteri? Resp. *Post communionem Presbyterorum.*

In communione Ordinandorum si communicentur etiam Ordinati in minoribus, Episcopus uti ne debet forma: *Corpus D. N. I. C. custodiat te in vitam aeternam*, an dicere: *custodiat animam tuam?* Resp. *Affirmative ad primam partem: negative ad secundam.*

887. Praestita a Presbytero ordinato in fine Missae obedientia, Pontificale Episcopo iniungit ut eum osculetur. Quomodo ista deosculatio est facienda? Resp. *Dextera vultus pars deosculanda est.*

888. Quum Episcopus diebus festivis applicare debeat pro ovibus suis, quaeritur an Episcopo hisce diebus pontificaliter celebrante, Canonici debeant Missam conventualem pro benefactoribus cantare, et quando? Resp. *Hebdomadarius vel is cui inest onus Missae conventualis, illam celebret lectam vel ante vel post Missam pontificalem.*

889. Debentne Episcopi et Sacerdotes concionem habentes adhibere stolam? Resp. *Servandam esse immemorabilem consuetudinem.*

890. Quum Rubrica clare non loquatur, quaeritur quando in Missa et in Officio facienda sit reverentia simplex, quando mediocris, et quando profunda tam in Sacristia, quam in Altari? Resp. *Patebit ex Rubricarum collatione.*

891. Stante antiqua consuetudine potestne permitti ut statua Virginis Dolorum exponi possit in Altari feria 6 post Dominicam Passionis, et deferatur cum Christo mortuo in Processione, quae fieri solet feria 6 in Parasceve? Resp. *Iuxta decretum in Bergomen. diei 21 martii 1744 permitti potest.*

892. Crux quae in feria 6 in Parasceve detegenda est et adoranda, debetne esse lignea an potest esse etiam de metallo, praesertim si in ea lignum verae Crucis includatur? Resp. *Servetur Rubrica Missalis, vel laudabilis consuetudo.*

893. In ultimo maioris hebdomadae triduo removenda ne est a vasis ecclesiae aqua benedicta? Resp. *Affirmative ac retinenda consuetudo illam amovendi.* S. Rit. C. *In una Marsor.* diei 12 novembris 1831, ad dub. 1-20. 22. 29. 58-60.

894. Utrum ferêndus sit ritus numeri ordinis et loci cereorum seu candelarum in persolvendis officiis Tenebrarum ab Ecclesiae Pisanae Capitulo servari solitus? Resp. *Negative iuxta modum ea nimirum in parte, quae Caeremoniali Episcoporum adversatur.*

895. Utrum feria 5 in Coena Domini servari debeat usus

denudandi Altaria post *mandatum* hora quarta pomeridiana? Resp. *Negative.*

896. Utrum probari possit usus obeundae in Sabbato Sancto benedictionis novi ignis et incensi ab alio Sacerdote, licet Missam non celebraturo, et deinde ab eodem Diaconalibus vestibus induto deferendae Arundinis *Lumen Christi*, et canendi Praeconii, etsi in subsequenti officio et Missa ipse Celebranti non assistat? Resp. *Affirmative ad primam partem: negative ad secundam.*

897. Utrum ferendus sit usus in Sabbato Sancto infigendi quinque grana incensi non quidem in cero Paschali, sed cereae cuidam albae Cruci ab eo separatae, atque huius muneris obeundi per chori Capellanum sive Sacerdotem sive Diaconum a Diacono Praeconii seu Missae diversum? Resp. *Negative.*

898. Utrum fieri valeat usus aspersionis aquae benedictae, quae fieri debet in diebus Dominicis ante Missam solemnem peragi solitae, non quidem a Celebrante, sed a Capellano Chori cum pluviali? Resp. *Negative.*

899. Celebrante in Pontificalibus Archiepiscopo, ipsius Crux defertur sine luminibus a Crucifero absque tunicella, et habitu chorali tantum induto: Crux vero quae ante clerum procedit defertur ab Acolytho iuxta morem Ecclesiae pluviali induto inter duos ceroferarios candelabra accensa portantes similiter paratos. Resp. *Servandam esse dispositionem Caeremonialis lib. 2. cap. 6. §. 24. et 27. eo modo ut Subdiaconus deferens Archiepiscopalem Crucem sit paratus, atque Acolythus deferens Crucem Capituli sit cotta indutus medius tamen inter duos ceroferarios cum luminaribus.*

900. Ad benedictionem Oleorum fer. 5 in Coena Domini nempe Archipresbyter officium facit Presbyteri assistentis in pluviali, eodemque tempore vices gerit Archidiaconi cui iuxta Pontificale incumbit sistere se coram Antistite et dicere alta voce *Oleum infirmorum* etc. Interim Archidiaconus cum sit secunda dignitas officio fungitur Diaconi assistentis cum Dalmatica. Ob praeeminentiam Archipresbyteri propriam sui iuris esse videtur descripto modo se gerendi in hac sacra actione. Resp. *Negative.*

901. Post Missam Pontificalem eiusdem feriae 5 duo Diaconi assistentes statim se recipiunt in secretarium ad deponendam Dalmaticam, et in eorum locum succedunt Diaconus et Subdiaconus Missae Archiepiscopum SS. Eucharistiam ad sacellum deferentem comitaturi. Id etiam fieri solet in aliis functionibus SS. Sacramenti ritu pontificali ab antistite celebran-

dis. Convenientius enim videtur ut interveniant Ministri cum amictu et alba parati, quam super amictu et rocchetto dalmatica induti. Resp. *Serventur in omnibus etiam in vestibus Diaconorum assistentium Caeremonialis Episcoporum dispositiones.*

902. In Sabbato Sancto arundo cum tribus candelis amoveri solet ab Altari statim post Prophetias, cum Archiepiscopus accedit ad Ecclesiam benedictionem fontis pontificaliter facturus, quae consuetudo retineri posse praesumitur: quamvis enim generatim praedicta arundo removeatur dumtaxat post Missam, id non videtur praeceptivum, cum Rubricae omnino sileant. Resp. *Servari poterit peculiaris consuetudo, sed consulendum Sanctissimo.*

903. In eodem Sabbato Sancto et in Vigilia Pentecostes post benedictionem fontis Archiepiscopus cum ministris paratis in Ecclesiam reversus ad litanias procumbit super faldistorio cum pluviali et mitra, ministri vero ad eius latera super cussinis procumbunt, quin se exuerint pluviali respective, et planetis plicatis. Ratio huius consuetudinis rubricarum dispositioni resistentis ex eo desumitur quia non videtur decere eosdem ministros procumbere cum solo amictu super rocchetto. Insuper Canonicus Missam celebraturus post Prophetias in sacristia cum Diacono et Subdiacono Missae se recipit, neque ad Altare revertitur donec Litaniae finem habeant, quibus cum sint pars officii et Missae huius diei ipse etiam interesse deberet. Resp. *Diaconus et Subdiaconus ut praesto sint ad induendum Episcopum, cum dictum fuerit in litaniis* s. Maria, *surgentes recedant ad sacristiam ubi depositis violaceis planetis assumant Dalmaticam et Tunicellam albas, nec revertantur ad Altare nisi cum absolutis litaniis solemnis inchoanda sit Missa.* S. Rit. C. die 12 novembr. 1831. *In Pisana*, ad dub. 6-9. 11. 16-21.

904. In Vigilia Nativitatis Domini Martyrologium cantatur a Capellano in habitu chorali sine luminaribus et incenso. Haec consuetudo omnino est contraria usui aliarum ecclesiarum ubi Martyrologium hoc cantari solet ab hebdomadario cum stola et pluviali, thure et luminaribus, ideoque non est laude digna. Resp. *Servari posse solitum, adamussim tamen servatis Rubricis novissimae Martyrologii editioni adiectis, dummodo Archiepiscopus noluerit solemniorem ritum inducere.*

905. An in primo anni die hymnus *Veni creator Spiritus*, qui cantatur in ecclesiis ad invocandum sanctum Divinum Spiritum, debeat habere pro conclusione *Iesu tibi sit gloria* ratione octavae Nativitatis Domini, vel ista *Deo Patri* . . . .

eiusque soli Filio? Resp. *Concludendus cum stropha:* Deo Patri . . . eiusque soli. . . .

906. An sub reliquia alicuius sancti exposita publicae venerationi inter candelabra, debeat adhiberi palla, sicut in pluribus faciunt ecclesiis? Resp. *Negative.*

907. Utrum liber cui titulus collectio sive apparatus *absolutionum, benedictionum, coniurationum etc.* auctore Bernardo Sannig sit prohibitus vigore decreti seu regulae Indicis? aliqui enim affirmant, alii negant, immo omnes ferme Sacerdotes hic et alibi illum adhibent, quamvis omni prorsus approbatione careat. Et quid de aliis libris benedictionum, habentibus quidem aliquam approbationem, ast non illam istius S. C.? Resp. *Illi soli libri adhibendi, et in illis tantum benedictionibus, quae Rituali Romano sunt conformes.* S. Rit. C. die 7 aprilis 1832. *In Ariminen.* ad dub. 2. 4. 5.

908. Quaeritur quomodo concludi debeat extra tempus Paschale hymnus *Veni creator Spiritus?* Resp. Dicenda stropha *Deo Patri sit gloria eiusque soli Filio.* S. Rit. C. die 28 iulii 1832. *In Brixien.* ad 4.

909. An extra occurrentiam Sabbati Sancti et Pentecostes possint in votiva aliqua functione decantari Litaniae,quae in praedictis Sabbatis canendae occurrunt? Resp. *Negative.* S. Rit. C. die 17 augusti 1833. *In Brixien.* ad dub. 1.

910. An adsit praeceptum utendi stola violacea in administratione Sacramenti Poenitentiae? Resp. *Servetur Rituale Romanum.*

911. An liceat ubique terrarum in fimbriis et manicis Albarum et aliarum vestium sub velo trasparenti fundum rubrum mittere, vel an sit privilegium Italiae, Hispaniae etc.? Resp. *Negative.* S. Rit. C. die 7 augusti 1833. *In una Ord. s. Ioannis de Deo,* ad dub. 3. et 5.

Decretum Generale

912. Quum ab anno 1788 ad hanc usque diem Breviaria, Horae Diurnae, Officia parva B. M. V., Officia hebdomadae maioris, Ritualia, aliaque id generis, quae denuo praelo mandantur, non amplius praeseferant Rmorum Ordinariorum attestationes, queis declaretur haec exemplaria concordare cum iis, quae Romae sunt impressa, ad tramites Bullarum s. Pii V, Clementis VIII et Urbani VIII Summorum Pontificum, quae in fronte Breviarii Romani reperiuntur, S. Rit. C. supplicatum fuit declarari «utrum etiamnum servari deberent recensitae Constitutiones Pontificiae, et an transgressores poenas inibi inflictas incurrerent?» praesertim ex eo quod in prae-

sentiarum nullus supersit dubitandi locus, quin emendata exemplaria prae oculis in cusione habita sint eo vel magis quod non parum torquerentur conscientiae tum eorum, qui lucrum ex liturgicorum librorum venditione percipiunt, tum Ecclesiasticorum, qui illis uti debent, cum nullibi reperiantur hisce attestationibus muniti, proptereaque demum concedi ut sine ulla dubitatione quis horum librorum usum sibi permitti valeret. Et S. eadem C. in ordinario coetu ad Vaticanum sub die 7 aprilis anno 1832 coadunata, audita relatione a me infrascripto Secretario facta omnibus mature perpensis accurateque consideratis, rescribendum esse censuit, ac declarandum *Pontificias Constitutiones in suo robore permanere et abusum non esse tolerandum.* Huiusmodi declarationi minime acquiescentes, qui primitus supplicarunt, et probe cum intelligant contra legem latam non esse aliquo conatu pugnandum, iterum tamen instituerunt, quo traderetur modus et formula quoad usum eorumdem librorum, quin inflictas poenas ulla ratione quis in se convertat. Hisce precibus similiter ut supra relatis in altera ordinaria Congregatione ad Vaticanum pariter sub die 16 martii 1833 coacta, Emi Patres sacris ritibus tuendis praepositi satius duxerunt super re iudicium differre. Coadunata demum apud Vaticanas aedes iuxta morem eadem S. Rit. ordinaria C., in eaque iam tertio audita relatione ab me infrascripto Secretario facta, omnibus accurate libratis, rescribendum ac decernendum censuit, *detur Decretum generale iuxta mentem.* Mens est ut Ordinarii Locorum pro suo munere invigilent, ut denuo non cudantur supradicti Libri Liturgici sine attestatione a Pontificiis Constitutionibus praescripta, et quoad illos, qui huiusmodi attestatione destituuntur et ab anno praesertim 1788 ac deinceps cusi fuere, aliquod exemplar ex supradictis examini probatae personae ecclesiasticae subiiciant, quae illud conferat cum iis qui in Urbe iuxta morem sunt impressi (exceptis tum Breviario anno 1828 typis Contedini, ac Missali 1826 praelo De Romanis cusis, in quibus nonnulla menda irrepserunt), acceptaque fideli relatione Revisoris, quando illud adamussim concordare cum praedictis inveniatur, suo Clero declarent ipsi Ordinarii Breviaria, Missalia etc. illius impressionis perfecta esse adeo ut illis licite et sine ulla dubitatione uti quis valeat. Ad praecludendam demum omnem viam dubitationis, tradendamque ipsis Ordinariis certam regulam, Typographi Romani deinceps ante impressionem horum librorum teneantur veniam a S. C. impetrare, illiusque revisioni subiicere, et attestatione e-

iusdem Secretarii munire. Atque ita declaravit, ac servari mandavit. Die 26 aprilis 1834.

913. An Altaria sive portatilia sive non, suam amittant consecrationem per fractionem tumuli in quo reconduntur Sacrae Reliquiae, et earumdem amissionem? Resp. *Detur decretum Nullius diei 23 martii 1686 in quo praescribitur Altaria, de quibus supra, consecrari debere.* S. Rit. C. die 23 maii 1835. *In Constantien.*

914. In multis Galliarum dioecesibus Sacerdos benedicendo populum dicit cum cantu haec verba *Benedicat vos omnipotens Deus Pater* etc. an possit aut debeat idem ritus servari etiam in benedictione cum Ligno Sanctae Crucis? Resp. *Non licere* S. Rit. C. *In Lucionen.* die 23 maii 1835, ad dub. 3.

915. An in Vesperis solemnibus etc. Provincialis vel Superior localis Laicus Ordinis s. Ioannis de Deo praecedere et praesidere debeant Sacerdoti et Ministris in vestibus sacris? Et an in dictis Officiis primam Antiphonam intonare debeant tales Superiores vel Sacerdos et Ministri? Resp. *Negative.* S. Rit. C. die 17 aug. 1833. *In una Ord. s. Ioannis de Deo*, ad dub. 2.

916. An Cathedram et solium ob Episcopi adventum in Collegiata Ecclesia suae dioecesis erectum, illo quoque absente, et in suam residentiam reverso in eadem collegiata Ecclesia retinere liceat? Resp. *Negative.* S. Rit. C. die 26 aprilis 1834. *In Bosanen.* ad 1.

917. Quaeritur an quum in choro nostro (Fratrum Minorum de Observantia) tempore Missae solemnis vel Vesperarum adsit Episcopus non Dioecesanus simul cum Patre nostro Provinciali Visitatore, thurificandus sit solus Episcopus aut ambo? Et quid si Episcopus esset Dioecesanus? Resp. *Servetur Caeremoniale Episcoporum.* S. Rit. C. die 7 aprilis 1832. *In Ariminen.* ad dub. 3.

918. Permitti potest ut cantetur, ℣ *Benedicat nos Deus Deus noster etc.* immediate post impertitam benedictionem cum SS. Sacramento. S. Rit. C. die 16 martii 1833. *In Bituntina.*

919. Quum hodiernus Superior Coenobii Ordinis Minorum s. Francisci de Observantia Civitatis Maceraten. S. Rit. C. exposuerit ibi a duobus et ultra saeculis vigere consuetudinem Dominica infra octavam omnium Sanctorum post Missam solemnem decantandi, circa tumulum in medio ecclesiae erectum, responsorium *Libera me Domine*, ac insimul humillime efflagitaverit ut hanc ipsam consuetudinem servare decerneret, tum ob suam antiquitatem, tum etiam ne omissio offendat fidelium pietatem, quamvis ipsa aperte contradicat rubricis et ecclesia-

sticis sanctionibus, Emi et Rmi Patres sacris ritibus tuendis praepositi ad Vaticanum coadunati in ordinariis comitiis respondendum censuerunt *Negative.* Die 16 martii 1833. *In una Ord. Min. s. Francisci de Observantia.*

920. An Superior Ordinis s. Ioannis de Deo plerumque saecularis possit subdelegare suos alumnos sacerdotes pro benedictione sacrae suppellectilis ? Resp. *Negative* S. Rit. C. die 16 aprilis 1834. *In una Ord. s. Ioannis de Deo*, ad 1.

921. Quando ab Episcopo conferuntur Ordines sacri cum Missa lecta, quaeritur an duo Canonici assistentes parati induere debeant Dalmaticam seu Planetam plicatam dumtaxat super rocchettum cum amictu, vel super albam cum amictu cum manipulis et unus cum stola diaconali ? An interesse debeat Presbyter assistens cum Pluviali ? An Archidiaconus uti debeat habitu chorali, seu Dalmatica aut Pluviali ? Resp. *Servetur Caeremoniale Episcoporum.* S. Rit. C. die 6 septembris 1834. *In Pisana.*

922. Quum Professores Seminarii Rothomagensis S. Rit. C. humillime rogarint, ut declarare dignaretur utrum Missa die secunda novembris in commemoratione fidelium defunctorum sit de praecepto, et quatenus affirmative utrum praeceptum istud audiendi sacrum memorata die sublatum fuerit per Constitutionem S. M. Pii PP. VII pro reductione festorum, S. eadem C. ad Vaticanum coadunata in ordinariis comitiis respondendum censuit: *Negative ad utrumque.* Die 16 martii 1833. *In Rothomagen.*

923. Eques Colonnesi Veliternus a S. M. Pio PP. VII facultatem obtinuit pro se, ceterisque de familia aditum aperiendi e proprio domus viridario ad Ecclesiam publicam s. Apolloniae, ibique Sacrum audiendi: quaeritur utrum sacrosanctum Missae sacrificium in praecepti adimplementum valeat etiam pro aliis inquilinis ibi morantibus. S. Rit. C. respondit: *Strictim servetur privilegium.* Die 19 decembr. 1829. *In Veliternen.*

CAPUT XI. — ORDO LITURGICUS IN SOLEMNI QUADRAGINTA HORARUM ORATIONE SERVANDUS

§. I. *De origine solemnis orationis* XL *horarum*

924. Solemnis quadraginta horarum orationis institutio Patri Iosepho a Ferno, oppido Mediolanensi (dicto propterea de Mediolano), Ordinis Capucinorum, adscribitur, qui summa dicendi vi praeditus, innumerosque pro Dei gloria, et animarum salute perpessus labores, obiit in eadem Mediolani civitate anno Domini 1556: quam introduxit in memoriam XL ho-

rarum, quibus Salvator noster in sepulchro permansit. Henricus Spondanus ad an. 1556. Bened. XIV in Synopsi tom. 4. institut. 30. n. 19. post Thyers lib. 4. cap. 17. Item P. Boverius Salutiensis in Annal. Capuc. tom. 1. (post correctionem) pag. 536. in vita, et gestis praedicti P. Iosephi : de quibus ad meliorem historiae intelligentiam haec verbo ad verbum,quae sequuntur,exscripsisse non ab re existimatum extitit.

« Illustris (Pater Ioseph), ac ferventissimus sua tempestate divini verbi praedicator fuit,atque adeo in hoc munere divina virtute praecelluit, ut admirabiles in hominum animis, ac praesertim cum orationi quadraginta horarum incumberet,cuius ipse primus auctor, ac institutor fuit, impetus,ac mutationes efficeret. Id uno, vel altero exemplo lubet ostendere.

« Quo tempore Mediolanensis urbs, ob grassantia Caesarianorum, et Francorum bella, maxime consternata iacebat, in ea Iosephus verbum Dei disseminans, civibus persuadet, ut quadraginta horarum orationem in urbe instituant, ex qua futurum illis pollicetur, ut ex tot incendiis, ac direptionibus, quibus urbs, ac totus Mediolanensis ager undique premebatur, tandem liberaretur. Cives, diuturnis iam calamitatibus attriti, ac Viri promissionibus allecti, haud surdas Iosepho, qui plurimum apud eos ob vitae sanctimoniam, atque in dicendo vim auctoritate valebat, aures praebent.

« Quare communi urbis consilio quadraginta horarum oratio primo quidem in cathedrali Ecclesia, tum etiam in aliis urbis Ecclesiis per totum anni curriculum instituta fuit: in qua, cum populus ad sacram Eucharistiam,et orationem conflueret, is Dei verbum per singulas Ecclesias ministrans,universos ad poenitentiam, ac meliorem vitae frugem hortabatur.

« Nec defuit Servi sui promisso e coelo clementissimus Pater: vix enim ea in urbe oratio instituta fuit, cum paulatim bellorum tumultus caepit mitescere, sedatus armorum strepitus, ac pax inter Caesarianos, et Gallos, Carolo V Imperatore, et Francisco Gallorum Rege ad Fossas Marianas in mutuum conspectum et colloquium convenientibus,composita fuit».(*Sermo est de actis ante annum* 1537.)

« Haec autem quadraginta horarum oratio ea ratione a Iosepho instituta fuit, ut illud XL horarum tempus ad mentem revocet, ac pia institutione colat, quo SS. Domini Corpus in sepulchro olim conditum iacuit, indeque eam sibi apud Christianos religionem vindicet, ut, sacra Eucharistia publice in Ecclesia per totidem horas exposita, Christiana plebs poenitentiae Sacramento a culpis expiata, ac sacro Domini Cor-

pore refecta, quo ad Dei dona capessenda aptior fiat, totum illud temporis spatium pia oratione celebret, quo Dominus pro hominum salute mori, ac sepulchro recondi voluit ». Huc usque citati annales.

Quae paucis comprehendit verbis P. Hautinus Societatis Iesu lib. 2. cap. 4. dicens: *Primus illius* (orationis XL horarum) *auctor fuit ven. P. Iosephus a Ferno italus Capucinus: qui eo tempore, quo bellum inter Carolum V, et Franciscum I ardebat, eiusmodi preces miro cum fructu, applausuque induxit, nec impari per reliquam Italiam propagavit* [1]).

Deinde vero, ut per septem Romae Basilicas magna populi frequentia huiusmodi oratio celebraretur s. Philippus Nerius (iuxta Baccium in vita eiusd. Sancti, lib. 1. c. 14.) auctor fuit.

§. II. *De variis Ritibus ad solemnem hanc expositionem spectantibus*

925. Desuper ianuam Ecclesiae, in qua oratio XL horarum peragitur, ponatur exterius signum, vel imago Eucharistiae sertis festivis ornata, prout indicat instructio saepe citanda Clement. XII sub die 1 septembr. 1736. ut Fideles foris existentes vel ad Eucharistiam adorandam per hoc signum excitentur, aut, ne vanis oblocutionibus orationi intus vacantes exturbent, admoneantur. Et in ipsa Ecclesiae ianua sepimento vulgo *bussola* non stipata, ad Sacramentum a pluribus vindicandum irreverentiis, velum ponatur, vulgo *portiera*, sicque ne per viam transeuntes numquam Sacramentum cernere possint.

926. Triduo expositionis post quodlibet salutationis Angelicae signum, seu vespere, mane, et meridie, et insuper ante Missam solemnem campanae pulsentur solemniter. *Ead. instr.*

927. *Sanctorum Reliquiae non sunt collocandae super altare, in quo reipsa SS. Sacramentum publicae venerationi est expositum. S. Rit. C. 2 septembr.* 1741. Ne videlicet Fideles retrahantur ab attentione erga SS. Sacramentum et ab eiusdem veneratione. Imo P. Cavalieri post citat. instruct. addit: In altari expositionis non solum collocandas minime esse Reliquias Sanctorum, sed etiam cooperiandas, si quae sint, statuas, vel icones ipsorum: *Praesente enim Domino omnium summo* (ait Bissus verb. exposit. n. 232) *cessare debet cul-*

[1]) Quaestio est inter scriptores rerum sacrarum circa huius expositionis auctorem. Ughellius statuit fuisse quendam pium virum Cremonensem *Bonum* nuncupatum, *Ital. sacr. tom.* 4. *pag.* 27. *litt. D.* Gardellinius addit V. S. D. Antonium Mariam Zaccaria Congr. Cleric. Reg. S. Pauli Institutorem eidem *Bono* se adiunxisse. *Praefat. in Comment. ad Instr. Clement. num.* 2. (P. M.)

tus Sanctorum. Excipiuntur tamen statuae Angelorum, non quidem universim, sed quae candelabrorum vicem gerunt, simileve praestant munus aliud.

Multo magis a praedicto altari abesse debent figurae, vel imagines mortuorum; imo nedum his, sed etiam pannis,aliisque lugubribus expers esse debet totum ipsum presbyterium etiam in expositionibus illis, quae in suffragium animarum Purgatorii instituuntur: in qua tamen institutione apponi poterunt per Ecclesiam extra presbyterium panni nigri super parietes, imo et mortuorum figurae.

928. Num in altari, in quo publice SS. Sacramentum patet expositum, apponenda sit Crux Missae tempore, quaestio est. Gavant. part. 2. tit. 14. n. 6, aliique plurimi sententiae adhaerent negativae. Attamen emanavit S. Rit. C. decretum pro parte affirmativa sic expressum: *Super altare, in quo SS. Sacramentum expositum est, Crux de more collocari debet, cum imagine Crucifixi apposita. S. Rit. C.* 14 *maii* 1707.

In cuius vero efformatione decreti cum varia fuerint, ac discrepantia suffragia, cautum deinde fuit, ne ipsum decretum in lucem ederetur; quod cum nihilominus foras eruperit, universali tamen Ecclesiarum usu receptum non extitit.

Quinimo, cum res iterum deducta fuerit ad examen, S. Rit. C. perpendens utramque partem Rubricistarum auctoritati, et rationi probabili esse suffultam, decernendum putavit, ut quaelibet Ecclesia morem, et institutum, quod antea servaverat, in posterum quoque retineat, et aliud propterea condidit decretum hoc modo:

Decretum S. Rit. C. de anno 1707 *praecipiens, quod in altari, ubi est publice expositum SS. Sacramentum, tempore Missae Crux de more collocetur, apud aliquas Ecclesias non est in viridi observantia: et hac de causa instructio pro oratione* XL *horarum Clementis XI, Bened. XIII, et Clementis XII summorum Pontificum iussu edita, sub silentio praeterit: an locanda, an vero removenda sit huiusmodi Crux, linquens quemlibet in sua praxi. S. Rit. C.* 2 *sept.* 1741. Decreti autem huius sensum satis aperit Bened. XIV his verbis, nempe: *Ut quaelibet Ecclesia, vel Dioecesis suam retineat consuetudinem.*

929. An ante ostiolum tabernaculi SS. Sacramenti retineri possit vas florum, vel quid simile, quod praedictum occupet ostiolum cum imagine Domini Nostri in eodem insculpta ? S. Rit. C. respondit: *Negative: posse tamen in humiliori et decentiori loco.* Die 22 ianuarii 1701. *Congr. Montis Co-*

ronae, ad dub. **10**. (Hinc et removenda tabella secretarum vulgo *carta-gloria* [1]).

930. *Ante SS. Sacramentum publice expositum fiat concio capite detecto, non obstante quacumque consuetudine; et abusus omnino est tollendus. S. Rit. C.* **18** *febr.* **1630**.

Ad hoc tamen S. Rit. C. decretum leniendum exurgit P. Cavalieri, approbans illarum Ecclesiarum praxim, quae concionis tempore velum quoddam ante SS. Sacramentum apponunt; unde nonnulla admitti, seu (melius) tolerari posse dicit, quae minus licent, dum patet discoopertum. Hinc licitum facit sedere, et tam concionatorem, quam clerum sacerdotali bireto uti, aut parvo pileolo. Cum tamen, ut ipse subsumit, adhuc Sacramentum in throno resideat expositum, licet velatum, abstinendum saltem ab iis, quae magnam involvunt irreverentiam, cuiusmodi sunt eidem directe terga vertere etc.

Sed non optime quoad omnia: si enim in Missa Coenae Domini non debet (iuxta Caerem. Episcop. lib. **2**. cap. **23**., et Missal. Roman. in proprio huiusmodi Missae) omittere Sacerdos post sumptionem SS. Sanguinis facere consuetas genuflexiones Sacramento super altari posito, etiamsi velo cooperiatur, uti eas facere deberet, si velo minime tegeretur: et si in expositionibus, quae in pyxide fiunt, ea omnia iuxta S. Rit. C. decret. 22 decembr. **1753**, nec non rerum liturgicarum magistros praestari debent, quae fieri decernuntur SS. Sacramento in Ostensorio exposito, quare impar esse debet agendi ratio, si velo super arundinem penes partem tantum adstantis SS. Sacramentum obtegatur, reliquo eiusdem populi idem Sacramentum in conspectu, palamque habente?

Conveniens esse (audiatur idem Caerem. loc. cit. n. **23**., et hoc in praxi sequendum) *ut omnes praesentes, durante officio, starent semper capite detecto, et nunquam sederent; quod si ob longitudinem officii praestare non poterunt, non omittant saltem in signum reverentiae detecto capite, existente SS. Sacramento super altari, divinis officiis assistere.*

Quoad concionem denique, si alia non subsit via ad impediendum, ne auditores terga vertant Sacramento, habeatur sermo vel prope, iuxta instruct. Clement., vel ex ipsomet altari expositionis.

Quando SS. Eucharistiae Sacramentum publice discoo-

[1]) Decreti verbis perpensis patet prohibitionem ad vasa florum, vel quid simile quod ornatum respiciat limitari, minime vero ad tabellam secretarum pro commoditate sacerdotis celebrantis a rubricis requisitam. (P. M.)

pertum exponitur, omnes ante illud transeuntes cuiuscumque conditionis, et ordinis sint, seu ad illud accedentes, seu ab illo recedentes, semper utrumque genu flectere debent. S. Rit. C. 16 *augusti* 1651.

Dum Sacerdos, Missam celebraturus, transit ante SS. Sacramentum expositum, caput non detegat nisi genuflexus; adoratione peracta, dum se erigit, caput cooperiat. *Rubrica Missal.* §. 2. n. 1 *et sequens S. Rit. C. decret. Sacerdos Missam celebraturus, ante Eucharistiam expositam transiens, illam flexis genibus, apertoque capite adoret, caput tamen, dum se erigit, cooperiat. S. Rit. C.* 24 *iulii* 1638.

931. In Missis praesertim, quae extra altare expositionis celebrantur, non pulsetur, iuxta instruct. Clement., campanula ad elevationem; cum enim Sacramentum sit patenter expositum, et in actuali omnium veneratione, non indigent Fideles per campanulam excitari ad eiusdem specialem adorationem, vel quasi idem Sacramentum non foret, quod publice adoratur expositum. Detur tamen aliquod signum cum solita campanula in egressu sacerdotis celebraturi e sacristia, ut Fideles admoniti insimul Sacrificio assistere valeant. In qua assistentia, si celebretur Missa extra altare expositionis, advertendum per quos stat, ne Fideles prope altare expositionis praesertim existentes terga vertant eidem Sacramento.

932. *Missam in altari maiori, ubi est expositum publice SS. Sacramentum, non licet celebrare, praesertim si in Ecclesia adsunt alia altaria, in quibus celebrari possit. S. Rit. C.* 19 *augusti* 1630. Item: *Non debet cantari, neque celebrari Missa in altari, ubi est expositum SS. Sacramentum, nisi sit per eo reponendo. S. Rit. C.* 1671.

Sed quid, si aliud in Ecclesia altare non inveniatur aptum vel ad celebrandam Missam solemnem, ut toto triduo praescribit instruct. Clement., vel pro communione Fidelium, et opus sit consecrare particulas? vel, si alio celebrando, diverteretur populus ab adoratione SS. Sacramenti? Hisce de causis, vel ipsarum una, qui adversetur Missae sive solemnis, sive privatae celebrationi in altari expositionis, non esse videtur.

933. Per plurima decreta Summorum Pontificum, necnon S.Rit.C. prohibetur expositionis tempore assistentia in presbyterio personis laicalibus tempore functionum Ecclesiasticarum, et etiam concionis; et per sanctionem Clement. quocumque alio expositionis tempore, et sub quovis praetextu, etiam orationis.

934. Durante expositione, ubi competens est Ecclesiasticorum numerus, duo, vel saltem unus Sacerdos, vel Clericus

in ipso presbyterio ante inferiorem altaris gradum in scamno tapete, seu panno decentis coloris cooperto cum cotta genuflexus assistat: Sacerdotes tamen ultra superpelliceum stolam habeant e collo pendentem, nisi obstent particulares synodi, vel Praelatorum mandata.

Ubi vero instituta manet aliqua Confraternitas, duo saltem ex Confratribus vicissim semper assistant genuflexi extra presbyterium ante scamnum, vulgo *banco*, coopertum etiam tapete decentis coloris. *Instruct. Clement.*

935. Quoad luminum quantitatem in hac solemni oratione, serventur leges synodales, piaeque ab Episcopis probatae consuetudines. Ut tamen quid certi generaliter habeatur, ante Sacramentum publice expositum sexdecim ardeant lumina, nunquam vero minora duodecim, prout innuit S. Congr. Conc. instit. Eccles. 30. §. 23.

936. Hic dicendum restat : dum SS. Sacramentum manet expositum, mortuorum corpora in Ecclesiam expositionis minime esse inferenda, sed vel anticipentur exequiae, vel differantur: et si horum neutrum fieri potest, tunc celebrari poterunt etiam solemniter, et in cantu per viam, et in ipsa Ecclesia terminabuntur submississima voce. *Caval. tom.* 3. *cap. in Ord.* 127.

§. III. *De coloribus paramentorum*

937. Color paramentorum tam in Missis solemnibus privatisque, quam in vesperis ipse erit, qui iuxta generales rubricas congruit Missae, sive vesperis, quae in praesens celebrantur: in processione vero congruentius utendum colore functionis immediate antecedentis. Si tamen coloris convenientis paramenta pretiosa non habeantur, tunc alterius coloris (aliqualiter tamen congruentis) ea adhiberi posse, si pretiosa, licitum faciunt in similibus occurrentiis Rubricistae.

Sed quid, si dum Missae, vel officii color est violaceus, adhibeantur in defectu paramentorum huiusmodi coloris (vel si habeantur non sint pretiosa) paramenta alba ? Resp. Cum color albus congruat et solemnitati, et Sacramento, eo in casu licite eo uti posse videtur: non tamen viceversa, cum color violaceus neque solemnitati, neque Sacramento, neque etiam Missae, vel officio, uti supponitur, congruat [1]).

[1]) Quae a nostro Auctore traduntur super usu paramentorum nobiliorum, seu ornatiorum alterius coloris, deficientibus similibus coloris officio convenientis, decretis citatis num. 116 adversantur. Siquidem si adducta sententia tenenda esset, neque rubricae servarentur, neque sensus mysticus, neque alia momenta reperirentur queis in deligendis pro diversitate officiorum coloribus Eccle-

Quoad Missas vero de *Requiem* in solemni oratione pro defunctis dicendum, quod si extra huiusmodi occasionem per S. Rit. C. decretum 21 iunii 1670 in subsidium permittitur color violaceus pro nigro, a fortiori (imo decentius) dum SS. Sacramentum manet expositum, ut patet.

Pallium denique altaris, in quo expositum est SS. Sacramentum, semper erit albi coloris, licet Missa solemnis vel vesperae celebrentur in alio colore: ita pariter baldachinum, et velum humerale. *Instruct. Clement.*

§. IV. *De Missae qualitate sive solemnis, sive privatae*

938. Cum oratio quadraginta horarum institui minime queat, nisi ob publicam, et gravem vel congregationis, vel populi, vel Ecclesiae causam, qualis equidem esse potest vel ad avertendum populum a peccatis, tempore praesertim bacchanalium; vel si huiusmodi oratio locum teneat spiritualium exercitiorum, cum frequentia Sacramentorum Poenitentiae, et Eucharistiae; vel etiam si instituta sit in suffragium animarum Purgatorii, ideo dicendum venit, solemni Missae, quae, durante expositione SS. Sacramenti, pro una saltem ex dictis, vel aliis similibus causis celebratur, omnia tribui posse privilegia, quae Missae solemni pro re gravi competere possunt; ideoque iuxta etiam instruct. Clement. singulis anni diebus celebrari dictae Missae votivae solemnes possunt, exceptis solummodo quae sequuntur, videlicet: 1.° In duplicibus 1. et 2. classis. 2.° In Dominicis 1. et 2. classis, videlicet a Dom. Septuagesimae usque ad Dom. in Albis inclusive, et in quatuor Dom. Adventus. 3.° In feria 4. Cinerum necnon 2. 3. et 4. maioris hebdomadae. 4.° In diebus singulis infra octavas Epiphaniae, Paschae, et Pentecostes.

In quibus autem Dominicis, aliisque diebus, et feriis exceptis cantetur sive in Collegiatis iuxta P. Caval. post instruct. Clement. et usitatur Romae in Capella Pontificia, sive in aliis Ecclesiis Missa de die cum commemoratione SS. Sacramenti

sia movetur. Insuper cum Gardellinio adnotabimus « circumstantia solemnitatis non valet ad immutandum ritum a rubricis praescriptum sine speciali privilegio, de quo in *Instructione* ne vola quidem aut vestigium occurrit. (Comment. ad Instr. Clement. §. XII. num. 10.) ». Cum itaque expositio Sacramenti inter votivas functiones, quae officium videlicet non afficiunt, enumeretur, nullam adesse rationem leges ab Ecclesia sancitas immutandi pro certo tenendum est. Stabunt propterea ecclesiasticae sanctiones, in huiusmodi missis paramenta coloris officio convenientis omnino adhibenda esse. (P. M.)

sub unica conclusione, ut servetur orationis unitas, quam exposcunt solemnes Missae, quae pro re gravi celebrantur.

Huic tamen sententiae de non celebranda in Ecclesiis Collegiatis Missa votiva solemni de SS. Sacramento in dup. 1. et 2. classis, aliisque diebus ut supra exceptis, opponitur P. Gavantus part. 2. tit. 14. n. 4., imo et P. Merati post S. Rit.C. decretum sic sonans: *Quando exponitur Sacramentum in altari pro initio* XL *horarum, vel spiritualium exercitationum, si accidat in festo* 1. *vel* 2. *cl. sive in Dominica privilegiata* 1. *vel* 2. *classis, tunc in Collegiatis vel duae cantentur Missae, una de festo, seu de Dominica post Tertiam, altera votiva de Sacramento post Nonam: vel una cantetur de die cum commemoratione SS. Sacramenti. S.Rit.C.*13 *febr.*1666.

Eligat hic proinde vir doctus, et prudens de duabus, quae ipsi magis placuerit, sententiis. Cum tamen hic supra citatum decretum aeque stet pro utraque parte, et instructio Clement. sit posterior tali decreto, mosque servetur in Pontificia capella de non celebranda Missa votiva solemni SS. Sacramenti in dictis diebus exceptis, ideo standum satius videtur pro prima sententia.

In reliquis anni diebus, etiam in dup. mai. in Ecclesiis Collegiatis cantentur duae Missae, una de festo, seu de Dominica post Tertiam, et altera votiva solemnis de SS. Sacramento, quae habetur circa finem missalis (infra octavam tamen Corporis Christi dicatur Missa de huiusmodi solemnitate) post Nonam, cum *Gloria*, *Credo*, et Praefat. de Nativitate, sine commemoratione festi, de quo factum est officium, et tempore paschali addatur consuetis locis *alleluia*.

In Ecclesiis vero non Collegiatis celebretur etiam in dup. mai., et reliquis diebus ab instruct. Clement. non exceptis, solemnis Missa de Sacramento ut supra, cum *Gloria*, *Credo*, et Praef. de Nativitate sine commemoratione festi currentis. *Rubr. missal. tit.* 9. *de orationibus*, *n.* 14. Nec adest tunc obligatio aliam cantandi Missam de festo, nisi adsit aliunde talis obligatio.

939. Si aliqua ex tribus diebus celebretur Missa solemnis de necessitate, propter quam fit oratio XL horarum, tunc loco Missae solemnis de SS. Sacramento dicatur iuxta instruct. Clement. Missa de tali necessitate, cum commemoratione SS. Sacramenti sub unica conclusione, cum *Gloria*, nisi celebretur in paramentis violaceis, seu nisi Missae qualitas id vetet, et *Credo;* Praefatio, nisi Missa propriam habeat dicatur de Nativitate [1]).

[1]) Quae tradunt Rubricae Missalis pro symbolo et praefatione sedulo sunt attendenda. « In ipsis (scilicet Missis votivis) non di-

940. Missae privatae, diebus, qui iuxta generales rubricas Missas votivas privatas excludunt, dicantur de festo, de quo factum est officium, cum commemoratione SS.Sacramenti post omnes alias commemorationes de praecepto, etiam post illam ad libitum, sine *Credo*, nisi Missae qualitas id postulet.

In duplicibus tamen 1. et 2. classis non est facienda in dictis Missis privatis commemoratio de SS. Sacramento, iuxta decreta S. Rit. C. 2 dec. 1684, et 2 sept. 1741. Nomine vero festorum 1. e 2. classis non veniunt Dominicae Adventus, nec quae intercedunt a Dominica Septuagesimae usque ad Dominicam Passionis inclusive, et etiam Dominica in Albis: quae Dominicae cum non respuant commemorationes currentes, et de mandato, nec respuere debent illam SS. Sacramenti. In quibus ergo Dominicis fieri utique potest commemoratio SS. Sacramenti, sicut etiam infra octavam Epiphaniae, et in feria 4. 5. 6. et Sabbato infra octavas Paschae, et Pentecostes, necnon in feria 4. Cinerum, et 2. 3. et 4. maioris hebdomadae, non tamen in Dominica Palmarum, et vigiliis Nativitatis Domini, et Pentecostes eo quod tales Missae donatae sint privilegio unicae orationis.

941. In Missis votivis privatis SS. Sacramenti, quae in diebus a rubrica generali concessis, durante expositione XL horarum, celebrantur, non dicatur neque *Gloria*, neque *Credo*, iuxta Missalis rubricas, necnon instruct. Clem. In quibus Missis 1. oratio erit propria de Sacramento; 2. de officio die currentis; 3. vero quae aliunde dicenda foret secundo loco in Missa de officio, iuxta sequens decretum: *In Missa votiva SS. Sacramenti tertia oratio dicenda est ea, quae secundo loco erit dicenda ratione temporis occurrentis, non vero ea, quae est assignata secundo loco infra octavam eiusdem SS. Sacramenti. S. Rit. C.* 4 *april.* 1705. Videlicet ab octava Epiphaniae usque ad Purificationem B. V. erit *Deus, qui salutis:* A Purificatione usque ad fer. 4 Cinerum erit *A cunctis:* A fer. 4. Cinerum usque ad Dominicam Passionis exclusive, si factum sit officium de feria, erit etiam *A cunctis*. Si ve-

citur *Gloria in excelsis* nec *Credo*, nisi pro publica Ecclesiae causa, et tunc etiam si dicatur in paramentis violaceis dicitur *Credo* si sit Dominica, non autem *Gloria in excelsis*. (Tit. *de Missis votivis*): In Missis votivis dicitur etiam Praefatio propria si propriam habeant: si vero non habuerint dicitur Praefatio de tempore, vel de octava, infra quam contigerit huiusmodi Missam celebrare, alioquin Praefatio communis (Tit. *de Praefationibus*) ». Rubricis ideo standum, dimissa Auctoris opinione. (P. M.)

ro de aliquo sancto, tunc tertia oratio erit de feria; et sic de cetero per annum, dummodo tamen de praecepto facienda non sit alia commemoratio v. gr. festi simplicis; Praef. de Nat., in fine *Bened. Dom.* et semper Ev. s. Ioan. *In principio;* color erit albus.

942. An Missis privatis, quae triduo orationis XL horarum, sed praeviae expositioni celebrantur, iura omnia concedantur, quae talibus Missis, dum SS. Sacramentum manet expositum, de iure competunt, ideoque faciendam in ipsis esse in diebus ut supra non exceptis commemorationem SS. Sacramenti? Videtur negative; cum enim per S. Rit. C. decretum 16 februarii 1737 fieri mandetur in omnibus Missis commemoratio de SS. Sacramento, cum hac se exprimit clausula, *dum Sacramentum est patenter expositum:* proindeque, expositione non existente, nullo huiuscemodi privilegio tales Missae donari debent: immo de *Requiem* etiam diebus ceteroquin non impeditis dici possent, si modicus praesertim sit audientium numerus.

943. An denique, durante expositione SS. Sacramenti occasione XL horarum, licita sit Missae defunctorum sive solemnis, sive privatae celebratio? Resp. Quod licet per S. Rit. C. decretum 2 dec. 1684, sic sonans: *Durante expositione SS. Sacramenti occasione XL horarum regulariter celebrari non potest Missa privata de* Requiem, *licet occurrat officium huiusmodi Missas admittens: neque cantari potest Missa defunctorum pro adimplenda mente testatoris, sive anniversario faciendo*, prohiberi videatur talem celebrationem; attamen, cum citatum decretum non sit absolutum, ut indicat adverbium *regulariter*, ideo dicendum, quod si oratio XL horarum instituta sit in suffragium animarum Purgatorii licita esse posset diebus a rubrica generali non impeditis celebratio Missae privatae non solum, sed et solemnis defunctorum (quae utique dici etiam poterit in dup. mai. et reliquis diebus per instr. Clement. non exceptis, minime vero in festis de praecepto), cum haec expresse cantari solummodo prohibeatur pro adimplenda mente testatoris sive anniversario faciendo, nunquam vero in altari expositionis: quae omnia fere comprobantur per sequens decretum: *Missae* de Requiem *extra altare, ubi est expositum SS. Sacramentum etiam in pyxide, poterunt celebrari, dummodo tamen oratio coram SS. Sacramento non sit pro publica causa. S. Rit. C.* 7 *maii* 1746.

Si ergo publica causa pro expositione SS. Sacramenti sit suffragium animarum Purgatorii, quid vetat, quominus non solum celebrentur ad hoc Missae privatae defunctorum, sed etiam

Missa solemnis, cum decreti dispositio restricta non sit ad Missas privatas, adiecta solummodo conditione, ut non celebrentur ad altare, ubi est expositum SS. Sacramentum?

§. V. *De ritu celebrandi in altari expositionis Missam solemnem, et vesperas*

944. Dum cantatur Missa solemnis in altari expositionis, debet Celebrans de more benedicere incensum, cum praeter Sacramentum altare quoque, et ipsemet Celebrans debeant incensari. Haec autem est generalis regula, ut non benedicatur incensum, quando cum eo incensandum est solum Sacramentum,bene vero quando incensari debet etiam altare, et Celebrans:in utroque tamen casu semper abstinendum est ab osculis tum cochlearis, tum thuribuli, tum etiam manus Celebrantis.

Diaconus quoque osculari quidquam aliud praeter dicenda non debet in hac Missa, quod tradi oporteat Celebranti, neque manum item Celebrantis in traditione rerum, ob apertam praesentiam SS. Sacramenti. Non debet tamen Subdiaconus omittere osculum manus Celebrantis in fine Epistolae, et Diaconus pariter ad *Munda cor meum*, et ad oblationem per osculum patenae, et manus Celebrantis, et denique in fine orationis Dominicae, dum patenam Celebranti porrigit.

Ratio osculandi altare haec est, ut quoties Sacerdos iam est in medio altaris, prius illud osculari debeat, et postea genuflectere, quando vero non est in medio, sed venit ab aliquo altaris latere, prius genuflectat, et postea osculetur altare.

945. Quoad genuflexionem haec utroque genu fiet cum profunda reverentia in plano in principio, et fine Missae, sed in progressu eiusdem semper facienda erit unico genu, ut communiter sentiunt auctores; nisi cum ad aliquod munus obeundum abscedendum est a presbyterio, et a choro, quia eo in casu facienda est utroque genu sive in recessu, sive in accessu. Quandoque sacri Ministri genuflectunt, ab impositione extremitatum manuum super altare abstineant: id enim soli Celebranti conceditur, quando manus impeditas non habet.

946. In hac itaque Missae solemnis celebratione Sacerdos, et Ministri prope, et ante ingressum presbyterii caput denudare debent, et inferioribus Ministris tradere bireta.Facta postea in plano ante inferiorem altaris gradum genuflexione utroque genu cum profunda reverentia , absolutaque confessione , sine previa genuflexione ascendant ad altare , ubi, facta genuflexione unico genu, illud osculatur Celebrans in medio, deinde retrocedit aliquantulum in cornu fere Evangelii facie versa ad cornu Epistolae, imponit incensum in thu-

ribulo, illudque benedicit (idem esto de impositione incensi ad Evangelium, et ad offertorium): tum facta cum sacris Ministris genuflexione in altaris medio, ac deinde genuflexus cum ipsis in suppedaneo, ut fert probabilior sententia, accipit thuribulum, et SS. Sacramentum triplici ductu thurificat cum profunda reverentia ante, et post. Crux vero, si adest, non est incensanda iuxta decretum S. Rit. C. 29 novembr. 1738.

Incensato de more altari, cum incensandus est Celebrans reddito thuribulo in cornu Epistolae, descendit, et sistit se apud idem cornu facie versa ad populum, advertens, ne, dum movet se, terga vertat Sacramento, et ibi a Diacono e contra stante in plano incensatur: quod erit quoque servandum in altera incensatione ad offertorium, et in utraque manuum ablutione, eadem enim est ratio exeundi extra altare tam pro incensatione quam pro ablutione manuum, et utrumque servatur Romae. *Gavant. part.* 2, *tit.* 14.

Dum Subdiaconus, post cantatum a Diacono Evangelium, Celebranti defert librum Evangelii deosculandum, etsi transeat ante SS. Sacramentum, huic nullam genuflexionem faciat, ob reverentiam s. Evangelii, deinde incensatur more solito Celebrans, qui non descendit in plano, sed in suo se sistit loco.

Ad offertorium Celebrans post benedictionem incensi, praevia genuflexione, incensat oblata; tum genuflexus in suppedaneo cum Diacono in eodem gradu pariter genuflexo iuxta probabiliorem sententiam, ut expeditior in ipsius adiutorium adstare possit, incensat Sacramentum, ut initio Missae, nec amoveri tunc debet calix e corporalis medio. Incensato deinde altari, et Celebrante eo modo, quo supra in prima thurificatione, incensentur de more Ministri, et omnes de choro, et ipsemet Diaconus cum solitis reverentiis; qui vero incensat populum, se sistat quasi a latere Evangelii, ne terga vertat Sacramento, et more solito illum incenset.

In reliquis serventur ritus, qui pro celebratione Missae privatae in altari expositionis sapienter statuti sunt.

947. An Missae solemnis tempore in fidelium communione licita sit patenae suppositio sub mento communicandorum, audiatur Meratus, qui part. 2. tit. 10. n. 54. ait: *Diaconus patenam sub mento communicandorum tenere poterit, experientia enim necessitatem eiusmodi ritus evidenter probat, praesertim quando magnus est numerus communicandorum.*

Audiatur etiam S. Rit. C., quae hunc ritum in communione generali, quae per dignitates agitur, licitum facit his verbis : *Patenae suppositio per Sacerdotem cotta indutum in*

communione generali, quae per dignitates agitur, licita est. S. Rit. C. 3 *sept.* 1661.

Ad vesperas Celebrans, et Ministri, traditis in ingressu presbyterii biretis inferioribus Ministris, facta necnon ab omnibus genuflexione utroque genu, uti dictum est in initio Missae solemnis, paullulum orabunt in eodem plano genuflexi: accedunt deinde ad parata scamna in cornu Epistolae, ubi recitatis secreto *Pater noster*, et *Ave Maria*, intonatur a Celebrante *Deus in adiutorium* etc., et alia dicuntur prout de more.

Ad *Magnificat* vero, facta a Celebrante, et Ministris genuflexione utroque genu (prout innuit P. Cavalieri) in plano ante inferiorem altaris gradum cum profunda reverentia, ascendunt ad altare, ubi facta iterum genuflexione unico genu, altare etiam osculatur Celebrans in medio, deinde retrocedit aliquantulum in cornu fere Evangelii facie versa ad cornu Epistolae, imponit incensum in thuribulo, illudque benedicit : tum facta cum sacris Ministris genuflexione in altaris medio, ac deinde genuflexus cum ipsis in suppedaneo Sacramentum thurificat, tum ipsum altare, et denique fit incensatio Celebrantis et aliorum more in vesperis solito; qui vero incensat populum se sistat, prout dictum est in incensatione Missae solemnis: et absolvuntur vesperae.

§. VI. *De ritu exponendi, et reponendi SS. Sacramentum*

948. In expositione SS. Sacramenti pro initio orationis XL horarum haec teneri potest methodus; videlicet, hora competenti, et congrua pro populo, dicatur Missa solemnis votiva de SS. Sacramento etiam in duplicibus maioribus (minime vero in diebus ab instruct. Clem. ut supra exceptis, in quibus dicenda erit Missa de festo, de quo fit officium cum commemoratione SS. Sacramenti sub unica conclusione), vel privata (quae, cum nullo gaudeat privilegio, nequit proinde dici de Sacramento, nisi aliunde iuxta Missalis rubricas liceat) in qua consecratur hostia pro expositione.

Post sumptionem pretiosi Sanguinis deferatur a Caeremoniario, vel Subdiacono Ostensorium parvo velo coopertum per gradus laterales Epistolae, et deponatur in eodem cornu Epistolae prope corporale, amoto velo, quo erat coopertum : deinde accedet cum debitis genuflexionibus Subdiaconus ad sinistram, et Diaconus ad dexteram Celebrantis, apertoque per hunc Ostensorio, et super corporale posito, Celebrans adaptet sacram Hostiam in lunula Ostensorii, adiuvante eodem Diacono, qui illud statim claudit, velo etiam cooperit iuxta probabiliorem sententiam, et in medio corporalis reverenter col-

locat [1]). Deinde terminetur Missa cum debitis genuflexionibus, prout in feria 5. in Coena Domini.

949. Si facienda sit, ut usitatur Romae, processio, haec Ecclesiae limites non excedat, ad instar processionis, quae fit feria 5. in Coena Domini (Crucifer tamen indutus apparebit superpelliceo); si tamen nequeat intra Ecclesiam processio decenter elongari, tunc extra ipsam, quantum sufficit, eam extendi permittit instruct. Clement.

Finita idcirco Missa, et ablato per Diaconum velo ab Ostensorio, si cum sacris Ministris sit celebratum, facta necnon ab omnibus genuflexione unico genu descendet Celebrans cum ipsis Ministris in plano per gradus laterales Epistolae, et deposita vel retro altare, vel ad credentiam planeta cum manipulo, et assumpto pluviali, depositis quoque a Diacono, et Subdiacono manipulis, reversi ante inferiorem altaris gradum genuflectant utroque genu: ponat deinde Celebrans incensum in duobus thuribulis et SS. Sacramentum thurificet. Deinde porrectum a Diacono in supremo altaris gradu Ostensorium reverenter genuflexus accipiat (post traditum a Diacono Sacramentum ab ipsomet adoretur), mox ad altare ascendat, et conversus ad populum intonetur hymnus *Pange lingua.*

950. Peracta processione, et Sacramento per Diaconum in Throno collocato, ad vers. *Genitori*, *Genitoque* imponat Celebrans incensum in thuribulo, et incenset Sacramentum: immediate vero post ultimam stropham hymni praedicti dican-

[1]) Gardellinius in commentariis ad Instructionem Clementinam §. XIX. num. 3. et seq. quaestionem utrum ostensorium velatum, an discoopertum super Altare relinqui debeat perpendens, momenta a Cavalerio, Baruffaldo, et Tetamo pro huiusce veli appositione acriter propugnata refellit, concluditque standum esse Instructioni, quae de hoc ritu omnino silet. Potissimam laudati scriptores rationem ex Rituali Romano desumunt (tit. de Processione in festo Corporis Christi), quae infirma prorsus esse evincitur quod in proposita quaestione non agitur de processione, sed de expositione, quae incipit statim ac Diaconus Sacram Eucharistiam in ostensorio reponit, ac proinde decet quam maxime Sacramentum adorationi fidelium discoopertum relinquere. In oratione XL horarum processio instruitur ad pompam, non ex ritu, sicut in festo Corporis Christi evenire solet, atque huius orationis praecipuum obiectum in expositione consistit. Ergo quae in Rituali pro diversa circumstantia habentur, ad casum prorsus dissimilem extendi nequeunt, pro quo aliter per Summos Pontifices in Instructione cautum est, ac propterea assertio Auctoris nostri non est admittenda, quae licet a citatis scriptoribus deprompta Instructionis sensui minime adhaeret. (P. M.)

tur Litaniae Sanctorum, positae hic in fine cum suis precibus (in quibus dicendum erit iuxta instruct. Clement. ℣. *Dominus vobiscum*, minime vero in repositione, ex eo forsitan, quia tunc datur benedictio cum SS. Sacramento) et statim, facta brevi oratione, recedant.

Si vero non fiat processio, locato post Missam (quod erit quoque servandum, quando extra occasionem Missae fit expositio) SS. Sacramento in suo Throno, eoque incensato, dictis quoque Litaniis Sanctorum cum suis precibus ut supra, facta etiam brevi oratione, recedant.

951. In repositione SS. Sacramenti pro fine orationis XL horarum, dicantur denuo Litaniae Sanctorum usque ad vers. *Domine exaudi*, ponat deinde Celebrans incensum in thuribulo, et Sacramentum thurificet; deposito deinde per Diaconum Sacramento a Throno, et Celebranti de more porrecto, fiet iuxta congruentiam processio. Finita processione, posito per Diaconum Sacramento super altare, eoque ad vers. *Genitori*, *Genitoque* incensato, post vers. *Panem de coelo*, sine praevio vers. *Dominus vobiscum*, recitabit Celebrans orationes: postea ad altare solus ascendendo sine Diaconi adminiculo, SS. Sacramentum sumet, et populum benedicet.

Reposito deinde per Diaconum Sacramento in Tabernaculo, finis datur praecelsae Divini amoris, et benevolentiae in nos plenae XL horarum solemnitati.

NOTANDA

952. Etiamsi expositiones, quae communiter sub nomine orationis XL horarum fiunt, taliter aliquando nonnulli nuncupari detrectent, satiusque solemnis expositionis nomine donari concedant: attamen, cum solemnibus expositionibus, quae pro publica, et gravi causa fiunt, omnia liturgica iura tribuantur, quae pro solemni quadraginta horarum precatione sancita fuere, ideo in hoc etiam casu nihil immutandum de iis, quae hucusque sunt tradita.

953. Si autem, praeter ea, quae hic scripta sunt, aliquid a locorum Ordinariis statutum sit, hoc, non illa serventur.

§. VII. *Litaniae, et preces in oratione XL horarum*

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Sancta Maria, ora pro nobis.

Sancta Dei Genitrix	ora
Sancta Virgo Virginum	ora
Sancte Michael	ora
Sancte Gabriel	ora
Sancte Raphael	ora
Omnes Sancti Angeli, et Archangeli	orate
Omnes Sancti beatorum Spirituum Ordines	orate
Sancte Ioannes Baptista	ora
Sancte Ioseph	ora
Omnes Sancti Patriarchae, et Prophetae	orate
Sancte Petre	ora
Sancte Paule	ora
Sancte Andrea	ora
Sancte Iacobe	ora
Sancte Ioannes	ora
Sancte Thoma	ora
Sancte Iacobe	ora
Sancte Philippe	ora
Sancte Bartholomaee	ora
Sancte Matthaee	ora
Sancte Simon	ora
Sancte Thaddaee	ora
Sancte Mathia	ora
Sancte Barnaba	ora
Sancte Luca	ora
Sancte Marce	ora
Omnes Sancti Apostoli, et Evangelistae	orate
Omnes Sancti Discipuli Domini	orate
Omnes Sancti Innocentes	orate
Sancte Stephane	ora
Sancte Laurenti	ora
Sancte Vincenti	ora
Sancti Fabiane, et Sebastiane	orate
Sancti Ioannes, et Paule	orate
Sancti Cosma, et Damiane	orate
Sancti Gervasi, et Protasi	orate
Omnes sancti Martyres	orate
Sancte Silvester	ora
Sancte Gregori	ora
Sancte Ambrosi	ora
Sancte Augustine	ora
Sancte Hieronyme	ora
Sancte Martine	ora
Sancte Nicolae	ora
Omnes Sancti Pontifices, et Confessores	orate
Omnes Sancti Doctores	orate
Sancte Antoni	ora
Sancte Benedicte	ora
Sancte Bernarde	ora
Sancte Dominice	ora
Sancte Francisce	ora
Omnes Sancti Sacerdotes, et Levitae	orate
Omnes Sancti Monachi, et Eremitae	orate
Sancta Maria Magdalena	ora
Sancta Agatha	ora
Sancta Lucia	ora

Sancta Agnes ora
Sancta Caecilia ora
Sancta Catharina ora
Sancta Anastasia ora
Omnes Sanctae Virgines, et Viduae orate
Omnes Sancti, et Sanctae Dei, intercedite pro nobis.
Propitius esto, parce nobis Domine.
Propitius esto, exaudi nos Domine.
Ab omni malo, libera nos Domine.
Ab omni peccato libera
Ab ira tua libera
A flagello terraemotus libera
A peste, fame, et bello libera
A subitanea, et improvisa morte libera
Ab insidiis diaboli libera
Ab ira, et odio, et omni mala voluntate libera
A spiritu fornicationis libera
A fulgure, et tempestate libera
A morte perpetua libera
Per Mysterium sanctae Incarnationis tuae libera
Per adventum tuum libera
Per Nativitatem tuam libera
Per Baptismum, et sanctum ieiunium tuum libera
Per Crucem, et Passionem tuam libera
Per Mortem, et Sepulturam tuam libera
Per Sanctam Resurrectionem tuam libera
Per admirabilem Ascensionem tuam libera
Per adventum Spiritus Sancti Paracliti libera
In die Iudicii libera
Peccatores, te rogamus audi nos.
Ut nobis parcas te rogamus
Ut nobis indulgeas te rogamus
Ut ad veram poenitentiam nos perducere digneris, te rogamus
Ut Ecclesiam tuam sanctam regere, et conservare digneris te rogamus
Ut Domnum Apostolicum, et omnes Ecclesiasticos Ordines in sancta religione conservare digneris te rogamus
Ut inimicos sanctae Ecclesiae humiliare digneris te rogamus
Ut Regibus, et Principibus Christianis pacem, et veram concordiam donare digneris te rogamus
Ut cuncto populo Christiano pacem, et unitatem largiri digneris te rogamus
Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare, et conservare digneris te rogamus
Ut mentes nostras ad coelestia desideria erigas te rogamus
Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas te rogamus
Ut animas nostras, fratrum, propinquorum, et benefactorum nostrorum ab aeterna damnatione eripias te rogamus
Ut fructus terrae dare, et conservare digneris te rogamus
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris te rogamus
Ut nos exaudire digneris te rogamus
Fili Dei te rogamus
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.
Christe audi nos
Christe exaudi nos
Kyrie eleison
Christe eleison
Kyrie eleison
Pater noster *secreto*.
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.

Psalmus 69.

Deus in adiutorium meum intende: * Domine ad adiuvandum me festina.
Confundantur, et revereantur, * qui quaerunt animam meam.
Avertantur retrorsum, et erubescant, * qui volunt mihi mala.
Avertantur statim erubescentes, * qui dicunt mihi: Euge, euge.
Exultent, et laetentur in te omnes, qui quaerunt te, * et dicant semper: Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.
Ego vero egenus, et pauper sum: * Deus adiuva me.
Adiutor meus, et liberator meus es tu: * Domine ne moreris.
Gloria Patri, etc.
℣. Salvos fac servos tuos.
℟. Deus meus sperantes in te.
℣. Esto nobis Domine, turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
℣. Domine, non secundum peccata nostra facias nobis.
℟. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.
℣. Oremus pro Pontifice nostro *N*.
℟. Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum eius.
℣. Oremus pro benefactoribus nostris.
℟. Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam aeternam.
℣. Oremus pro fidelibus defunctis.
℟. Requiem aeternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis.
℣. Requiescant in pace.
℟. Amen.
℣. Pro fratribus nostris absentibus.
℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperantes in te.
℣. Mitte eis, Domine, auxilium de Sancto.
℟. Et de Sion tuere eos.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili Passionis tuae memoriam reliquisti: tribue, quaesumus, ita nos Corporis, et Sanguinis tui sacra Mysteria venerari, ut Redemptionis tuae fructum in nobis iugiter sentiamus.

Ab Adventu usque ad Nativitatem Domini

Deus, qui de Beatae Mariae Virginis, utero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti: praesta suppli-

cibus tuis, ut qui vere eam Genitricem Dei credimus, eius apud te intercessionibus adiuvemur.

A Nativitate usque ad Purificationem

Deus, qui salutis aeternae Beatae Mariae virginitate foecunda humano generi praemia praestitisti: tribue quaesumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitae suscipere D. N. I. C. Filium tuum.

A Purificatione usque ad Adventum Domini

Concede nos famulos tuos, quaesumus, Domine Deus, perpetua mentis, et corporis sanitate gaudere: et gloriosa Beatae Mariae semper Virginis intercessione a praesenti liberari tristitia, et aeterna perfrui laetitia.

Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo Pontifici nostro *N.*, et dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis aeternae, ut, te donante, tibi placita cupiat, et tota virtute perficiat.

Deus refugium nostrum, et virtus, adesto piis Ecclesiae tuae precibus, auctor ipse pietatis: et praesta, ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur.

Omnipotens sempiterne Deus, in cuius manu sunt omnium potestates, et omnia iura regnorum, respice in auxilium Christianorum, ut gentes Turcarum, et haereticorum, quae in sua feritate, et fraude confidunt, dexterae tuae potentia conterantur.

Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum, omniumque misereris, quos tuos fide, et opere futuros esse praenoscis: te supplices exoramus, ut pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel praesens saeculum adhuc in carne retinet, vel futurum iam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuae clementia omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, etc. ℟. Amen.

℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Exaudiat nos omnipotens, et misericors Dominus.
℟. Et custodiat nos semper. Amen.
℣. Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace.
℟. Amen.

§. VIII. *Varia S. Rit. C. decreta ad Orationem XL horarum spectantia*

954. An liceat in expositione SS. Sacramenti lumen aliquod eo artificio collocare a parte postica spherae, ut recta illuceat in ipsam sacratissimam Hostiam, quae exinde lucida appareat? Resp. *Negative et servetur Instructio iussu S. M. Clemen-*

tis PP. XI evulgata die 21 *ianuarii* 1705, *pro expositione SS. Sacramenti occasione orationis* XL *horarum*, §. *VI.* S. Rit. C. 31 martii 1821. *In una dub.* ad 5.

955. In tertia Dominica cuiuslibet mensis ex antiqua consuetudine Cathedralis Pisauren. in Missa solemni duae Hostiae consecrantur, quarum una in usum Sacrificii, altera pro publica veneratione in Ostensorio collocatur, confectaque celebratione processionaliter per Ecclesiam gestatur. Cum vero tempore Quadragesimae, et Adventus supplicatio per Ecclesiam omittatur ex eo quod praefato tempore scamnis referta ipsa reperiatur pro commoditate populi ad audiendum verbum Dei accurrentis, dubium propositum est: an omissa in casu supplicatione, commemoratio SS. Sacramenti in Missa solemni debeat omitti? Resp. *Commemorationem SS. Sacramenti in praefata Missa solemni faciendam esse, licet accidentaliter omittatur Processio.* S. Rit. C. 15 maii 1819. *In Pisauren.* ad 2.

956. Cum in Ecclesia s. Ignatii Urbis expositio SS. Eucharistiae Sacramenti, quae dicitur quadraginta horarum, singulis fere annis incidat in diem Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, et Praeses eius Ecclesiae anceps haeserit, num liceat, durante tali expositione, recitare Officium, et celebrare Missas defunctorum in dicta Ecclesia, humillimis precibus petiit a S. Rit. C. resolutionem infrascriptorum dubiorum.

Primo: An in Ecclesiis, in quibus expositum manet SS. Eucharistiae Sacramentum Fidelium adorationi in turno perpetuae orationis, quae dicitur quadraginta horarum, occurrente die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, liceat recitare Officium defunctorum, et celebrare Missam solemnem, et etiam Missas privatas itidem defunctorum? Resp. *Affirmative.*

Secundo: Et quatenus affirmative, an adhiberi debeant paramenta coloris violacei, potius quam coloris nigri? Resp. *Arbitrio Superioris localis.*

Tertio: An in eodem casu excipiendum sit Altare, in quo habetur expositum SS. Sacramentum? Resp. *Affirmative.*

Et ita declaravit S. Rit. C. 16 sept. 1801. *Romana seu Urbis Ecclesiae s. Ignatii.*

957. An praeter consuetas usuque receptas SS. Sacramenti expositiones, extraordinaria quoque in Ecclesiis exemptis fieri possint absque licentia Ordinarii? Resp. *Negative et serventur Decreta hac super re pluries edita.* S. Rit. C. 31 martii 1821. *Dubior.* ad 4.

958. Quaesitum fuit: An Parochus, et prima dignitas Eccl. Cathedralis possit indicere Orationem XL horarum, et expone-

re SS. Eucharistiae Sacramentum absque licentia Episcopi?

Et S. C. respondit: *Non posse*. Die 4 iunii 1644. *Grossetana.*

959. Sacerdos deputatus a Vicario ad conficiendum turnum Orationis quadraginta horarum in Urbe petiit, an feria 6. in Parasceve sit prosequenda huiusmodi Oratio cum expositione Sanctissimi, an vero abstinendum?

Et S. C. mandavit: *Omnino cessandum a mane feriae 5. usque ad mane Sabbati Sancti.* Die 12 martii 1661. *Urbis.*

960. Quaesitum humiliter fuit a nonnullis Sacerdotibus Civitatis Eugubinae a S. Rit. C. declarari: An liceat in Ecclesiis, in quibus occasione quadraginta horarum expositum detinetur Augustissimum Sacramentum, celebrare Missas defunctorum, et quid, si ex praescripto Testatorum essent celebrandae?

Et S. C. *Congruentius abstinendum* respondit. Die 27 aprilis 1697. *Eugubina dubii.*

961. Cum ex parte Magistri Caeremoniarum Congregationis s. Philippi Nerii Patavinae Civitatis S. Rit. C. propositum fuerit dubium: An instructio pro oratione quadraginta horarum Romae iussu Clementis XI edita etiam extra Urbem servari possit, et debeat?

Resp. *Praedictam instructionem extra Urbem non obligare, laudandos tamen, qui se illi conformare student, nisi aliud ab Ordinariis Locorum statutum sit.* S. Rit. C. 12 iulii 1749. *Patavina.*

962. Interrogata S. Rit. C. An tempore quadraginta horarum in Cathedralibus, vel Collegiatis, debeat semper assistere aliquis Sacerdos, vel Clericus cum superpelliceo?

Resp. *Hoc maxime decere iuxta edictum Emi Vicarii pro Urbe: et Episcopus in hoc quam maxime incumbat.* S. Rit. C. 10 decembr. 1701. *In Cortonen.*

Nota. Licet in praecitato decreto nulla fiat mentio de stola, eadem semper adhiberi potest a Sacerdotibus, prout usitatur etiam Romae, solis Patriarchalibus Ecclesiis exceptis, nec non eo tempore, quo Summus Pontifex Hostiam sacram veneraturus ad aliquam Ecclesiam accedat. *Gardellini ad instruct. Clement.*

963. Dum vesperae solemniter celebrantur cum expositione SS. Sacramenti, et concione ad populum, ac postea, recitatis precibus, fit SS. Sacramenti reservatio solemnis, quinam color in paramentis sacris est adhibendus pro tali reservatione?

Resp. *Quatenus Sacerdos, qui vesperas paratas celebravit, non recedat ab Altari et assistat tum concioni, tum precibus, reservationem faciendam esse cum paramentis co-*

loris respondentis Officio diei, et velo humerali albi coloris, si illud adhibeatur. Quatenus vero recedat, et reservatio habeatur tamquam functio omnino separata, et distincta ab Officio vesperarum, utendum esse paramentis coloris albi. Et ita declaravit, et servari mandavit S. Rit. C. 20 septembr. 1806. *Matriten.* seu *Toletana.*

964. Quaeres: quonam habitu utendum a Regularibus sive Monachis, sive Mendicantibus sermonem habentibus in Oratione quadraginta horarum?

Resp. Sicut in ipsa Urbe (Romae) prout notat saepe laudatus Gardellini, lex superpellicei non obligat Regulares concionantes in expositionibus, quae fiunt extra occasionem XL horarum, qui in proprio sui Ordinis habitu eo funguntur munere, sic propterea extra Urbem ita poterunt etiam in Oratione XL horarum. Sacerdotes vero ex Clericis Regularibus in concionibus habendis uti debent superpelliceo, vel etiam stola, prout in more est penes Clerum saecularem.

965. Clemens VIII, ut referunt Cavalieri tom. 4. cap. 7. decr. 50. Lucius Ferraris verbo *Eucharistia* num. 67 et Tetamus in appendice cap. 3. art. 7. sect. 3., per suam Constitutionem anni 1592 *singulis Poenitentibus, et confessis, ac sacra Communione refectis, qui in qualibet Urbis Ecclesia, ubi oratio XL horarum continua, et non interrupta fuerit indicta, devote orando, unam saltem horam perseveraverint, Indulgentiam plenariam concedit: iis vero, qui inibi pias ad Deum preces effuderint breviori tempore septem annos, et totidem quadragenas de iniunctis, aut alias debitis poenitentiis relaxat.*

966. Paulum V ampliasse praefatam plenariam Indulgentiam pro tempore, per quod orare cuilibet fuerit commodum, litteris in forma Brevis 10 maii 1606 testantur Auctores supralaudati.

967. Verumtamen, quia quandoque ita comparatae sunt circumstantiae, ac tales, tantique momenti possunt concurrere causae, ut opportunum maxime, et fortasse etiam necessarium videatur Praesulibus de nocte Sacramentum recondi, ac perennem orationem intercipi, ne propterea populus spirituali illo bono privetur, Benedictus XIV in sua Constitutione *Accepimus* tom. 2. Bullarii n. 5. eamdem Indulgentiam Plenariam lucrari posse declaravit, etiamsi noctu interrumpatur oratio: prout constat per Epistolam datam ad Episcopum Wormatiensem. En verba: *Porro id necessario requiritur ad consequendas eas Indulgentias, quae fidelibus conferuntur, qui dum precantur in illis Ecclesiis, ubi divina Mysteria spa-*

tio continuo XL *horarum exposita publice sunt. Etenim id omnino praecipitur in hac Indulgentia concedenda, quae a* XL *horis continuis nomen accepit. Equidem veteris disciplinae severitate remissa, nunc eadem Indulgentia concedi intelligitur, etiamsi Sacramentum Eucharistiae per horas* XL *continuas gravissimis de causis minime prostet, modo tamen horis diurnis semper expositum relinquatur.*

Item Benedictus XIV ad fovendam, et excitandam Fidelium religionem, eosque avocandos a perniciosis bacchanalium ludis, datis literis ad Episcopos Status Ecclesiastici die 1 ianuarii 1748, relatis in eius Bullar. tom. 2. pag. 375., Indulgentiam plenariam indulsit visitantibus alteram ex iis Ecclesiis, in quibus ea de causa Sacra Eucharistia per triduum publico cultui exponatur in septuagesimae, aut sexagesimae, aut quinquagesimae hebdomadibus, aut tribus omnibus.

968. Clemens vero XIII eius successor praefatam Indulgentiam pro Statu Ecclesiastico concessam extendit ad omnes catholici orbis Ecclesias, et lucrari insuper posse indulsit nedum in triduo septuagesimae, sexagesimae, et quinquagesimae, verum etiam in sola feria quinta infra hebdomadam sexagesimae. Iuvat hic integrum referre decretum datum per organum s. Congregationis Indulgentiarum sub 23 iulii 1765.

Cum alias Benedictus XIV ad frequentes Episcoporum Pontificiae ditionis quaerelas, gravioribus abusibus, qui bacchanalium tempore irrepserunt, opportuno remedio opportune occurrere concupierit, perspexeritque in aliquibus Ecclesiis salutari consilio institutam esse SS. Eucharistiae Sacramenti expositionem per tres dies, sive in hebdomada septuagesimae, sive in altera sexagesimae, aut quinquagesimae ante diem Cinerum, ad hoc praecipue, ne fideles tempore tentationis a via Domini recederent, et in praedictis Ecclesiis pie orantes divina impetrarent auxilia, universis utriusque sexus Christifidelibus confessis, et sacra Communione refectis, qui easdem Ecclesias, in quibus Venerabilis expositio sive in uno, sive in singulis ex praedictis triduis devote visitarent, Indulgentiam plenariam misericorditer concessit, et indulsit.

Hinc SS. D. N. Clemens Papa XIII sedulo recogitans praefatam Augustissimi Sacramenti expositionem plurimum hisce diebus profuisse, ac deinceps fore profuturam, eamdem plenariam Indulgentiam ad quascumque catholici orbis Ecclesias ubicumque locorum existentes, ubi Venerabilis expositio sive in hebdomada septuagesimae, sive sexa-

gesimae, vel quinquagesimae, sive in singulis praedictis hebdomadis, per tres dies, atque etiamsi tantummodo in feria 5. infra hebdomadam sexagesimae peragatur, ex uberi Pontificiae charitatis fonte benignissime extendit.

969. Ne quid praeteream: Pius VII speciali rescripto dato 12 maii 1807, benigne concessit, ut Indulgentia plenaria primum a Clemente VIII in exordio institutionis elargita, postmodum vero ab eius successoribus confirmata, et ampliata, applicari in posterum possit per modum suffragii animabus Fidelium Defunctorum: ac insuper declaravit omnia Altaria illius Ecclesiae, in qua per turnum fit expositio, privilegiata, durante tempore expositionis.

Alia videnda sub num. 115. 255. 256. 259.

CAPUT XII. — QUAESTIO INDEFINITA PRO RATIONE COROLLARII AD FIDELIUM COMMUNIONEM INTRA MISSAM

Nullum intercedere videtur discrimen, quoad spiritualem profectum inter Communionem intra Missam cum Particulis in eadem Missa consecratis, et illam quae fit intra quidem Missam, sed cum Particulis praeconsecratis, seu quae in Tabernaculo asservantur.

970. *Nota.* Cum Sacerdotis sub utraque specie Communio ad integritatem, perfectionemque Sacrificii pertineat, de Fidelium Communione hoc adserere minime licet; istorum enim Communio neque Sacrificium continuat, neque perficit, sed neque ad instar Sacerdotum vim, vel rationem Sacrificii habet, alioquin damnasset Ecclesia Missam, in qua nullus praeter Sacerdotem celebrantem communicat, vel instituisset saltem pro antiquae observantia disciplinae, utpote in casu, aliquo modo essentiali, vel sine qua aliquid ipsi deesset ad suam integritatem, et perfectionem.

Hinc apposite ait Delugo lib. 4. *de Mis.* cap. 2. quaest. 5. *Una Consecratio nonnisi per unam sumptionem compleri debet in ratione Sacrificii.* Quod si nonnisi per unam sumptionem completur Sacrificium, iam nullum in eo habere potest locum Fidelium Communio: iam opus est completum, nec amplius restat addendi ratio. Nihil tamen obstat, quin in ratione Sacramenti indefinite multiplicentur Eucharisticae sumptiones. Hisce positis dico:

971. Fideles, qui in Sacro audiendo Hostiam propitiationis aeterno Patri cum Sacerdote celebrante in quantum possunt obtulerunt, utcumque ad sacram Synaxim accedant, cum non in Sacrificii ratione percipiant, sed Sacramenti a solo Sacer-

dote consecrati, quod unum, idemque se habet illud, quod in praesenti Missa conficitur, quodque in Tabernaculo asservatur, unum, idemque se habere debet spirituale emolumentum in utraque perceptione. In Sacramenti quoque ratione quoad ipsos Fideles illud intelligendum sacri Canonis: *Ut quotquot ex hac Altaris participatione Sacrosanctum Filii tui Corpus, et Sanguinem sumpserimus* etc., nam , ut docet Clericatus *de Sacr.Mis.* dec. 36. num. 22. et alii Theologi communiter, *sumunt communicantes de Altari Sacramentum Eucharistiae, non Sacrificium.*

972. Illa itaque quorumdam petitio, ad Sacrificii participationem admitti, quod ipsi quoque obtulerunt, aut non stat, (licet enim dicantur suo modo idem Sacrificium offerre, non tamen dici possunt sacrificantes sicut Sacerdos) vel non stricte, sed lato modo est sumenda, ex quo nempe Sacramentum ab ipsis perceptum e Sacrificio aliquo modo emanet, cum nulla fieri possit consecratio, nisi in ordine ad Sacrificium: *in* qua tamen *sola consecratione Sacramentum perficitur*, prout innuit Catechismus Romanus *de Euch.* sect. 71., quin Sacrificio vel leviter se immiscere, ut totam assequi valeant integritatem, indigeant. Ideoque ex eodem fonte per consecrationem emanando istud Divinum Sacramentum in utraque Communionis specie, quin pro minimo suam operam praestiterint Fideles, sed neque praestare possint, quis neget ipsorum alterutro eosdem salutares effectus?

973. Nec aliud in proprio sensu dicere possent contrariae opinionis assertores, nisi in Eucharistiae Sacramento sumpsisse Dei Filium, quem in Missae Sacrificio Deo Patri (prout ipsis convenit) obtulerunt: sed hoc idem asserere aequanimiter possent qui Sacram sumpserunt intra Missam Communionem cum Particulis praeconsecratis.

974. Non abs re igitur, inter Summos Pontifices licet sapientissimus, Benedictus XIV, nullam disparitatem inter utramque Communionem dignoscere potuit, novamque distinctionem dixit hoc inventum nullo fundamento suffultum. *Synopsis de Sacros. Missae Sacrif. exerc.* XCII.

975. Obiiciunt contrariae sententiae Patroni: dedisse Christum Iesum Apostolis seipsum sub panis, et vini speciebus in actu Sacrificii?

Cui respondetur: non potuisse Redemptorem nostrum se dare suis Discipulis praeconsecratum, cum tantum Sacramentum nondum instituisset; *nec omnem Christi actionem*, ut ait Em. Card. Bona *Rerum liturgic.* lib.1. c. 23., *praeceptum*

continere, alioquin celebranda a nobis forent haec Mysteria post coenam, quia coena peracta ab ipso sunt instituta.

976. Opponunt etiam adversarii postcommunionem feriae sextae post Dominicam Passionis, prout sequitur: *Sumpti Sacrificii, Domine, perpetua nos tuitio non derelinquat* etc., velut etiam in eadem sexta feria postcommunionem in festo septem Dolorum B. M. V. incipientem: *Sacrificia, quae sumpsimus, Domine Iesu Christe, Transfixionem*, etc. (et sunt fortasse unicae in Missali Romano, quae de sumpto a Christi Fidelibus Sacrificio mentionem faciant) ut probent, posse etiam Fideles Eucharistico cibo refocillari in ratione Sacrificii, sicque in coelestibus stipendiis praecellere.

Sed respondetur: non censeri praedictarum orationum sensum prout verba ad litteram exprimere videntur, nempe: *Il Sacrificio, di cui ci siamo cibati*, sed aliud potius subintelligendum esse, nempe *in ratione Sacramenti*, veluti si diceretur: *Sacrificium, quo in ratione Sacramenti pasti sumus:* non enim instituitur Sacrificium ut sit in cibum Fidelibus, sed prò ratione oblationis, ut subdit praecitatus Catechismus Romanus *sect.* 71. *de Euch. Omnis vero Sacrificii vis in eo est, ut offeratur.* Dicitur proinde ly *Omnis* ad exclusionem aliarum quarumcumque causarum. Quod ex contextu aliarum Missalis orationum, quae *Postcommuniones* vocantur res uberius infertur, velut etiam ex praecitato textu: *Sumunt communicantes de Altari Sacramentum, non Sacrificium.*

977. Ex quo etiam inter Missalis Rubricas comprehensus reperiatur communicandi modus cum Particulis in praesenti Missa consecratis, quin ulla fiat mentio de cum praeconsecratis, non sequitur ullo unquam iure remanere hanc postremam Communionem, ut volunt adversarii, inferioris meriti, cum in praesenti casu abesse cogatur, seu nullum inveniat ibi locum illud effatum: *inclusio unius fit exclusio alterius*, eo plane modo, quo minoris facienda non foret illa, si per hypothesim de sola Communione cum Particulis praeconsecratis mentionem facerent praecitatae Missalis Rubricae.

978. Nec aliud ex actuali ipsorum obiectu inferendum esset, nisi licitam esse,et commendatam Communionem cum Particulis in praesenti Missa consecratis, quod nemo unquam inficiatus est, sed neque negare poterit, et aequaliter licitam, commendatamque etiam aliam ex huc usque dictis patet. Secus non permisisse Ecclesiam Missalis Rubricarum solam interpretem indiscriminatim, et ulla absque exceptione, vel distinctione Communionem intra Missam cum Particulis praeconsecratis, ut factitatur in ea communiter, imo obstitisse.

979. E quibus haec sequentia deduci videntur: 1. Par animae aemolumentum conferre Communionem intra Missam cum articulis in eadem Missa consecratis, cum illa, quae fit etiam intra Missam sed cum Particulis praeconsecratis. Illumque uberiorem fructum, qui, prout innuit Conc. Tridentinum *sess.* 21. *cap.* 6., e Missae Sacrificio cum communione Sacramentali percipitur, potius quam cum sola spirituali, eumdem adipisci, si fiat cum Particulis, quae in Tabernaculo asservantur, ut satis demonstrat P. Merati *part.* 2. *tit.* 10. *num.* 3. post Ioan. Sanchez.

2. In utroque casu fiat Communio, pares sortiri salutares effectus orationes, quae *Postcommuniones* vocantur, aliasque preces, vel gratiarum actiones, quae eidem subsequuntur Communioni, cum hae, ut supra ostensum est, ad perceptum Sacramentum referantur, quod in quovis modó idem est.

3. Sine sufficienti ratione edoceri: teneri Sacerdotes ad Particularum consecrationem toties quoties sciant aliquem, vel aliquos in Missa communicandos, huic obstando doctrinae, praeter huc usque dicta, inveterata, vigensque omnium Ecclesiarum praxis; nec aliquis noscatur in rebus liturgicis vel leviter versatus, qui talem obligationem ob oculos ponat.

4. Periculum adiiciatur, ne sub pietatis, vel devotionis specie oriantur inter Fideles scandala, ex quo eorum nonnulli fere continuo Communionem, prout in casu, acciperent cum Particulis in eadem, cui assistunt, Missa consecratis, et reliqui communicandorum, quorum non est determinatus numerus, cum praeconsecratis, quod evenire facilius poterit in Regularium Ecclesiis: vel sensim retrahantur fideles a Sacramentorum frequentia, ex quo facultas multoties non subsit sacram sumendi Communionem cum Particulis in eadem, cui assistitur, Missa consecratis. Praeter periculum fovendi librum *del pubblico diritto alla Communione Eucaristica nel sacrificio della Messa d' Anastasio Leofilo* a S. Rit. C. proscriptum, qui, notam censoriam inurendo hodiernae Ecclesiae disciplinae, fatebatur, esto non illicitam, saltem imperfectam Missam, in qua Sacerdos tantum communicat; reos nec non reatus mortalis ipsosmet Sacerdotes, qui Communionem intra Missam petentibus denegabant.

Addatur denique, eiusdem fere mentis Anastasii Leophili extitisse notae memoriae Rmum D. Ricci quondam Episcopum Pistorii, eiusque fautorem Tamburinum, quorum postremus in suis lectionibus Theologicis anno 1783 impressis, quamvis privatas non reprobet Missas, in quibus solus Sacerdos communicat, fatetur tamen, teneri Fideles non secus Communionem,

nisi tempore Sacrificii, postulare; teneri nec non sub mortali Sacerdotes eorum assentiri postulatis, ut nihil desit integritatis Missae Sacrificio.

SCHOLION I.

980. Superest hic solvenda obiectio deprompta ab adversariis ex Encyclica Bened. XIV ad Episcopos Italiae sub die 13 novembris 1742, prout sequitur:

§. 3. *Et quamvis de eodem Sacrificio participent, praeter eos, quibus a Sacerdote celebrante tribuitur in ipsa Missa portio victimae a se oblatae, ii etiam, quibus Sacerdos Eucharistiam reservari solitam ministrat, non tamen idcirco aut vetuit unquam Ecclesia, aut modo vetat satisfieri ab ipso Sacerdote pietati, et iustae eorum petitioni, qui Missae adstantes ad consortium admitti postulant eiusdem Sacrificii, quod et ipsi pariter offerunt ea ratione, quae ipsos decere potest: imo probat, atque cupit, ne id omittatur, eosque Sacerdotes increparet, quorum culpa, aut negligentia fidelibus participatio illa denegaretur.*

Ast nihil facessere negotii contra nostram opinionem praecitatam Encyclicam ex eo deducitur, quod praefatus Pontifex sibi semper similis, et constans, quod alias protulit, et publici fecit iuris in tract. *de Sacrif. Miss.* nullum nempe intercedere discrimen inter communionem intra Missam cum Particulis sive in eadem Missa, sive in alia consecratis, in praesenti Encyclica confirmare non destitit, dicendo, *de eodem Sacrificio participare sive eos, quibus a Sacerdote tribuitur in ipsa Missa portio victimae a se oblatae, sive eos, quibus Sacerdos Eucharistiam reservari solitam ministrat*, propterea que inter utramque Communionem nullum adesse discrimen, et aequale emanare spirituale emolumentum, cum pariformiter idem Sacrificium offerant, et de eodem participent in utroque casu fideles: ac proinde cumulatim satisfieri a Sacerdote celebrante piis Pontificis seu Ecclesiae monitis, nec non fidelium Sacrificio interessentium voluntati, Communionis beneficium ipsis impertiendo cum Particulis in tabernaculo manentibus, ac si ministraret cum in eadem Missa consecratis.

Nota. In dubio genuini sensus praecitatae Encyclicae praesumptio stare debet contra adversarios, secus dicendum foret, voluisse Benedictum XIV in ipsa negare, quod alibi *de Sacrif. Miss.* affirmavit, quod suspicari nequidem licet.

SCHOLION II.

981. Quoad ultimo obiectum, fideles nempe communicantes cum Particulis praeconsecratis, licet participent de Sacrificio iuxta assertum in allata Benedictina Encyclica, non ta-

men participare de victima oblata? Respondetur: Lusitare obiectores in terminis, quasi non idem significet Sacrificium, ac oblatio victimae, seu victima oblata. Et revera, ex eadem Encyclica ipsimet Missae adstantes, quicumqne illi sint, postulantes sibi tribui portionem victimae a se oblatae, non secus calamo Benedicti XIV se exprimunt, nisi admitti ad consortium, et participationem eiusdem Sacrificii, quod et ipsi offerunt ea ratione, quae ipsos decere potest; ergo idem sonat Sacrificium, ac victima oblata; ergo communicantes intra Missam cum Particulis praeconsecratis, et participando de eodem Sacrificio, participant etiam de victima oblata. Quod idem est ac dicere, nullum intercedere videri discrimen quoad spiritualem profectum inter Communionem intra Missam cum Particulis in eadem Missa consecratis, et illam, quae fit intra quidem Missam, sed cum Particulis praeconsecratis.

CONSECTARIUM

982. Ex praedictis aliam emanare videtur consequentiam: licitam nempe censeri, iuxta sententiam Merati, Benedicti XIV, Tetami, et Iosephi Dini Apostolicarum Caeremoniarum Magistri, in Missa de Requiem cum paramentis nigris celebrata fidelium Communionem cum Particulis, quae in tabernaculo asservantur; cum enim ad hanc dirimendam thesim nil amplius obstare videatur, nisi superius allatum (sub num. 223) decretum de die 2 sept. 1741 (licet a praefato Ferdinando Tetamo asseratur apocriphum), quod tamen permittit hanc Communionem in Missis defunctorum cum Particulis in eadem Missa consecratis, eo quod in casu participent fideles communicantes de eodem Sacrificio, quod ipsimet offerunt; et, ut enunciatur in praelaudata Benedictina Encyclica, fideles communicantes intra Missam cum Particulis praeconsecratis aeque participant de eodem Sacrificio, quod ipsimet offerunt; ergo et ipsis communis esse debet communicandi facultas intra Missam defunctorum: si enim in illis permissum est, quia participant, istis quoque participantibus pari iure concedendum erit. Ergo nihil esse amplius videtur, quod vetet fidelium Communionem in Missis de Requiem cum Particulis, quae in tabernaculo asservantur. In dubio vero standum satius videtur pro affirmativa, ne in opposito (ut saepe contingit) diutius, quam par est, protrahatur fidelium Communio, et sic vel retardentur iidem fideles a domesticis curis, vel retrahantur a tanti frequentia Sacramenti. Adde: ne diebus, in quibus non prohibetur Missae privatae defunctorum, adstantes Missae Sacrificio, et communicare volentes, priventur ut plurimum illo uberiori fructu Sacrificii, de quo ait Conc. Trident. sess. 21. cap. 6.

INDEX
RERUM NOTABILIUM
SEU
SUMMA TOTIUS FERE OPUSCULI

CAPUT I. — DE MISSIS VIVORUM [1]).

1. Addi potest in Missa nomen s. Ioseph, sponsi B. M. V. in Collecta *A cunctis*.
2. Ad *Communicantes* Pentecostes dici debet *innumeris linguis*, minime vero *in igneis linguis*.
3. Oratio praecepta a Superiore, si sit pro re gravi, dicenda erit in dup. primae classis sub unica conclusione, et in dup. secundae classis sub sua conclusione: si non sit pro re gravi omittenda in duplici primae classis, in duplici vero secundae classis, arbitrio Sacerdotis.
4. Oratio praecepta a Superiore non tenet locum orationis ad libitum, sed in isto casu dici debet quarto loco.
5. In Dominicis Adventus, et Quadragesimae omittenda non est in Missa Collecta a Superioribus imperata, exceptis Dominica Palmarum, et Dominica 4 Adventus in huius occursu cum Vigilia Nativitatis Domini.
6. Aspersio aquae benedictae in Dominicis diebus fieri debet per Celebrantem.
7. In aspersione aquae benedictae a Sacerdote alba, et stola induto, stola aptanda est in modum Crucis.
8. Si transferantur ad tempus paschale festa Sanctorum Martyrum, in quorum Missa introitus sit *Gaudeamus in Domino*, debet idem Introitus dici tempore paschali, si ultra Introitum habeat etiam proprium Evangelium, vel Epistolam.
9. Si festum alicuius s. Martyris habens in Missa proprium Evangelium transferatur ad tempus paschale, dici debet idem proprium Evangelium.
10. Occurrente infra octavam Ascensionis Domini festo, quod habet propriam Praefationem, et non admittit commemorationem praedictae octavae, dicendum tamen est *Communicantes* de Ascensione.
11. Sacerdos in Missa ponere non debet manus intra corporalia, dum dicit orationem *Supplices te rogamus*, et orationes ante Communionem.
12. Purificatorium benedici non debet.
13. In Missis privatis permitti non potest Ministro, si fuerit Sacerdos, vel Diaconus vel Subdiaconus ut praeparet Calicem, et ipsum extergat purificatorio.

[1]) Numeri marginales, qui sequuntur, respondent praecedentibus.

14. Non possunt Regulares impedire, quominus Episcopus in Litaniis maioribus, vel minoribus possit per suos Canonicos facere cantare Missas in Ecclesiis Regularium.

15. Regulares non tenentur ad plures Missas cantandas, quia non sunt Ecclesiae Collegiatae.

16. In die s. Marci, et tribus diebus Rogationum, Regulares tenentur in dup. primae, et secundae classis ad duas Missas: in reliquis *Dilata*, seu differtur respondere.

17. Sacerdotes sive Saeculares, sive Regulares debent semper quoad colorem se uniformare Ecclesiae, in qua celebrant, et possunt apponere commemorationem octavae, quae in illa Ecclesia occurrit.

18. Sacerdotes celebrantes in alienis Ecclesiis, in quibus peragitur festum cum solemnitate, et concursu populi, debent se conformare ritui, et colori earumdem Ecclesiarum: in aliis vero diebus possunt. Quando in Ecclesia, in qua celebrant, non prohibentur Missae privatae Defunctorum, tunc non tenentur se uniformare neque quoad colorem.

19. Sacerdotes recitantes Officium de Beato, et celebrantes in Ecclesia, ubi fit de Sancto, non possunt ibi dicere Missam Officii, seu de Beato. Quod intelligendum est quoad Regulares etiam in Oratoriis publicis officiatis ab ipsismet Regularibus extra Conventum.

20. Quoad tres Missas ab Episcopo ordinatis impositas, sola Missae qualitas, non Sacrificii applicatio praecipitur.

21. Abbates etiam Mitrati in Missis privatis quoad indumenta etc. a simplici Sacerdote non discrepent.

22. Praelati Regulares non possunt ordinare collectam dicendam in Missa a Subditis suis sine licentia Episcopi.

23. Sacerdos Capellanus Monialium Capucinarum potest celebrare Missam iuxta ritum Officii earumdem, et uti Missali Capucinorum: quod etiam possunt Sacerdotes confluentes ad earumdem Monialium Ecclesias. An isti vero possint etiam ut praedictus Capellanus ibi dicere Missas de Beatis ipsarum Monasteriis concessas, videtur probabilius.

24. Non est de necessitate in sculptis Sanctorum imaginibus in Altare dispositis sacras includere Reliquias ad hoc ut incensata Cruce valeant illae a Celebrante thurificari.

25. Cum inter Rubricas Missalis videtur aliqua discrepantia, pari forma sequendae sunt tum Rubricae generales, tum particulares.

26. Sacerdos celebrans Missam Conventualem non potest illam prosequi eo tempore, quo a Choro cantatur symbolum.

27. Missa, quae apud Capucinos vocatur Conventualis, talis est, licet non cantetur a Choro, sed submisse celebretur, et in ea omittenda est in duplicibus secundae classis commemoratio simplicis.

28. Regulares celebraturi tegere debent caput cum amictu.

29. Deficiente Subdiacono pro Missa solemni potest per Su-

48. In Missa Conventuali cum uno, vel duobus Acolythis superpelliceo indutis cantanda, iidem Acolythi debent in principio Missae stare genuflexi in plano. Celebrans vero dum dicit *Vobis fratres, et vos fratres*, non debet caput vertere ad Acolythos.

49. Parva Crux cum imagine Crucifixi posita super Tabernaculum non est sufficiens in Missa, sed poni debet alia Crux in medio candelabrorum.

50. In Altari, in quo adest magna Statua Crucifixi, est sufficiens in Missa, et non indiget alia Cruce.

51. Res divina fieri non potest in Altari, in quo exigua Crux solum minori Tabulae defixa fidelibus exhibetur.

52. Absque dispensatione Apostolica celebrare nequit, qui impeditus in uno brachio non potest cum utraque manu elevare Sanctissimum in Missa, nisi usque ad os.

53. Sacerdos qui apoplexi correptus nequit signum Crucis aliasque functiones brachio dextero explere, abstinere debet a celebratione Missae.

54. Non licet habitare diu, noctuque, et etiam dormire in domibus aedificatis super Capellis,in quibus quotidie celebratur.

55. Missa ad Ordines in Temporibus celebranda est de feria; extra tempora de festo currenti.

56. Sacerdos Missam celebraturus transiens ante Altare, ubi fit populi Communio, non debet permanere genuflexus, donec, et quousque terminetur Communio.

57. Non possunt Moniales in Dominica Palmarum, et feria 6 Parasceve in Missis solemnibus in earum Ecclesiis celebratis cantare in Passione partem ad Turbam spectantem.

58. Calices, aliaque Vasa sacra, antequam tradantur artifici reficiendi, vel fundendi, non debent a Sacerdote execrari.

59. Quoties tertia oratio est ad libitum, potest esse vel de Sancto, vel de SS. Sacramento, vel de Patrono, de Passione, de Cruce, etc.

60. In Sabbato Sancto benedictio fontis, et Missae cantus sunt actiones divisibiles, ita ut benedictio fontis ab uno, Missa vero ab alio celebrari licite possit.

61. In feria 5. in Coena Domini celebrari potest in Ecclesia una Missa privata propter infirmos, arbitrio Episcopi.

62. Si festum ss. XL Martyrum inciderit in feriam 5. post Cineres, tunc mutari debet Secreta huiusmodi feriae, et sumi illa feriae sextae sequentis. Si vero dictum festum inciderit in feria 3. post Dominicam I. Quadragesimae, pro commemoratione feriae sumatur de feria 4.

63. Si occurrat 26 maii Dominica I. post Pentecostem, secreta s. Eleutherii P. M. sumatur ex Missa *Sacerdotes*.

64. Quando festum s. Apollinaris Ep. M. occurrit in Sabbato, pro commemoratione s. Liborii sumatur oratio *Exaudi quaesumus*, ut in Missa *Sacerdotes*.

65. Si festum s. Martini Ep. venerit in Dom.XXII. post Pent.

mutetur secreta Dominicae, et sumatur illa Dominicae XXIII.

66. In elevatione SS. Sacramenti in Missis solemnibus cani potest *Tantum ergo*, vel aliqua antiphona tanti Sacramenti propria.

67. Quando non prohibentur Missae privatae Defunctorum, potest in penultimo loco dici collecta pro particulari defuncto, dummodo non omittatur aliqua ex assignatis pro tempore, puta *A cunctis*.

68. In Missis ferialibus, quae contingunt a Dominica Passionis ad feriam 5. in Coena Domini, quando facienda obvenit commemoratio de simplice, omittenda est tertia oratio, quae pro secunda assignatur.

69. Regulares in festis principalibus suorum Ordinum possunt addere Symbolum in Missa celebranda extra proprias sui Ordinis Ecclesias.

70. Regularis recitans Officium de Sancto, cuius Reliquia insignis veneratur in propria Ecclesia, si celebret tali die festi extra propriam Ecclesiam omittere debet *Credo*.

71. In vestitione, aut professione Sanctimonialium die Dominica, vel festo duplici, non licet cantare Missam solemnem de Spiritu Sancto.

72. Missae cantari solitae in tribus diebus Rogationum occasione Processionis generalis in Ecclesiis Regularium, cantari debent ab ipsismet Regularibus minime vero a Canonicis insignis Collegiatae.

73. Commendatur usus abstergendi guttas vini intra calicem adhaerentes.

74. Sacerdos celebraturus ad Altare, quod habet plures gradus, non debet necessario descendere usque ad planitiem, sed satis est ut a pradella descendat.

75. Sacerdos Missam celebraturus in Altari sito in medio presbyterii, ut qui audire Sacrum volunt Chorum adire debeant, nec ab adstantibus in parte inferiori videri possit Sacerdos, debet Chorum versus dicere *Dominus vobiscum*.

76. In nocte Nativitatis Domini post Missam solemnem non licet successive celebrare Missas privatas, nec SS. Eucharistiam fidelibus exhibere.

77. Tam in principio Missae, quam post Communionem, Calix debet esse totus velatus in parte anteriori.

78. Potest Episcopus adstringere Canonicos Cathedralis, ut in feriis Quadragesimae canere faciant Missam conventualem cum Diacono, et Subdiacono.

79. In Ecclesiis ubi titulus est Ecclesiae, vel concursus populi ad celebrandum festum, quod transferri debet, potest cantari Missa de tali festo, alia cantata de die, si adsit obligatio.

80. Missa solemnis in feria 4. Cinerum celebrari debet per illumet, qui distribuit Cineres.

81. Patena in extremitate, seu ora patenae congruentius osculanda est, cum dicitur *Da propitius pacem in diebus nostris*.

82. In Missa solemni nequeunt pro Celebrante duo Missalia adhiberi.

83. Non datur facultas Presbyteris Graecis Hydruntinae Dioecesis uti in Sacrificio Missae pane fermentato cocto ad modum hostiarum, quibus Latini utuntur.

84. In feria 6. in parasceve immittenda est Particula in Calice sine consuetis Crucis signis.

85. Nequit prohiberi in diebus festivis Missae celebratio in Oratoriis ante Missam Conventualem in Parochia.

86. Quando transfertur festum Annuntiationis B. M. V. ad verba Symboli *Et incarnatus est* genuflectendum est a Sacerdote, et Ministris in die translationis.

87. Quando festum s. Ioseph cadit in feria 2. 3. vel 4. maioris hebdomadae, nequit cantari, sed neque dici Missa privata de eodem Sancto.

88. An Sacerdotes confluentes ad Ecclesias Regularium utriusque sexus celebrare possint Missas proprias illorum Ordinum, attendendum est privilegium, prout sonat: quod si concedatur soli Ordini, non extenditur ad exteros.

89. Missae privatae celebratio in Sabbato Sancto non solum prohibetur, quando occurrit eodem die festum Annuntiationis B. M. V., sed singulis annis iuxta priscam Ecclesiae praxim, et doctrinam.

90. Celebrari non potest in Sabbato Sancto Missa privata loco solemnis, ubi deest numerus Cantorum, ut in eisdem Ecclesiis fiat benedictio tam luminis, et cerei, quam aquae. Permittitur tamen a Benedicto XIII in suo parvo Caeremoniali [1]).

91. In Natali Domini in tribus Missis post sumptionem Sanguinis eundo, et redeundo ad medium Altaris, nulla est facienda genuflexio, licet species vini (ut creditur) non sint desiccatae in Calice.

92. In aspersione aquae Dominicis diebus, in Ecclesiis Collegiatis singuli Canonici aspergendi sunt singillatim: reliqui de Clero, si sint in parvo numero, etiam singillatim, secus omnes unico ictu quasi in girum: populus demum ter, nempe in medio, a dextris, et a sinistris. (Idem respective servandum in minoribus Ecclesiis, velut etiam in Ecclesiis Regularium.)

93. Canonicus hebdomadarius post aspersionem aquae benedictae die Dominica, potest in medio Altaris ante gradus se spoliare Pluviali et induere Casulam, dummodo Casulam non accipiat de Altari.

94. In die s. Laurentii titularis Ecclesiae Cathedralis non est recitandum Symbolum in Ecclesiis Regularium.

95. Non licet in Ecclesiis, in quibus non asservatur SS. Sacramentum, celebrare Missam feria 5. in Coena Domini; et in Sepulchro idem Augustissimum Sacramentum asservare.

96. De Episcopo translato celebranda est Missa in Ecclesia,

[1]) Vide subiectam adnotationem. (P. M.)

cui fuit ultimo loco praepositus, recurrente die, quo Papa eum tali Ecclesiae praefecit.

97. Occurrente die anniversaria Consecrationis Episcopi in dup. min. facienda est in Missis privatis commemoratio de eo post alias commemorationes de praecepto, et post Nonam celebranda est Missa solemnis cum *Gloria* et *Credo*.

98. Servanda est etiam a PP. Capucinis Rubrica ad instar PP. Conventualium recitandi Symbolum in festis translationum S. P. Francisci, et s. Bonaventurae Ecclesiae Doctoris.

99. Sacerdos pergens ad celebrandum, et Calicem manu sinistra portans potest ad ianuam Sacristiae, si commode queat, accipere aquam benedictam, eaque se signare.

100. In Missa Conventuali sine cantu, sed lecta a Communitate omitti debet in duplici secundae classis commemoratio Sancti simplicis occurrentis.

101. In Missa quocumque modo cantata de festo duplici secundae classis omittitur commemoratio simplicis, quae iuxta Rubricam fit in Missis privatis tantum.

102. In publicis Oratoriis cantari potest Missa de Titulari occurrente in Dominicis Adventus, et Quadragesimae privilegiatis, non autem in illis exceptis; et in Missa dicenda est commemoratio Dominicae, et diei octavae tantum occurrentis, cum Evangelio eiusdem Dominicae in fine.

103. Sacerdos celebrans in Missa solemni non debet dicere *Ite Missa est*, sed *Benedicamus Domino*, et *Requiescant in pace*, etiamsi dicantur a Diacono.

104. Celebrante Canonico Cathedralis, Diaconus itidem Canonicus porrigendo Cochlear, Patenam, et Calicem tenetur osculari manum Celebrantis, imo etiamsi ipse Celebrans non sit Canonicus, neque in aliqua alia ecclesiastica dignitate constitutus.

105. Sacerdos ad verba *Et incarnatus est*, genuflectere tantum debet unico genu.

106. Mandante Pio PP. VII, Praelati Episcopo inferiores quoad indumenta, et in reliquis a simplici Sacerdote in Missis privatis non differant.

107. Dum Sacerdos, celebraturus Missam privatam, est transiturus ante SS. Sacramentum in Altari expositum, si Calicem iam in antecessum ad Altare praeparavit, simul ac detegit Sacramentum debet caput aperire, et in fine, si calicem non deferat, caput non tegat, nisi postquam a conspectu Sacramenti se subtraxerit.

108. Sacerdos ad Altare pergens, vel ab illo recedens, si per Ecclesiam obviam ei fiat deferens Sacramentum vel in Ostensorio patens, vel latens in Pyxide, genuflectere debet utroque genu, donec transeat.

109. Missae privatae celebrandae non sunt in Altari maiori, dum in Choro cantantur Horae Canonicae: ita neque in Altaribus, quae sita sunt a conspectu Chori.

110. Si Dominica Septuagesima venerit ante festum vel ipsa

die Purificationis B.V., secreta de s. Maria erit *Tua Domine.*

111. *Die* 29 *iunii:* Commemoratio in Missa omnium Sanctorum Apostolorum: *ex decreto* 18 *maii* 1798.

Item: *Die* 26 *decembris:* Commemoratio in Missa omnium Sanctorum Martyrum, *ex eodem decreto.*

112. Presbytero ritu Graeco a Summo Pontifice ordinato, postquam ingressus fuerit Religionem Capucinorum, et Professionem emiserit, conceditur celebrare Missam ritu latino.

113. In Dominicis, in quibus fieri solet Processio SS. Sacramenti per diversas Parochias, ut in festo Corporis Christi, huiusmodi Missa dici debet de Dominica, aut festo occurrente, cum commemoratione SS. Sacramenti.

114. Non licet in Missae celebratione aliisque ecclesiasticis functionibus adhibere paramenta etiam pretiosa, quae non respondeant coloribus a rubrica praescriptis.

115. Sacerdos in accessu et recessu ad Altare, in quo asservatur SS. Sacramentum genuflectere debet in plano: quando est exposita S. Eucharistia super Altare debet genuflectere utroque genu in accessu, et recessu, intra Missam vero unico genu: dum lavat manus vel thurificationem recipit, potest manere vel in plano Presbyterii, vel in supremo gradu Altaris iuxta locorum consuetudinem dummodo terga non vertat Sacramento.

116. Colores in sacris vestibus debent esse distincti, et nequeunt adhiberi paramenta in quibus omnes colores conspiciuntur. Color flavus vel caeruleus nequit substitui colori albo.

117. In Quadragesima et feriis Missa de Sancto canenda est post Tertiam, de feria post Nonam.

118. Circa capitis inclinationes faciendas in Missa serventur rubricae.

119. Missa respondere debet officio. In oratione *A cunctis* ad litteram N. nominandus est Patronus Ecclesiae, in qua Missa celebratur.

120. Servanda est cuiusque loci consuetudo circa observantiam rubricae, quae praecipit Subdiacono recitandi *Sanctus* cum Celebrante.

121. Versiculus *Benedictus qui venit* cantari debet post elevationem Sacramenti.

122. Crux Altaris non tegi debet Dominica de Passione post Evangelium Missae conventualis, sed ante vesperas Sabbati praecedentis iuxta rubricas.

123. In Altaribus in quibus solet apponi altera imago alicuius Sancti vel stabiliter vel ratione festi eiusdem, potest de licentia Ordinarii in eorum festis lucrari indulgentia nisi Altaria illa sint consecrata ad modum Altaris fixi: nequit tamen in Missa recitari symbolum, neque eorum Missa legenda est si non sint descripti in Calendario Dioecesano.

124. Occurrente aliquo peculiari festo B. M. V. cum festo Dolorum vel Rosarii, Missa unica solemnis indulta celebranda est tamquam festiva.

*

[1]) Omnia in praesenti paragrapho contenta videantur potissime sub respectivis numeris.

146. Exceptio, et Indulgentia: videatur potissime sub praesenti num.

147. Qui in Sabbato infra aliquam octavam B. M. V. recitat officium de aliquo Sancto eo die occurrente, volens celebrare Missam votivam de B. V. dicere tenetur Missam festivam cum *Gloria*, sed sine *Credo*.

148. Qui in Sabbato recitat Officium de B. V.celebrare volens Missam de aliquo Sancto, dicenda est sine *Gloria*, et cum Praefatione communi.

149. In iis Ecclesiis, quae non tenentur ad Missam conventualem, facienda est in Missis votivis solemnibus sine gravi causa commemoratio festi occurrentis: in aliis vero nunquam omittenda est Missa conventualis.

150. Sacerdos habens Officium ritus duplicis, sed celebrans in Ecclesia, in qua fit de semiduplici, non potest ibi dicere Missam votivam.

CAPUT II. — DE MISSIS DEFUNCTORUM

151. Sacerdotes, qui recitant Officium de festo duplici, confluentes ad Ecclesias, ubi dicitur Officium de semiduplici, non possunt ibi dicere Missas privatas Defunctorum.

152. Sacerdotes, qui recitant Officium de semiduplici, celebrantes in aliqua Ecclesia Regularium, in qua recitatur Officium de duplici, non possunt ibi dicere Missam privatam de Requiem.

153. Quae prohibitio intelligitur etiam pro Ecclesiis Monialium.

154. Potest celebrari Missa de Requiem, quin Celebrans sciat determinate sitne pro Sacerdote, pro Laico etc. In quo casu prima oratio erit *Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes*, ut habetur in Missali.

155. Aliquando pro secunda oratione potest substitui oratio altera arbitrio Celebrantis.

156. Missae privatae de Requiem, etiam corpore praesente, et insepulto, dici non possunt diebus, quibus fit de Officio duplici, vel aliis a Rubrica exceptis.

157. Iis in locis, ubi una tantum celebratur Missa, diebus Dominicis, et festis per annum, dum aliquis mane sepelitur dici non potest Missa de Requiem etiam corpore praesente, sed cantari debet de die.

158. In Ecclesiis Parochialibus ruralibus, in quibus per annum plerumque unus tantum Sacerdos celebrat, et sine cantu, recurrente die vere anniversaria ab obitu, dici potest in festo duplici minori una Missa privata sine cantu.

159. Decretum de non celebrandis Missis privatis pro defunctis in festo duplici videatur potissime sub praesenti num.

160. Ex privata devotione Parochianorum cantari potest Missa de Requiem pro defuncto in festo duplici minori, dummodo sit dies vere anniversaria a die obitus. Quod decretum fidelibus cunctis, atque Ecclesiis non minus est favorabile.

solutio iuxta Lecticam collocatam in plano Ecclesiae, canendo *Libera me*, etc.

177. Prohibendum est ab Ordinario cantari Responsoria solemnia pro Defunctis sive cum pluviali coloris festi, vel nigro post Missam de festo.

178. Sacerdos in Missa de Requiem ponere debet manum sinistram super Altare, dum facit dextera signum Crucis ad Introitum.

179. In Missis de Requiem non est inclinandum caput in Canone, quando nominantur Sancti, de quibus fit officium, vel commemoratio.

180. In die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum Sacrificia possunt a Sacerdotibus celebrantibus applicari ad libitum, scilicet vel pro omnibus Fidelibus Defunctis, vel pro aliquibus tantum.

181. In Missis defunctorum permitti potest Organum, sed sono quodam moesto, et lugubri [1]).

182. Quoad altaria Privilegio Apostolico pro animabus Fidelium Defunctorum sive in perpetuum, sive ad tempus decorata, indulgetur, ut Missae, quae ibidem de festo occurrenti, in quo Missae defunctorum celebrari non possint,sive ex obligatione, sive ex sola fidelium devotione celebrabuntur, ipsis Defunctis suffragentur, ac Indulgentias per Privilegia huiusmodi concessas consequantur in omnibus, et per omnia, perinde ac si Missae Defunctorum ad formam eorumdem privilegiorum celebratae fuissent.

183. Piis precibus Serenissimae Ducissae Sabaudiae indulgetur, ut die 12 iunii celebrari possit Anniversarium cl. mem. Caroli Emmanuelis II., non obstante quod dicta die occurrat octava Corporis Christi.

184. Ad preces P. Ministri Minor. Observ. Prov. s. Thomae Conventus Taurinensis indulgetur, ut feria 2. cuiuslibet hebdomadae celebretur Missa solemnis de Requiem in diebus ritu dup. impeditis, dummodo non sit dies festivus de praecepto, vel altioris ritus (nempe dup. 1. aut 2. classis), non omissa Missa conventuali de Sancto, vel feria occurrente.

185. Ad preces Prioris, et Fratrum Ord. Carmelitarum Excalceatorum Dioecesis Kiovensis indulgetur, ut in feria secunda cuiuslibet hebdomadae etiam occurrente Officio duplici, non tamen primae, aut secundae classis, et festis de praecepto, celebrari possint Anniversaria etiam translata.

186. Cum in Constitutionibus Ord. s. Benedicti praecipiatur,ut quoties aliqua ex Religiosis decesserit, toties diebus 3. 7. 30. et anniversaria celebretur una Missa cantata de Requie, declaratur licere, exceptis duplicibus primae, et secundae classis, ac diebus festivis de praecepto.

187. Cum Lusitani gaudeant privilegio tres Missas celebran-

[1]) Vide subiectam adnotationem. (P. M)

mo apparatu, et pompa defertur SS. Eucharistiae Sacramentum infirmis, omnes Ecclesiae sive Saecularium, sive Regularium utriusque sexus pulsare debent campanas solemniter, dum praefatum SS. Sacramentum tam in eundo,quam in redeundo transit ante ianuas eorumdem Ecclesiarum, Conventus, etc.

205. Confessarii Asceteriorum Monialium, postquam easdem communicaverint, non possunt per cancellos cum sacra Pyxide in qua asservatur SS. Sacramentum, ipsis benedicere.

206. Sacerdotes in die Coenae Domini SS. Christi Corpus sumpturi, possunt deferre stolam vel ante pectus,vel a collo pendentem.

207. Monialibus s. Clarae Civitatis Tarentinae conceditur Missam privatam celebrare facere coram SS. Sacramento, ex pio legato, publice exposito, dummodo infra eam Missam communio non ministretur.

208. Ex speciali gratia laudatur consuetudo benedicendi fideles, qui Sacramentum infirmis delatum comitantur extra portam civitatis, quando viaticum per agros defertur.

209. Si desint particulae consecratae, possunt dividi ut satisfiat communicantium numero.

210. In benedictione impertienda communicatis extra Missam servanda est dispositio Ritualis.

211.Tempore Missae licet in xenodochiis ministrare viaticum.

212. Etiam cum paramentis nigris.

§. I. *De Communione in Missis vivorum cum Particulis praeconsecratis*

213. Licitum est in Missis vivorum post Communionem Celebrantis administrare Fidelibus Communionem cum Particulis existentibus in Tabernaculo.

214. Probatur e Gavanto, et Merati.

215. Probatur ex Cavalieri.

216. Confirmatur ex s. Alphonso M. de Ligorio.

217. Accedit praxis universalis Ecclesiae, nec obstat Rituale Romanum.

218. Fidelium Communio quoad fieri potest, ministretur immediate post Communionem Celebrantis, excepto casu, quod multi essent communicandi.

§. II. *De Communione in Missa de Requiem*

219. Non est contra ritum Communionem Fidelibus ministrare in Missa de Requiem, vel post illam: si tamen administretur Communio post Missam, omittenda est benedictio.

220. In Missa de Requiem non licet distribuere Eucharistiam.

221. Confirmatur alio decreto.

222. Subsequenti tamen decreto prohibetur, ne decretum ultimum prohibens extra detur, seu ne publicetur.

223. Alio decreto 2 sept. 1741 permittitur ministratio Eucharistiae intra Missam cum Particulis in eadem Missa consecratis, minime vero cum praeconsecratis.

224. Denique interrogata S. Rit. C. an pro certa tenenda

240. Non est toleranda consuetudo super imponendi Sanctorum Reliquias Tabernaculo,in quo Augustissimum Sacramentum asservatur, ita ut idem Tabernaculum pro basi inserviat.

241. Dum Sacerdos benedicit populo potest Thuriferarius adhibere, vel omittere thurificationem SS. Sacramenti.

242. Regulares intra hebdomadam Corporis Christi possunt intra Missarum solemnia,et ad Vesperas SS. Sacramentum exponere sine licentia Ordinarii.

243. Ex causa privata licitum est Regularibus SS. Sacramentum palam adorandum exponere, dummodo non extrahatur e Tabernaculo, et maneat velatum de licentia tamen Episcopi Ordinarii.

244. In Missis solemnibus, quae celebrantur in Altari, in quo est expositum SS. Sacramentum, Subdiaconus sustinens patenam non debet genuflectere, quando Celebrans post Offertorium genuflexus thurificat SS. Sacramentum.

245. Improbatur abusus deferendi S. Eucharistiam in quadam bara feria 6. in Parasceve.

246. In expositionibus SS. Sacramenti, quae fiunt in Pyxide, fieri potest in Missis commemoratio de eodem Sacramento, quando eius expositio fiat ex publica causa; et insuper celebrari poterunt Missae de Requiem extra Altare expositionis; denique genuflectendum est utroque genu a transeuntibus ante illud.

247. Occurrente Oratione XL Horarum in Dominica Palmarum, si fieri debeat et deceat benedictio Palmarum, haec facienda erit in alio sacello laterali, sed absque Processione.

248. Tolerari non debet consuetudo, sive corruptela occasione concionum sedendi in gradibus Altaris maioris, terga vertendo SS. Sacramento, sit vel non sit expositum.

249. Indulgetur, ut Confraternitas disciplinantium Cunei retinere possit in eorumdem Oratorio SS. Eucharistiae Sacramentum, licet pro quotidiana celebratione trium Missarum tantum certi redditus assignati reperiantur.

250. SS. Sacramenti expositio in Ecclesiis Regularium nimis frequens esse non debet : hinc demandatur Episcopo ut decentiae prospiciat,expendendo causas exponendi, et assignando loca, horas, et assistentiam.

251. Quando in gratiarum actione cantatur hymnus *Te Deum* coram SS. Sacramento publice exposito, Clerus tam ad Altare, quam in Choro stare debet.

252. Nequit cantari Missa de requie tempore expositionis SS. Sacramenti, etiamsi sit expositum in Altari laterali et remoto.

253. Quando est expositum SS. Sacramentum semper debet apponi pallium coloris albi ad Altare expositionis.

254. Statuuntur quae servanda sint a Sacerdote qui Missam celebrat coram SS. Sacramento exposito.

255. Quae servanda a Celebrante dum lavat manus in Missa coram S. Eucharistia palam exposita.

271. In depositione Defunctorum verba illa *Non intres in iudicium cum servo tuo*, quando defunctus sit mulier, aut sint plures defuncti, non possunt verba *servo tuo* immutari in *serva tua*, vel *servis tuis*.

272. Quando in Ecclesiis Regularium adest sepultura Maiorum, possunt in eis etiam sepeliri corpuscula parvulorum. Curare autem debent iidem Regulares, ut habeant coemeterium separatum pro sepulturis parvulorum.

273. Possunt Parochi ad funera, quae celebrantur in sua Parochia, vocare quos Clericos, et Presbyteros voluerint, nisi aliter disponant haeredes defuncti.

274. Ille Presbyter, seu Curatus, qui defert Stolam, et ad cuius Ecclesiam funus defertur, alios omnes praecedere debet, etiam Canonicos Collegiatae.

275. Officium super cadaveribus in Ecclesiis Regularium per ipsos Regulares, non autem per Parochos defunctorum peragi debet.

276. Congregationi Sacerdotum Saecularium sub invocatione s. Philippi Nerii in associatione Confratrum Defunctorum competit praecedentia supra Regulares; et eis licet elevare propriam Crucem.

277. De controversiis inter Parochum s. Silvestri Civitatis Sutrinae, et Capitulum Ecclesiae Cathedralis, pro associando cadavere sui Parochiani defuncti, videatur potissime sub praesenti num.

278. De controversiis inter Capitulum et Mansionarios Ecclesiae Cathedralis Civitatis Caietanae ex una, et Parochos dictae Civitatis ex altera, de praecedentia tam in Choro, quam in Processionibus, et funeribus videatur potissime sub praesenti num.

279. Interveniente Capitulo Ecclesiae Cathedralis pro simplici funeris associatione absque ullo titulo Parochialitatis, spectat ad solum Parochum domicilii defuncti stolam nigram deferre.

280. In Ecclesiam restituto funere, in qua Capitulum Cathedralis nullam habet Parochialem iurisdictionem, spectat ad Parochum funeris Officium peragere, seu exequias celebrare, minime vero ad Capitulum Cathedralis.

281. In Absolutionibus in die commemorationis omnium Fidelium Defunctorum non est dicenda tota conclusio in oratione.

282. Post Absolutionem, quae fit super Cadaver in die obitus, vel supra tumulum in die anniversario, dicto versiculo *Requiescant in pace*, subiungi debet *Anima eius* etc. In commemoratione vero omnium Fidelium Defunctorum nihil est superaddendum.

283. Est abusus non tolerandus, quod campana aliqua pro solis Nobilibus pulsari reservetur, sed pulsari debet pro quibuscumque petierint.

Potest Parochus independenter transire per alienam Paro-

chiam associando Cadaver tumulandum in Ecclesia Regularium extra propriam Parochiam: nec tenentur parentes defuncti super dicto transitu solvere aliquam portionem.

Item: In exequiis defuncti Sacerdotis praesente Corpore, locetur Crux ad caput defuncti inter feretrum, et Altare.

284. Absque exactione aliqua possunt Regulares accedere non vocati ad funeralia.

285. Confratres aggregati Confraternitati Mortis Urbis non possunt impediri, quominus associent mortuorum cadavera ad sepeliendum.

286. In arbitrium haeredum defunctorum residet constituere numerum Regularium, qui funeri intervenire debent, non autem in voluntatem Parochorum, non obstante contrario decreto Synodali.

287. In fine Absolutionis mortuorum, quando est pro uno defuncto, dicitur in singulari *Requiescat*, quando vero pro pluribus, in plurali, seu *Requiescant:* in Missa vero semper *Requiescant.*

288. Sacerdoti decedenti prohibetur Sacerdotibus in sacris vestibus fimbrias opertorii feretrum operientis elatas ad locum sepulturae deferre.

289. Possunt Parochi in associatione cadaverum suorum Parochianorum ingredi Ecclesias Regularium cum superpelliceo, et stola, absque tamen facultate deferendi Crucem intra Ecclesiam.

290. Possunt Parochi in associatione *ut supra* pro eorum commoditate ingredi sine Cruce elevata, non tamen pro assistendo functionibus exequialibus.

291. Non licet Canonicis Parochis Cathedralis Ecclesiae funera concomitantibus deferre cappam choralem.

292. In causa Patrum Oratorii s. Philippi Nerii, in Civitate Mexicana: quando Ecclesia tumulans est a Parochiali diversa, ducto funere ad Ecclesiam, non Parochus, sed alius Sacerdos eiusdem Ecclesiae, ad quam cadaver delatum est, prosequatur officium a Rituali Romano praescriptum.

293. Quoad aspersionem, et incensationem in exequiis solemnibus ad feretrum, triplici ductu per latus dexterum (Crucis) hae fieri debent, nempe in pede, medio, et capite; deinde per sinistrum in capite, medio, et pede.

294. In exequiis Sacerdotis, corpore praesente, locata Cruce inter feretrum et Altare, et Celebrante inter feretrum et fores Ecclesiae, aspersio, et incensatio incipiendae pariter erunt a parte dextera Crucis, scilicet in pede etc., ut supra.

295. In exequiis tamen non solemnibus, sive corpore praesente, sive non, sufficit, ut Celebrans sine circuitione ter ducat aspersorium super feretrum, vel tumulum, nempe in medio, a latere dextero, et a sinistro.

296. In absolutionibus vero ad tumulum, licet pro Sacerdote, quando cadaver praesens non est, Crux collocanda est

inter tumulum, et fores Ecclesiae, et Celebrans inter Altare, et tumulum.

297. In exequiis solemnibus alicuius defuncti, in trina aspersione, et incensatione per quodlibet latus cadaveris, vel tumuli, satius est, si simplicitas in hoc effulgeat.

298. In exequiis, dum post orationem Celebrans dicit *Requiem aeternam dona ei, Domine*, facere debet manu dextera signum Crucis super feretrum, vel tumulum.

299. Ubi in commemoratione omnium Fidelium defunctorum in absolutionibus particularibus faciendis statuuntur duo candelabra cum candelis accensis loco tumuli, sufficit, ut sine circuitione ter aspersorium, et thuribulum ducantur super pavimentum. Idemque servandum in fine exequiarum in depositione defuncti quoad aspersionem corporis post canticum *Benedictus*, idest sine circuitione.

300. Servetur consuetudo circa morem sepeliendi cadavera ecclesiasticorum cum paramentis sacris.

301. Pro anniversario ultimo defuncti Episcopi servetur Caeremonialis dispositio.

302. Oratio *Inclina Domine* legenda est sine nomine defuncti, pro quo recitatur.

303. In commemoratione omnium fidelium defunctorum omittatur versiculus *Animae eorum* etc. et Psal. *De profundis* dum revertitur a tumulo post expletam absolutionem.

304. Anniversaria pro die indeterminata a testatore relicta possunt adimpleri diebus duplicibus, petita venia.

305. Potest iuxta consuetudinem in absolutione Cadaveris cantari resp. *In paradisum*, etiamsi illud non deferatur statim ad sepulchrum.

306. Ant. *Si iniquitates* cum Ps. *De profundis* nequit recitari completa Missa dum progreditur ad tumulum pro absolutione.

CAPUT VI.—DE OFFICIO DIVINO

307. In occurrentia festorum eiusdem ritus, et alias quomodocumque parium, primum locum habeat Officium Ecclesiae particularis; secundum Ordinis, seu Religionis; tertium Dioecesis; quartum Nationis; quintum Ecclesiae universalis.

308. Pro translatione tamen festorum prius fiat Officium de prius descripto in Calendario, nullo habito respectu, quod Officium translatum sit Ecclesiae universalis, Nationis etc.

Quando occurrit festum aliquod in Dioecesi, quod sit de praecepto quoad forum, Regulares debent de eo Officium facere, nisi apud ipsos occurrat eadem die aliud festum, quod sit eiusdem classis, ritus, et maioris dignitatis.

309. Quando plura Officia eadem die ita fixe occurrunt, ut translatio alicuius sit perpetua, tunc prima dies proxime non impedita assignata censetur in perpetuum pro die propria festi translati. Quae assignatio fieri potest S. C. inconsulta.

310. Assignatio diei festo in perpetuum translato censetur facta a Superiore, quando fit ab iis, qui ex eius mandato Calendarium componunt.

311. Occurrente Patrono Loci cum Titulari Ecclesiae Regularium, fieri debet de Patrono. Excipitur apud Minores festum s. Francisci.

312. Si Patronus, vel Titularis Ecclesiae incidat in Dom. I. Adventus, et Quadragesimae, in Dom. Passionis, Palmarum, in Albis, et SS. Trinitatis, in vig. Nativitatis Domini et Pentecostes, in die Circumcisionis, in die octava Epiphaniae, in feria 4. Cinerum, in tota maiori Hebdomada, et infra octavam Paschae, et Pentecostes, transfertur.

313. In anno bissextili si littera Dominicalis sit *A*, vel *B*, aut *G*, nulla superest Dominica post Epiphaniam.

314. Quando transfertur festum alicuius s. Confessoris a die sui obitus in diem proxime sequentem, si in primis vesperis saltem actum sit a capitulo sequentis, debet in toto Officio dici in hymno *Meruit Beatas*, secus dici debet *Meruit Supremos*.

315. Si transferatur festum Stygmatum s. Francisci, nulla est facienda mutatio in hymno.

316. Si feria 6. post octavam Ascensionis occurrat festum novem lectionum, facienda est commemoratio talis feriae, nisi praedictum festum sit ex solemnioribus.

317. Lectiones primi nocturni de Exodo Dominicae IV. Quadragesimae, quoties ista sit impedita aliquo festo primae classis, resumendae sunt intra illam hebdomadam. Quod iuxta Guyet. et Cavalier. est etiam intelligendum de Dominicis Quinquagesimae, nec non secundae, et tertiae Quadragesimae.

318. Festa etiam semiduplicia perpetuo translata transferri possunt in dies infra octavas non privilegiatas, tamquam in dies proprias.

319. Cum aliquod festum iam translatum iterum moveri contigerit a die sibi semel assignata, non est opus ut cetera alia festa post ipsum translata a diebus sibi respective assignatis denuo removeantur.

320. Dum per solam commemorationem anticipatur Officium alicuius Dominicae post Epiphaniam in Sabbato ante Septuagesimam, legendae sunt lectiones de Dominica anticipata, dummodo in Sabbato antecedenti non occurrat initium alterius Epistolae s. Pauli.

321. Dominica Quatuor Temporum est illa, quae Sabbatum Quatuor Temporum immediate sequitur.

322. Omittenda non sunt initia Prophetarum; sed quando locum habere non possunt, dicenda sunt in Officio semiduplici, et duplici minori, vel maiori, licet habeant lectiones primi nocturni proprias.

323. Quando Dominica IV. Septembris fuerit ultima, et feria 5. 6. et Sabbato legi non potest liber Esther, eo anno omittitur.

324. Quando Dominica IV. Octobris fuerit ultima mensis, et feria 5. 6. et Sabbato legi non possunt lectiones Martyrii Machabaeorum, eo anno omituntur.

325. Quando una die poni debent duo initia, decet legi duas lectiones de *incipit* feriae currentis.

326. Initia debent solum transferri intra hebdomadam, vel hebdomadas, quibus eorum lectio durat.

327. Occurrente festo non habente lectiones proprias in die, cui nullae lectiones dè Scriptura attributae sunt, recurri non debet ad commune Sanctorum, si adsit initium aliquod Scripturae reponendum.

328. In die octava Dedicationis Ecclesiae pro tertio nocturno legi possunt lectiones de die aliqua infra octavam, de qua ob impedimentum aliquod actum non est.

329. Quando recitatur de s. Confessore, et in Laudibus fieri debet commemoratio de infra octavam alterius Confessoris propriam non habentis, pro Laudibus sumenda est antiphona de 2. Vesperis, et pro secundis Vesperis de Laudibus: in utroque casu cum *vers.* de primis Vesperis.

330. Si occurrat commemoratio simplicis, et variandae sint antiphonae sive in primis Vesperis, sive in Laudibus, videatur potissime sub praesenti num.

331. Pro s. Sebastiano Patrono, vel Titulari in Officio lectiones primi nocturni sunt *Fratres debitores*, Missa vero *In virtute* cum evangelio Officii; et insuper officium s. Fabiani P. M. transferendum est, et celebrandum sub ritu semiduplici.

332. Ubi fit de s. Sebastiano Patrono, vel Titulari, dicenda est oratio de communi unius Martyris non Pontificis, minime vero *Infirmitatem nostram.*

333. Concurrentibus secundis Vesperis Conceptionis B. M. V., ubi celebratur sub ritu primae classis, cum primis Vesperis Dedicationis propriae Ecclesiae, Vesperae erunt integrae de Dedicatione, cum commemoratione Conceptionis.

334. Octava Dedicationis propriae Ecclesiae non est dignior octavis festorum B. M. V. ubi celebrantur sub ritu duplici primae classis.

335. Festum gaudens octava, si transferri contingat, et dies non impedita occurrat, priusquam octava finem habeat, in repositione praeferendum est aliis festis, etiam maioris ritus, et dignitatis prius translatis.

336. Cum quaedam festa secundae classis transferri debeant, et intra annum non supersit ullus dies vacuus, in quo dicta festa reponi possint, transferenda sunt in proximiorem diem etiam impeditum festo semiduplici, aut duplici, quod illo anno redigatur ad ritum simplicem.

337. Occurrente festo s. Andreae Apostoli in Dominica prima Adventus, transferri non debet tamquam in diem propriam, in primam diem decembris, nisi in casu, quo infra annum non supersit nullus dies vacuus, quo reponi possit.

338. Quoad Officium s. Benedicti concessum recitari apud Cassinenses qualibet feria 3. videatur potissime sub praesenti num.

339. Officium s. Iacobi Ap. concessum recitari in Dioecesi Compostellana singulis feriis secundis, non est de praecepto, sed ad libitum: ad libitum est etiam eiusdem commemoratio in suffragiis Sanctorum.

fit sub ritu duplicis min. in concursu cum festis eiusdem ritus, Vesperae erunt dimidiandae.

356. Si secundae Vesperae Dedicationis propriae Ecclesiae concurrant cum primis Vesperis ss. Petri et Pauli, faciendum est totum de dedicatione, cum commemoratione ss. Apostolorum.

357. Concurrente die octava Dedicationis Ecclesiae, ss. Angelorum, s. Ioannis Baptistae, s. Ioseph, et ss. Apostolorum cum alio dup. min. eiusdem ritus, sed inferioris dignitatis, Vesperae sunt dimidiandae.

358. Festum Patrocinii s. Ioseph in occurrentia cum festis Apostolorum, et Evangelistarum fit de Apostolis, et Evangelistis, et transfertur Patrocinium, utpote festum secundarium.

359. Festis secundariis ss. Angelorum, s. Ioannis Baptistae, s. Ioseph, et ss. Apostolorum concurrentibus cum Sanctis eiusdem ritus, sed inferioris dignitatis, Vesperae erunt dimidiandae si sint ritus dup. min., si vero dup. mai. integrae erunt persolvendae de ss. Angelis etc.

360. Nulla adest disparitas inter translationem ss. Apostolorum, et illam Evangelistarum, unde prius est faciendum officium, quod prius celebrandum in Calendario proponitur.

361. Die 17 decembr. desinunt octavae Sanctorum, si adsint.

362. Si in Choro, vel privatim omissum est per oblivionem, aut inadvertentiam fieri aliquod Officium eadem die, qua debebat secundum Rubricas, non potest eo anno amplius fieri.

363. Quando non explicatur qualitas ritus alicuius Sancti, an sit duplicis maioris, vel minoris, intelligendum est de duplici minori per annum.

364. Quando propter aliquod Officium v. g. Dioecesis necessum est amoveri in perpetuum aliquod festum v. g. Ordinis, assignanda est prima dies non impedita huiusmodi translato, relicto in reliquis Calendario Provinciae in suo statu.

365. Iis in locis, ubi octava SS. Corporis Christi respuit omnia festa praeter illa primae classis, occurrente in Dominica infra eamdem octavam nona lectione de simplici, omittenda est.

366. Matutinum Defunctorum pro generali eorum commemoratione in Choro adimplendum est mane, nisi, ut populus commodius et frequentius illi interesse possit, contraria iam faceret consuetudo. Privatae tamen recitationi occurri licite potest pridie vespere.

367. Quando Officium de tempore habet nonum Responsorium, tunc poni non potest nona lectio de Sancto.

368. Non fit ad Matutinum commemoratio vigiliae in Adventu, in Quadragesima, et quatuor Temporibus; bene vero in Missa; et in Adventu cum eius Evangelio in fine, dummodo non occurrat in quatuor temporibus.

369. Feriae Adventus non impediunt nonam legi lectionem de simplici, quoties in eis de Officiis Sanctorum fieri contigerit.

370. Quando infra octavam alicuius festi, quod habet con-

*

clusionem hymnorum propriam, occurrat festum classicum, quod excludat commemorationem octavae, continuanda nihilominus est praedicta hymnorum conclusio.

371. In suffragiis Sanctorum, dum fit de aliquo Sancto, cuius antiphonae habent in fine *Alleluia*, recitari debent cum *Alleluia*, quoties contineant verba, quae exprimant gaudium, victoriam, et similia, secus negative.

372. Clerici Cathedrali adscripti, qui non tenentur Choro, non obligantur ad officia propria Ecclesiae Cathedralis.

373. Qui sunt de gremio alicuius Ecclesiae debent recitare Officium prout recitatur in Choro, licet morentur alibi. Si vero ubi ad tempus degunt adeant Chorum, eidem se poterunt conformare.

Regulares in privata Officii recitatione extra Chorum se conformantes Calendariis Conventuum,in quibus actualiter morantur, satisfaciunt oneri recitationis Horarum Canonicarum.

374. Tertiarii s. Francisci degentes in saeculo possunt uti Breviario Ordinis Minorum, et illius Calendario conformari, dummodo habeant indultum extensionis privilegiorum.

375. Clerici Saeculares Choro non addicti possunt recitare de Sanctis Ordinis Carmelitani, si sint eiusdem Ordinis Tertiarii.

376. Idem iudicium habendum est de Tertiariis quarumcumque Religionum relate ad Breviarium, et Calendarium sui respective Ordinis, omnes enim mutuo communicant in privilegiis.

377. Hoc privilegium extendi non potest ad Clericos Saeculares, qui non sunt Tertiarii, sed Regularium continui commensuales, eo quod iidem reapse non sunt de corpore Religionis. Limitandum tamen si Chorum adeant.

378. Decretum generale de festo s. Ioseph Sponsi B. V. occurrente in feria 5. in Coena Domini, videatur potissime sub praesenti num.

379. Quando festum Patrocinii s. Ioseph transferri contingat extra tempus Paschale, omissis antiphonis assignatis pro tempore Paschali, debent omnes assumi ex alio festo 19 martii.

380. Si aliquis Sanctus in Patronum electus sit, qui cum Socio habeat officium proprium, recurrendum erit ad S. Congregationem pro horum officiorum dispositione.

381. Si mandatum de novo Officio recitando advenit post diem proprium a S. Rit. C. praescriptum, adhuc recitandum est, si nondum labuerint dies feriati, seu vacantes, in quibus occasione impedimenti iuxta Rubricarum regulas huiusmodi Officium recitari potuerit.

382. Officia Sanctorum recitari concessa sub hac formula *recitari possint*, vel *recitari posse censuit*, non alio sensu sunt ad libitum, nisi quod liberum fuerit respectivis Superioribus ea acceptare, vel non, semel autem admissa a Superioribus evadunt de praecepto.

383. In sabbato *Sitientes* in *Resp.* brevi completorii omittitur vers. *Gloria Patri* (intellige si fiat tali die de semidu-

plici); in secundis vesperis non omittitur, si feria secunda non fiat de feria.

384. S. Rit. C. ad preces P. Procuratoris Generalis Ordinis Capucinorum concessit universo suo Ordini recedere a recitatione festorum Dioecesanorum pedetentim introductorum, ne plura Officia de praecepto ad ritum simplicis redigi necesse sit: exceptis tamen excipiendis.

385. Regulares recedere possunt a recitatione illorum Officiorum ad libitum, quae fuerunt ab ipsis acceptata, quando satisfacere nequeunt Officiis proprii Ordinis.

386. Cum teneantur Regulares recitare de Patrono principali Loci, sub nomine *Loci* comprehenditur etiam Patronus principalis Regni, si liquido constet de concessione Apostolica.

387. Regulares tenentur ad Officia ad petitionem Regum et Principum recitari concessa, ubi concessio extenditur etiam ad Regulares.

388. Regulares non possunt (etiamsi velint) recitare de octava Patroni principalis Loci, vel Ditionis, nisi id specialiter ipsis indultum fuerit.

389. Regulares in ipsa Civitate degentes tenentur ad celebrandum festum Dedicationis Ecclesiae Cathedralis cum Officio duplici secundae classis, non tamen cum octava.

390. Non possunt Minoritae recitare lectiones secundi nocturni de Sanctis VV., et MM. Apollonia, Margarita, Barbara, et Ursula cum sociis proprias, quae circumferuntur, sed sumendae sunt de communi.

391. Litaniae Sanctorum, quae dicuntur a Capucinis post Matutinum, non pro fine Officii, sed pro praeludio, et principio orationis mentalis, non impediunt, quominus dicendae non sint post ipsum Matutinum antiphonae finales B. M. V.

392. In anno bissextili propria dies s. Mathiae Ap. est 25 februarii, quae dies si assignata sit pro aliquo Sancto, iste transferendus erit illo anno in proxime sequentem diem. Idemque intelligi debet de aliis Sanctis, seu Officiis occurrentibus in tribus subsequentibus diebus februarii.

393. Canonici extra Chorum Officium persolventes non tenentur ad psalmos Graduales, ad Officium Defunctorum etc., quae quidem Officia sunt onera tantummodo ex praecepto implenda in Choro.

394. Psalmi Graduales, et Poenitentiales dicuntur licite, ubi est consuetudo eos dicendi, pridie vespere feria 4. et 6. post Completorium.

395. In Officio de communi confessoris Pontificis ad Antiphonam *Sacerdotes Dei* , et in Officio de communi Virginum ad Antiphonam *Veni electa mea* tempore paschali dicitur tantum unum *Alleluia;* et sic in similibus.

396. Ubi die 3. novembris celebratur aliquod festum etiam cum magna populi devotione, et concursu populi sub ritu duplici minori, si occurrat eodem die commemoratio omnium

Fidelium Defunctorum, transferendum est praedictum festum, dummodo non sit de praecepto.

397. Quando habentur tria Officia translata, unum classicum, alterum duplex maius, et tertium duplex minus, in die commemorationis omnium Fidelium Defunctorum nullum ex translatis est admittendum.

398. Iam saepe decisum, quod de festo duplici minori vel occurrente, vel translato fieri possit in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, Missas tamen privatas dicendas esse de Requiem: quae Decreta S. C. declarat locum dumtaxat obtinere, si pro repositione festi translati nullus supersit dies usque ad anni finem.

399. De Sanctis, qui coniuncti sunt, et necesse est unum separari, et celebrare sub ritu duplicis primae classis, si tales Sancti coniunctim sumpti sunt semiduplices, de dup. min. aut mai. festa sociorum celebranda erunt sub ritu semidup., secus prout sunt descripta in Breviario: si vero simplices, nihil fit, sed neque transferuntur.

400. Quoad ritum genuflectendi in hymno, cum dicitur *Tantum ergo Sacramentum*, si non sit expositum, standum est consuetudini Ecclesiae.

401. Debent omnes genuflectere in recitando Officio in Choro in verbis *Venite adoremus, et procidamus; Te ergo quaesumus tuis famulis; Ave, maris stella; Veni Creator Spiritus; Tantum ergo Sacramentum; O Crux, ave*, et aliis similibus.

402. Episcopus, quando reperitur in aliquo Oppido suae Dioecesis in visitatione, seu alia de causa, potest licite recitare Officium, de quo ex forma Rubricarum fit in illo Oppido, et sic satisfacere.

403. Apud Moniales Capucinas Officium octavae s. Clarae praeferendum est octavae s. Laurentii, minime vero octavae Assumptionis B. M. V.

404. De Sanctis, qui in fine anni supersunt, sive sint ritus duplicis, sive semiduplicis, facienda est commemoratio ad instar diei octavae, et Dominicae, exceptis triduo Paschatis, Pentecostes, et mortis Christi.

405. Festa, quae in Ecclesia universali celebrantur simplicia, si in aliquo ordine, vel Ecclesia celebrantur ritu duplici censentur particularia.

406. Occurrente commemoratione octavae omnium Sanctorum, et B. M. V. si festum B. V. sit ritus duplicis primae classis praecedit, si vero sit dup. secundae classis tunc praecedit octava omnium Sanctorum, utpote primae classis.

407. Suppresso, et iterum erecto Capitulo Cathedralis Alexandrinae, tenentur Canonici ut prius ad recitationem in Choro psalmorum Poenitentialium, Gradualium etc.

408. Commemorationes omnium Apostolorum die 29 iunii, et omnium Sanctorum Martyrum in Officio, et Missa illae sunt,

quae olim praescriptae fuerunt pro statu Romano occasione reductionis festorum.

409. De modo recitandi Officium Inventionis SS. Crucis, quando transfertur post tempus paschale, videatur potissime sub praesenti num.

410. Si occurrat eodem die festum Dedicationis Ecclesiae cum festo Titularis, festum Consecrationis prius agendum ut dignius, et festum Titularis transferendum.

411. Occurrente festo Purificationis B. M. V. in Dominica Septuagesimae, ita ut illius Officium contingat transferri, non est ob id protrahenda etiam recitatio Antiph. *Alma Redemptoris*.

412. Quando festum Purificationis B. M. V. occurrit in Dominica privilegiata, eius officium transferendum est in feriam secundam immediate sequentem, quocumque festo etiam aequalis, non tamen altioris ritus, in eam incidente.

413. Moniales Locorum Ordinariis subiectae non tenentur recitare Officia particularia Dioecesum; tenentur tamen recitare de Patrono principali Loci, et de Titulari Ecclesiae Cathedralis, nec non de eiusdem Ecclesiae dedicatione, non vero de eorumdem festorum octavis.

414. Laudabile est, ut in Ecclesiis dicatis B. M. V. de ea fiat in suffragiis commemoratio in Officio currenti, etiamsi Officium eius parvum prius recitatum fuerit.

415. Si assignatio diei festo in perpetuum impedito facta non fuit prima die non impedita iuxta Rubricas Breviarii, talis error debet corrigi, et illis legibus conformari. Nec consuetudo quindecim annorum suffragari potest huiusmodi assignationi perperam factae.

416. Parochus duarum Ecclesiarum unitarum debet de ambarum Titulari recitare Officium, maxime si Ecclesiae sint peraeque unitae.

417. Quando dies 30 decembris occurrit in Sabato, omitti potest Officium de die infra octavam Nativitatis, et in eo recitari Officium de duplici translato, non exclusis commemorationibus quatuor Octavarum.

418. Si Ecclesia dedicata sit sub invocatione B. M. V., et ignoretur sub qua festivitate illa dedicata fuerit, tunc celebrari potest in die Assumptionis B. M. V.

419. Quando Titularis Ecclesiae est sub titulo s. Mariae Angelorum; item quando in Ordine Fratrum Minorum quaedam Ecclesia dedicata est sub eodem titulo s. Mariae Angelorum, in utroque casu celebrandum est huiusmodi festum in die Assumptionis cum octava eiusdem: minime vero recitandum die secunda augusti cum toto Ordine Minorum Officium Dedicationis tali die assignatum.

420. Si aliqua Ecclesia sub titulo maneat SS. Salvatoris, recitari debet Officium de Transfiguratione Domini ritu duplici primae classis cum octava.

421. Episcopus Regularis recitare debet Officium iuxta for-

mam assignatam suae Dioecesi, minime vero iuxta formam sui Ordinis.

Item: Occurrente eadem die festum alicuius Sancti suae Dioecesis, et festum alterius Sancti sui Ordinis, celebrandum est festum de sancto Dioecesis.

Item: Capellani sive Regulares sint, sive Saeculares, qui alternis vicibus cum Episcopo Regulari Officium recitare solent, debent se conformare Episcopo circa recitationem Officii.

422. Semiduplex occurrens in die duplici primae classis habente octavam, vel si occurrat in Dominica infra octavam, aut in die duplici infra octavam transferri debet respective in diem immediate sequentem, in qua de octava faciendum esset, etiamsi reponendum sit duplex primae classis prius translatum. Quod privilegium non competit duplicibus.

423. Religiosi Ord. Capucinorum olim Provinciae s. Ioseph a Leonissa, postea Provinciae Pedemontanae cooptati, qui unum corpus cum ipsa constituunt, tenentur facere omnia Officia iuxta Calendarium Provinciae Pedemontanae, et non alia.

424. Quadragesimae tempore, quando dicuntur Vesperae ante meridianam comestionem, in Sabbatis dicenda est in iisdem Vesperis antiphona *Ave Regina Coelorum*, nec non ad meridiem salutatio Angelica flexis genibus.

Item: Si recitetur die Dominica ante solis occasum Matutinum cum Laudibus pro feria secunda, dici debet stando antiphona finalis B. M. V. Quoad salutationem Angelicam sero Dominicae an dici debeat stando, vel flexis genibus, videatur potissime sub praesenti num.

425. Consuetudo a Clericis Regularibus Theatinis servata, ut Hebdomadarius ad Vesperas capiat pluviale ad Capitulum, et non a principio Vesperarum, servari potest.

426. Duplex Officium est recitandum de Sancto, cuius habetur insignis Reliquia.

427. Nequit officium et Missa recitari etiam de licentia Ordinarii de aliquo Sancto eo quod in loco, vel dioecesi, vel civitate reperitur Ecclesia eidem dicata, vel insignis reliquia.

428. De Reliquia insigni Officium est solum recitandum in Ecclesia, ubi asservatur, nec aliae Ecclesiae debent se uniformare cum Cathedrali, seu matrice.

429. Insignes Reliquiae sunt caput, brachium, crus aut alia pars corporis, in qua passus est Martyr, modo sit integra, et non parva, et legitime ab Ordinariis approbata.

430. Commemoratio de Cruce ordinaria sufficit in Ecclesiis dicatis in honorem s. Crucis pro commemoratione Tituli Ecclesiae.

431. Prima sedes in Choro conceditur Hebdomadario parato tantum.

432. Hebdomadarius in decantandis in Choro Horis non debet uti stola.

433. Ratione communicationis privilegiorum non potest re-

citari peculiare Officium concessum illis Ordinibus, de quorum privilegiis facta fuit communicatio.

434. Si festum Dolorum B. M. V. occurrat in aliud festum altioris ritus, transfertur in Sabbatum sequens: si vero concurrat cum festo Annuntiationis eiusdem B. V. vesperae dicuntur de Annuntiatione sine commemoratione de septem Doloribus.

435. Dies octavarum festivitatum B. M. V. concurrentes cum Officio duplici minori habere debent integras Vesperas.

436. Qui habent privilegium celebrandi octavas in Quadragesima, occurrente die infra octavam in feria 4. Cinerum, nullam debent facere commemorationem de octava.

437. In Officio feriae 4. Cinerum, relinquentes commemorationem octavae, debent privilegiati dicere preces, psalmos graduales, etc.

438. Pro suffragio B. M. V. in Ecclesiis eidem dicatis sub quocumque titulo sufficit consueta Antiphona, *Sancta Maria, succurre miseris.*

439. Consuetudo triginta annorum non habet vim ad hoc, ut continuari possit recitatio Officii de aliquo Sancto in Ecclesia, in qua asservatur eius corpus, nisi doceatur, an sit descriptus in Martyrologio, et de eius authenticitate constet.

440. Non possunt poni plura tribus initiis Prophetarum unica die.

441. Quando plures adsunt Cathedrales unitae, Officium dedicationis cuiuslibet Ecclesiae non debet recitari ab universo Clero Dioecesum unitarum.

442. Sub nomine Patroni Loci, quo tenentur Regulares recitare Officium, non venit Patronus Parochiae, in qua commorantur.

443. Occurrente dedicatione Ecclesiae SS. Salvatoris, vel ss. Apost. Petri, et Pauli infra octavam Dedicationis aliarum Ecclesiarum, pro earum octava debet sumi alia oratio de communi, nempe *Deus, qui invisibiliter.*

444. Diebus infra octavam SS. Trinitatis, ubi est titulus Ecclesiae, et in festis infra dictam octavam occurrentibus non debet ad Primam dici Symbolum s. Athanasii.

445. De titulo, et consecratione Parochialis Ecclesiae, quae non est Cathedralis, non debet fieri Officium in die, neque per octavam a Sacerdotibus qui non sunt de Clero Parochiali, licet sub eadem Parochia degant.

446. In concursu festi duplicis cum Dominica Passionis, vel Palmarum, in Responsorio brevi Completorii, omittendus non est versus *Gloria Patri.* In concursu vero semiduplicis in primis vesperis Dominicae omittitur, et probabilius etiam in secundis.

447. Ad dubium per Mansionarios Cathedralis Ianuen. propositum circa Matutinum, respondetur, recitandum esse de mane hora per Eminentissimum declaranda.

448. Iterum proposito dubio respondetur, servari solitum, et aestivo tempore hora per Ordinarium statuenda.

449. Negatur facultas Capitulo Cathedralis tempore quadragesimali recitandi Matutinum pro die sequenti de sero immediate post completorium.

450. Officium parvum B. Mariae Virginis tempore paschali recitandum est prout in Breviario Romano.

451. Non licet Vicario Generali mutare festum alicuius Sancti positum in Breviario certo die ad alium diem, sed neque ipsi Episcopo.

452. Die 17 decembris cessare debet dies octavae (intellige ad nonam diei praecedentis).

453. Quando in Choro a Canonicis intonantur Antiphonae, omnes debent surgere,praeter Hebdomadarium paratum, in benedictionibus vero Lectionum tenetur Hebdomadarius semper surgere,et alii de Choro tenentur, quando solemniter cantatur.

454. Tenentur Moniales ss. Visitationis in recitando Officio solito facere commemorationem s. Antistitis, et Patriarchae Francisci Salesii, et in *Confiteor* sive privatim, sive in Choro possunt exprimere nomen eiusdem Sancti.

455. Potest tolerari, ut Patres Congregationis Oratorii Assumptae sub Instituto s. Philippi Nerii, Ulyssiponen. Dioecesis, addant in *Confiteor* et Litaniis Sanctorum nomen s. Philippi eorum Patriarchae, sicut hactenus consueverunt.

456. Occurrente festo duplici infra octavam SS. Corporis Christi, ac simul festo Sancti simplicis nonam lectionem in Breviario habentis, de hoc Sancto recitari debet nona lectio.

457. Omnes Ecclesiae etiam saeculares B. Mariae Virgini dicatae possunt in Officio de feria in suffragiis Sanctorum facere commemorationem eiusdem B. Virginis, quantumvis eius officium parvum recitatum sit.

458. Adveniente quadragesima cessat quaecumque octava, quo casu cessare debet feria tertia ad Nonam, Vesperae igitur debent esse feriales.

459. In Ecclesiis, in quibus festum SS. Trinitatis est dup. primae classis, concurrentibus vesperis diei octavae eiusdem cum duplici sequenti maiori, Vesperae debent fieri integrae de die octava, cum commemoratione sequentis.

460. Nec Monialibus Clarissis,nec Fratribus Minoribus, aliarumque Religionum licet amplius recitare die 14 ianuarii officium SS. Nominis Iesu, sed Dominica secunda post Epiphaniam. (Conceditur tamen huiusmodi facultas toti Ordini Minor. de Observantia ex vivae vocis oraculo Benedicti XIII.)

461. Ratione Indulgentiarum de Portiuncula, et populi concursus, conceditur Capucinis oppidi Novellarae, ut die secunda augusti, in quo cadit octava s. Annae, titularis eorum Ecclesiae fiat de dedicatione s. Mariae Angelorum sub ritu dup. mai. cum commemoratione octavae s. Annae.

462. Occurrente festo Dedicationis propriae Ecclesiae cum festo s. Silvestri Papae, faciendum est de dedicatione, cum commemoratione s. Silvestri.

463. Dedicatio Ecclesiae Cathedralis, ad quam Regulares intra eamdem Civitatem constituti sub ritu dup. 2.class. celebrandam tenentur, ultra illius octavam transferri potest ab iisdem Regularibus, si prima dies altiori festo, simulque tota reliqua octava aliis novem lectionum festis impedita sit.

464. Ubi Officium SS. Cordis Iesu celebratur sub ritu dup. mai. concurrentibus secundis vesperis octavae Corporis Christi cum primis vesp. SS. Cordis Iesu, integrae Vesperae recitandae erunt diei octavae Corporis Christi, absque commemoratione Sacratissimi Cordis Iesu. Et utendum colore albo.

465. Concurrentibus primis, aut secundis vesperis festo expectationis partus B. M. V. cum alio festo eiusdem B. V. et sub eodem ritu, in utroque casu Vesperae erunt de praecedenti, nihil de sequenti. Idem dicendum, quando festum B. V. de Mercede concurrit cum alio festo ipsius B. V. et sub eodem ritu.

466. Festum Decollationis s. Ioannis Baptistae, quod die 29 augusti ab universa Ecclesia ritu dup. min. agitur, in posterum celebrandum est sub ritu dup. mai.

467. Non debent Clerici Regulares s. Pauli Civitatis Cherii Officium peragere Dedicationis propriae Ecclesiae, quae non est consecrata. Neque possunt Dedicationem Ecclesiae principalis Cherii celebrare, utpote Cathedralis honore destitutae. Nec tenentur ulla obligatione ad dedicationem Metropolitanae Ecclesiae Taurinen. Quatenus vero laudabilem consuetudinem illam celebrandi retinere velint, eam esse sub eo ritu ab iis faciendam, quo consuevit a duplici secundae classis inclusive.

468. Rubrica breviarii de translatione festorum sub num. 6. et 7., nempe *si omnia fuerint duplicia, fiat de digniori, seu solemniori*, intelligenda est de solemniori quoad ritum, et dignitatem, et non quoad extrinsecam solemnitatem, quae in ordine translationis non est attendenda.

469. Officia Sanctorum ratione insignis Reliquiae recitanda non sunt, nisi constet de identitate corporis, et sint descripti in Martyrologio Romano, vel adsit facultas a s. Sede.

470. Clerus adscriptus alicui Ecclesiae Parochiali, Choro tamen illius non obligatus, nec gaudens beneficio, non tenetur recitare particularia Officia illius Parochiae: potest tamen, dummodo consuetudo ea recitandi fuerit introducta ante Bullam s. Pii V. 1568.

471. Si consuetudo praedicta non fuerit introducta ante cit. Bullam, sed a paucis annis, tunc non poterit praedictus Clerus celebrare praecitata particularia Officia.

472. Attenta excellentia maioris dignitatis Officium s. Iacobi Apostoli Patroni Hispaniarum praeferri debet in occurrentia sanctis aliis Patronis Ecclesiarum particularium, dummodo non sint eiusdem, vel maioris dignitatis.

473. Ad preces serenissimi Caroli Emmanuelis Sardiniae Regis statuitur, ut dominica tertia Septembris celebretur in Ecclesia universali alterum festum dolorum B.M.V. sub ritu dup. mai.

474. Decernuntur quoad hoc festum aliquae notationes, quae videndae erunt potissime sub praesenti num.

475. Ad grati animi reddendum perenne testimonium gloriosissimae Virgini Mariae instituitur a Pio VII peragendum alterum festum tum in Urbe, tum in toto Ecclesiastico Statu eiusdem B. V., sub titulo *Auxilium Christianorum*, die 24. maii, signata eiusdem Pontificis regressu ad Petri sedem.

476. Diruta, et solo aequata Ecclesia dedicata, non amplius tenetur Clerus ad Officii celebrationem de dicta dedicatione.

477. Ubi dedicatio Basilicarum Lateranensis, Vaticanae, et s. Pauli in via Ostiensi fit sub ritu dup. min., in concursu cum festis eiusdem ritus, Vesperae sunt dimidiandae.

478. Regulares etiamsi recitent Officium iuxta ritum Calendarii Cleri Saecularis Civitatis, non tenentur ad recitationem Officii de octava Patroni Loci, vel Titularis principalis.

479. Magister Caeremoniarum, dum munus actualiter exercet, stare debet, secus sedere potest.

480. Occurrente festo duplici primae classis, quod excludat in primis suis Vesperis commemorationem praecedentis habentis conclusionem hymnorum propriam, extra octavam, continuanda non est huiusmodi propria hymnorum conclusio sive in vesperis, sive ad completorium.

481. Adstantibus duabus epactis 25 nec non duabus litteris Martyrologii *F*, quaenam ex duabus adhibenda sit in editione Calendarii videatur potissime sub praesenti num.

482. 483. 484. 485. Petentibus Decanis, Capitulis, Abbatibus, et Fratribus (recitare solitis Matutinum vel media nocte, vel ante solis ortum) ut a S. Rit. C. quibusdam anni temporibus ex gravissimis causis, nempe ob nimia eorum locorum frigora, sive quia Chorum ituris transeundum est per loca sub dio existentia imbribus, ac frigori exposita, vel etiam quia est causa multarum infirmitatum, ipsis concedatur facultas praedictum Matutinum recitandi pridie vespere post Completorium, ipsis respondetur *Negative* sub die 10 ianuarii 1597 *in Calaguritana, in Mirandensi, in Segorbiensi, et in Valentina*. Et revera: sive Matutini, sive Laudum feriales hymni, ut videre est in Breviario, vel ad adultam noctem, vel ad auroram referuntur, nunquam vero ad serotinum tempus. Quod etiam indicat ipsamet *Matutini* nomenclatio.

486. Festum s. Ioachim in concurrentia alterius officii pertinet ad classem Confessorum.

487. Matutinum Nativitatis Dominicae dicatur summo mane si adsit impedimentum illud cantandi in nocte.

488. In regno Galliarum festa abrogata celebranda sunt in Dominica, quae proxime subsequitur festum.

489. Sancti titulares Capellarum publicarum non habent officium 1. classis cum octava.

490. Clerici Paroeciae addicti nequeunt celebrare officium Dedicationis alicuius Ecclesiae sitae intra limites paroeciae ipsius.

491. Officia affixa alicui diei, si haec sit impedita, debent omitti.

492. Officium quod certa die celebratur in una dioecesi si ad aliam extendatur, nequit celebrari eadem die removendo officium Ecclesiae universalis.

493. Civitates et Oppida possunt continuare celebrationem Patroni dioecesis.

494. Quando duo vel plures privatim officium persolvunt, possunt recitare *Confiteor* ut in Breviario.

495. In recitatione divini officii sive publica sive privata, serventur rubricae.

496. Preces feriales, et antiphonae finales B. M. V. debent recitari in choro flexis genibus.

497. Alia dubia circa genuflexionem pro Antiphonis finalibus praedictis.

498. In concurrentia diei octavae alicuius festi D. N. I. C. serventur decreta.

499. Si in primis Vesperis omittatur hymnus proprius quibusdam officiis assignatus, potest uniri hymno etiam proprio vel Matutini vel Laudum, dummodo hymni praedicti sint historici.

500. Orationes in hoc decreto notatae nequeunt concludi cum verbis *in unitate eiusdem Spiritus*.

501. Beneficiarii qui degunt in aliena dioecesi, debent recitare officium propriae Ecclesiae: simplices vero Sacerdotes possunt se conformare officio loci ubi morantur.

502. Conclusio propria hymnorum ad Completorium, et per horas recitatur tantummodo in festis Domini, et B. M. V.

503. In officio feriali tempore Adventus Antiphonae maiores intonandae sunt ab Hebdomadario.

504. Reprobatur consuetudo quantumlibet immemorabilis legendi Laudes in nocte Nativitatis Domini.

505. Serventur rubricae circa standum, sedendum vel genuflectendum in choro.

506. Officia affixa aliquibus diebus, si hae sint impeditae, sunt omittenda non obstante contraria consuetudine.

507. Sacerdotes qui cantant homilias in matutino, nequeunt adhibere stolam diaconalem.

508. Si in die octava festi B. M. V. occurrat aliud officium eiusdem B. M. V. ritus dupl. mai. faciendum est de octava.

509. Hebdomadarius nequit induere stolam.

510. Non satisfaciunt chori obligationi, qui recitant Sextam et Nonam tempore Missae conventualis.

511. Traditur methodus pro Responsoriis in quibus duo asterisci reperiuntur.

512. In consecratione Ecclesiae officium dedicationis incipere debet post peractam consecrationem.

513. In celebrandis vigiliis pro consecratione Altaris observanda est dispositio Pontificalis Romani.

CAPUT VII. — DE BENEDICTIONIBUS

514. In Benedictione solemni Palmarum, si celebretur absque Diacono, et Subdiacono, canendum est Evangelium in cornu Epistolae.

515. *Pro die 2 Februarii.* Celebrans dum accipit a Digniore suam candelam, stare debet in suppedaneo, dignior vero infra. Canonici, dum accipiunt candelam, non tenentur genuflectere, nec osculari manum Celebrantis: ita neque Superior Ecclesiae, si in casu non benedicat ipse candelas.

516. Superiores Conventuum habentes privilegium benedicendi vestes sacras, reconciliandi coemeteria, et similia, dicto privilegio uti non possunt, nisi in his rebus, in quibus sacra unctio non adhibetur, et pro servitio dumtaxat Ecclesiarum propriarum.

517. Aqua benedicta singulis saltem hebdomadis renovetur.

518. Parochi qui ante fontis benedictionem Olea sacra recipere non potuerunt, illa subinde privatim, et separatim in aquam mittere possunt.

519. Benedictio publica sacrarum Cinerum prima die Quadragesimae facienda est post Nonam.

520. Ubi populus laboriosis operibus intentus solemnis Cinerum Benedictionis tempus expectare nequeat, poterunt per aliquem Sacerdotem privatim Cineres benedici, ut pro temporis opportunitate votis populi satisfieri possit.

521. In aquae lustralis benedictione adhiberi potest sal iam exorcizatum, et in hunc usum servatum.

522. Aspersio aquae benedictae in Dominicis diebus fieri debet per Celebrantem, et non per alium. (*iam dicta sub num.* 6.)

523. Oratoria privata numquam benedicuntur ritu praescripto in Rituali Romano pro publicis Oratoriis.

524. Cruces Altarium, seu Processionum non sunt benedicendae de praecepto, possunt tamen a simplici Sacerdote benedici private, et non solemniter.

525. Post aliquam sacrae Crucis expositionem, vel processionem benedicendus est populus cum ipsa.

526. Campanae pro indicandis horis non sunt benedicendae nisi in casu, quo pulsentur etiam pro sacris actionibus.

527. Benedicendus est populus cum Reliquiis Sanctorum in fine singularum Processionum, si adsit usus.

528. Si mulier (quae vult nubere) est vidua, non solum debet omitti benedictio Nuptiarum, sed etiam Missa propria.

529. Datur facultas Episcopo Astensi consecrandi Ecclesiam Loci Villefranchae, licet circumdari undique non possit.

530. Datur facultas Vicario Capitulari reconciliandi Ecclesias sive consecratas, sive non, in quibus stationes fecerunt Militiae.

531. Quodam Episcopo improviso accidenti correpto, dum quamdam Ecclesiam consecraret, sed antequam Cruces inunctae fuerint, ab alio Episcopo de novo, et a principio inchoanda, et continuanda est praedicta consecratio.

532. Benedictio cum Indulgentia Plenaria iuxta Const. Benedicti XIV *Pia mater* impertienda est pueris, qui defectu aetatis primam Communionem nedum instituerunt.

533. In Ecclesiis Regularibus Parochialibus, functiones principales, veluti Benedictiones Candelarum in festo Purificationis, Cinerum, Palmarum, et functiones hebdomadae maioris pertinent ad Fratres, imo etiam benedictio Fontis Baptismalis, in qua tamen praesens aderit Parochus: nec possunt in ultimo triduo ultra solemnem dicere Missam privatam.

534. Benedictio aquae in Sabbato Sancto sine infusione Olei Sancti fieri non potest in Ecclesiis non habentibus Fontem Baptismalem.

535. In expositione SS. Sacramenti, cantatis versiculis *Panem de Coelo*, Sacerdos ministrans insurgens non debet reiterare genuflexionem, antequam recitet orationes.

536. Datur facultas Episcopo subdelegandi facultatem benedicendi omnia quaecumque ad divinum cultum spectantia, in quibus sacra unctio non adhibetur.

537. Praelati Regulares omnia, et singula suorum Ordinum Ecclesias, Coemeteria, Capitula, et Oratoria ubicumque existentia tam recepta, quam recipienda solemni benedictione benedicere valent.

538. Quoad aspersionem et incensationem candelarum cinerum et palmarum servandae sunt rubricae, et praxis communis.

539. Benedictio aquae baptismalis peragi queit in vase separato a fonte baptismali: Benedictio papalis impertienda ab Episcopis statutis temporibus non potest subrogari benedictioni dandae in fine Missae.

CAPUT VIII. — DE PROCESSIONIBUS

540. Genuflectendum est in Processionibus, quae fiunt per Ecclesiam, dum transitur ante Altare SS. Sacramenti, non obstante quacumque in contrarium consuetudine.

541. Non licet non habentibus usum pluvialis, in die, et infra octavam Corporis Christi peragere Processionem cum SS. Sacramento sine pluviali, non possunt tamen cogi quoad expositionem.

542. In Processione SS. Sacramenti non toties pausatio fiat, et benedictio elargiatur quoties Altaria occurrant, sed semel tantum, vel iterum.

543. Canonicus deferens SS. Sacramentum in processione debet incedere indutus pluviali, nec sufficit simplex stola super cappam.

544. In Processionibus SS. Sacramenti occasione XL Horarum debent Regulares incedentes ante Sacramentum in occursu, et transitu genuflexionem facere, dummodo in transitu videatur.

545. In Processionibus, quae fiunt per Ecclesias, si occasione Missae fiat elevatio SS. Corporis Christi, genuflectendum est unico genu a transeuntibus ante Altare, ubi Missa

563. Minores Conventuales debent in Processionibus incedere separatim sub propria Cruce, et nullo modo mixtim cum Observantibus.

564. Non licet Canonicis Regularibus in publicis processionibus deferre eorum Crucem discoopertam, sicut defert Clerus Saecularis, sed debent eorum Crucem deferre in dictis processionibus cum velo, vel pallio appenso, sicuti deferunt omnes Regulares.

565. Non licet Ecclesiae Collegiatae in processionibus, in quibus intervenit Capitulum Cathedralis, deferre propriam Crucem.

566. Nihil statuitur in causa Nobilium faeminarum communitatis Strambini Eporediensis Dioecesis, praetendentium in processionibus incedere immediate post viros Nobiles.

567. Licitum est Capitulo Ecclesiae Cathedralis in adoratione SS. Crucis in feria 6. maioris Hebdomadae incedere cappis extensis usque ad talos: minime vero in processionibus Poenitentiae, et in associatione Cadaverum Concapitularium, et Episcopi Ordinarii.

568. In Processione SS. Sacramenti, dum transitur ante Altare, in quo est in Tabernaculo SS. Sacramentum, non fit genuflexio, quia ipsummet defertur, et omnes sunt in actuali Sacramenti servitio, et adoratione.

569. Beatorum Reliquiae in processionibus minime circumferantur. Possunt tamen exponi in Altari.

570. Non sunt ullo modo cogendi Monachi accedere nisi ad Processionem SS. Sacramenti.

571. Nec minus in die octava Corporis Christi, sed solum in ipsa die.

572. Servanda est dispositio Caeremonialis Episcoporum, ut nempe in Processionibus ante Regulares incedant Confraternitates Laicorum, quos sequantur iidem Regulares: postremo digniorem locum obtineat Clerus Saecularis.

573. Ubi Processio pro Litaniis maioribus dirigitur, et terminatur ad Ecclesiam s. Marco dicatam, Missa celebranda est de s. Marco.

574. Regulares in publicis Processionibus non possunt prohiberi, quin incedant sub propria Cruce, etiam per limites alterius Parochiae.

575. SS. Eucharistiae Sacramentum non Sacerdotum humeris, sed manibus tantum illius, qui solemniter celebravit, est deferendum.

576. In Processione SS. Corporis Christi, quando Archiepiscopus intervenit cum Cappa, debet intortitium sibi per Ministrum deferri facere. Canonici vero in huiusmodi Processione tenentur funalia, seu intortitia deferre.

577. Processiones edicere, decernere, et dirigere pertinet ad Archiepiscopum, de consilio tantum Capituli, non autem de consensu.

578. Decretum generale super Regularibus de Processionibus videatur potissime sub praesenti num.

579. Regulares tenentur ad Processiones, quae fiunt ob publicam causam.

580. Occurrente tertia dominica mensis (in qua fieri solet Processio SS. Sacramenti) in Dominicis Adventus, et Quadragesimae, Missa cantanda est de Dominica, cum commemoratione SS. Sacramenti, cum paramentis dictae Missae coloris convenientis, quo colore etiam uti possunt in Processione: sed albo utendum super humeros velo.

581. Numquam licet Sanctorum Reliquias processionaliter deferre sub Baldachino permittitur tamen sub Baldachino deferri lignum SS. Crucis, aliaque instrumenta Dominicae Passionis, dummodo id fiat seorsim, et distinctim a Sanctorum Reliquiis.

582. Deferens Crucem, dum transit ante SS. Sacramentum, genuflectere non debet.

583. In Processionibus, in quibus defertur solemniter SS. Sacramentum, Thuriferarii cum thuribulis fumigantibus incedere debent facie, non dorso, ad Sacramentum semiversa.

584. In feriis Rogationum et in Litaniis maioribus si fiat processio in Ecclesiis in quibus quotidie Missa non cantatur, Missa de feria legenda erit, secus de festo cum commemoratione earum.

585. Probatur usus Ecclesiae Pisanae deferendi praeter Cereum paschalem alios duos minores Cereos in processione ad fontem, et per octavam Paschae.

586. Missa de feria canenda est die s. Marci in Ecclesia in qua completur Processio, nisi Ecclesia in honorem s. Marci sit dicata.

587. Non licet deferre Statuam vel reliquiam Patroni sub umbella non obstante vetustissima consuetudine.

CAPUT IX. — DE PRAEEMINENTIIS, ET HONORIBUS

§. I. *De Episcopis*

588. Liber Caeremonialis Episcoporum non tollit laudabiles consuetudines, et hoc decretum habet locum per totum Christianum orbem.

589. Praecedentia inter Episcopos desumitur a tempore electionis, seu promotionis ad Episcopatum facta a Summo Pontifice in Consistorio.

590. Tenentur Canonici Cathedralis Salutiarum capitulariter, et cum habitu canonicali excipere, comitari, et reducere Episcopum, quotiescumque accedit cum cappa ad Ecclesiam.

591. Idem statutum est in causa Metropolitanae Taurinensis non solum quando Archiepiscopus pontificaliter, sed etiam cum cappa indutus sit.

592. Episcopus in publicis processionibus non inter Dignitates, sed solus incedere debet. Et quando defertur Imago, post Imaginem, seu Reliquiam incedere debet, nisi adsit consuetudo in contrarium.

593. Regulares promoti ad Episcopatum debent uti cappa Pontificali coloris propriae Religionis.

594. *In causa Fossanensi:* Canonici Cathedralis compelli possunt ab Episcopo etiam sub censuris ad ipsum associandum a Palatio ad Ecclesiam pergentem, et ab Ecclesia ad Palatium redeuntem, nec non circa assistentiam in Missis, quae ab eodem privatim in Cathedrali celebrantur.

595. *In causa Bobbiensi:* Tenentur Abbas, et Monachi s. Columbani Cassinenses occasione processionis Rogationum excipere Episcopum ad eorum Ecclesiam pergentem, iuxta consuetudinem cum suis Antecessoribus servatam.

596. Licet Episcopo in quacumque Ecclesia, etiam Regularium suae Dioecesis, erigere Baldachinum, praesertim quando personaliter interest functionibus Ecclesiasticis, sive dum habetur sacra Concio.

597. Non licet Episcopis Regularibus gestare habitum Cardinalitium sericum.

598. *In causa Niciensi:* De Presbyteris assistentibus Episcopo, an possint tenere in capite pileolum vulgo *berrettino*, videatur potissime sub praesenti num.

599. Idem quaerendum de pileolo Canonicorum Cathedralis Alexandrinae, et videndum etiam potissime sub praesenti num.

600. Archiepiscopus Regularis non potest uti Rocchetto, et pileolo violaceo, et fasciis violaceis in eius pallio.

601. Aspersorium Episcopo ad Ecclesias Civitatis, vel Dioecesis accedenti per Rectorem Ecclesiae est porrigendum.

602. Prima Dignitas semper esse debet Presbyter assistens, sive quando Episcopus Missam, et Vesperas solemniter celebrat, sive quando benedicit Candelas, Cineres, et Palmas, ita ut dignior Canonicus post Dignitates debeat tantum esse Presbyter assistens Episcopo non celebrante, sed Vesperis, aut Missae solemni per alterum cantatae praesente.

603. De iuribus Episcopi Administratoris amovibilis Ecclesiae vacantis videatur sub praesenti num.

604. Coadiutores Episcoporum cum futura successione in Synodo Provinciali sedeant iuxta tempus eorum promotionum.

605. Iura Episcopi in Ecclesia exempta, nec non Abbatis saecularis in propria Collegiata Ecclesia videantur potissime sub praesenti num.

606. Potest Archiepiscopus aperire facere parvam fenestram, quae ex aedibus suis in Ecclesiam respiciat, pro usu tamen, et persona ipsius Archiepiscopi tantum.

607. Archiepiscopi, et Episcopi non possunt esse iudices ad declaranda dubia super sacris Ritibus, et Caeremoniis exorta.

608. Pro una vice tantum, et de speciali gratia, attenta Episcoporum penuria, conceditur Archiepiscopo Goan. in Indiis orientalibus facultas consecrandi in Episcopum Fratrem Dominicum, Ord. s. Augustini cum assistentia duarum Dignitatum Ecclesiae Goan. loco duorum Episcoporum.

609. Si quis Canonicus habuerit dignitatem, seu Ordinem Episcopalem cum retentione Canonicatus praecedit omnes alios Canonicos etiam ipso in Canonicatu anteriores, et digniores.

*

624. Consuetudo, qua Canonici Ravennatenses in associatione Archiepiscopi ab eius aula ad Ecclesiam incedunt post eius Crucem immediate ante ipsum, non potest in casu sustineri, sed servetur Caeremoniale Episcoporum.

625. Dum Episcopus Suffraganeus assistit Concioni, Praedicatoris salutatio ei prius dirigi debet, distincte ab illa Canonicorum, et Magistratus Saecularis, quatenus sedeat in Presbyterio.

626. Episcopus quando debeat manu benedicere Canonicis vide sub praesenti numero.

627. Episcopus tenetur ad applicationem Missae pro populo post adeptam possessionem.

628. Praescribitur formula Professionis Fidei ab Episcopo aegrotante emittendae.

629. De Privilegiis, quibus Episcopi, Titulares praesertim, gaudent relate ad Missae celebrationem, dum in propria, vel aliena Dioecesi peragrantur, videatur potissime sub praesenti num.

630. Statuitur regula, ab Episcopo titulari qui Canonicatu fruitur in Cathedrali vel collegiata Ecclesia servanda.

§. II. *De Vicariis Generalibus*

631. Vicario Generali dabitur locus, quem habere solet pro consuetudine diversarum Ecclesiarum.

632. Missae solemnes, et aliae functiones, quae ad Episcopum pertinent, ipso absente non ad Vicarium Generalem, sed ad Dignitates, et Canonicos eiusdem Ecclesiae spectant successive.

633. Vicarius Generalis, si sit Canonicus, cum Canonicis in loco suo debet incedere: et quatenus tamquam Vicarius funera Defunctorum associare voluerit, nihil lucrabitur de cera seu aliis distributionibus, quae dantur.

634. Vicario Generali in habitu Vicariali debetur praecedentia supra Dignitates, et Canonicos tam praesente, quam absente Episcopo, dummodo Dignitates, et Canonici non sint sacris vestibus induti.

635. Vicarius Generalis debet praeferri Praeposito, et aliis omnibus de Capitulo in omnibus actibus publicis et privatis, tam praesente, quam absente Episcopo.

636. Vicarius Generalis Episcopi in Choro, in Ecclesia, et ubique praecedere debet omnibus Canonicis, et Dignitatibus.

637. Vicarius Generalis, si sit unus ex Participantibus, in Ecclesia in habitu ecclesiastico debet sedere in loco suae receptionis, ut lucretur distributiones.

638. Vicario Generali non competit pulvinar et stratum, neque honorifica associatio Clericorum et Beneficiatorum.

§. III. *De Vicariis Capitularibus*

639. Functiones Episcopales non ad Vicarium Capitularem pertinent, sed ad primam Dignitatem Capituli.

640. Praecedentia debetur Vicario Capitulari supra omnes de Capitulo, excepta prima Dignitate, vel alio repraesentante Capitulum.

655. Cappas, seu Pluvialia Canonicis ministrare debent Capellani capite detecto iuxta solitum.

656. Omnes Ecclesiae Metropolitanae, Cathedrales, et Collegiatae librum Caeremonialem in omnibus ad unguem servare debent, praeter quam in illis, quae de antiqua, immemorabili, et laudabili consuetudine alio, vel diverso modo ab eo, quo in Caeremoniali praescribitur, observantur.

657. Disposita in tertia parte Pontificalis de porrigendo Praelato, vel Legato processionaliter ingredienti aspersorium a maiori dignitate non habet locum in Canonico digniori Cathedralis processionaliter ingredienti, ut puta in Litaniis.

658. Praepositus Cathedralis absente vel impedito Episcopo, distribuens Palmas laicis, stare debet capite detecto.

659. Servetur solitum in Ecclesia Niciensi, ut, celebrante Praeposito pro Episcopo absente, vel impedito, ultra Diaconum, et Subdiaconum habeat etiam Capellanum assistentem cum Pluviali, prout alias pro Ecclesia Mantuana mandatum est.

660. Canonicis uti singulis nulla debetur praecedentia, aut praerogativa.

661. Dignitatibus Ecclesiae Cathedralis Vercellensis habentibus usum Mitrae, dum illa utuntur in solemnioribus diebus, absente Episcopo a Choro, Capellani, seu Ministri inferiores tenentur ministrare de Mitra, non Canonici.

662. A Canonicis cum habitu Canonicali non est excipiendus, et associandus Episcopus, nisi sit cappa indutus, et tunc satis est, ut per Canonicos excipiatur ad portam Ecclesiae.

663. Praeposito Capituli Cathedralis in processionibus debetur Candela maioris ponderis, et in distributione Palmarum distincta, et honorabilior.

664. Praepositus Capituli Cathedralis tenetur per se ipsum, quando non est legitime impeditus, servare hebdomadam in Choro, et canere Missas per turnum cum ceteris Canonicis.

665. Canonici tenentur associare Episcopum etiamsi palatium distet biscentum passibus ab Ecclesia.

666. Canonici assistentes non debent ponere vel deponere biretum Episcopo Divinis interessenti cum cappa.

667. Debetur Episcopo assistentia Canonicorum, dum habet sacras ordinationes.

668. Canonici assistentes Episcopo de manu eius biretum recipere debent.

669. Canonici habentes usum cappae tempore congruo superpelliceum induere possunt.

670. Thuriferarius nequit genuflectere Canonico celebranti.

671. Dum Pontificalia exercet Episcopus, Canonici qui ei inserviunt in Solio, sedere debent super scabella nuda.

672. Ratione paramentorum possunt iidem caput operire.

673. An Canonicus concionator genuflexus petere debeat benedictionem ab Episcopo? Responsum fuit servandum esse Caeremoniale.

674. In actu benedictionis cum SS. Sacramento, Canonici qui assistunt Episcopo, debent permanere genuflexi.

675. An Canonico Celebranti liceat pulvinar coram Episcopo adhibere? Vide responsionem S. C. sub hoc numero.

676. In associatione Episcopi servanda est adamussim dispositio Caeremonialis, non obstante quavis immemorabili consuetudine.

677. Canonici, quibus indultum est deferre mozzettam, eo habitu possunt verbum Dei in propria Ecclesia annunciare, minime vero eo uti possunt in Sacramentorum administratione.

678. Possunt tamen in Sacramentorum administratione supra rocchettum superpelliceum adhibere, si his vestibus utantur in Choro tempore aestivo.

679. Canonicus Celebrans cui pro Ministris inserviunt Beneficiati, debent omnes in eadem mensa sacras vestes assumere.

680. Episcopo extra Cathedralem, atque etiam privatim Ordinationes habenti, tenentur Canonici assistentiam praestare.

681. Tenentur quoque eumdem associare in accessu ad Ecclesiam Cathedralem cum sacras functiones explet.

§. V. *De Collegiatis*

682. Ille Canonicus debet praecedere, qui prius tamquam Presbyter praecedentiam habuit, licet Canonici Diaconi postea facti sint Presbyteri.

683. Prior Collegiatae, dum in Cathedrali simul cum illius Dignitatibus, et Canonicis interest, duplici ductu thurificandus est.

684. Ecclesia erecta ab Episcopo in Collegiatam absque confirmatione Sedis Apostolicae non potest frui praerogativis Ecclesiae Collegiatae. Si tamen Collegiata fuerit antiquitus auctoritate Apostolica instituta, ac deinceps, nulla secuta canonica suppressione in vim temporalium vicissitudinum ipsa cessante, erecta postea videatur auctoritate Ordinaria, secus esset dicendum. Numerus autem trium Canonicorum congruus est ad Collegiatam constituendam.

685. Canonici Collegiatae capitulariter convenientes in Ecclesia Parochiali occasione festivitatum, aut funeralium habere debent praecedentiam supra omnes alios praeter Celebrantem solemniter, aut Officium facientem.

686. Supplicantibus Canonicis cuiusdam Collegiatae, ne Regulares audeant pulsare campanas pro Salutatione Angelica, nisi prius dato signo per Ecclesiam Collegiatam, S. Rit. C. respondit: *Nihil.*

687. Absente vel impedito Decano, seu Primo de Capitulo, Missarum solemnium celebratio spectat ad secundum de Capitulo.

688. Capitulum, et Canonici Collegiatae praeferendi sunt in omnibus Parocho Ecclesiae Matricis. Velut etiam occasione Synodi.

689. Si Parochia sit unica in loco, et collegiata Ecclesia animarum cura omnino careat, sunt etiam Canonici praeferendi. Item in funeribus, si Capitulum intervenerit, deferenda est unica Crux Collegiatae.

690. In Ecclesiis Collegiatis, absente, impedito, vel nolente Praeposito, functiones Ecclesiasticae spectant ad Canonicos digniores ordine successivo.

691. Canonicis Ecclesiae Collegiatae Montis-Callerii accedentibus processionaliter ad Ecclesiam Beatae M. de Testona, aqua lustralis danda est per Monachum Sacerdotem, seu Clericum cotta indutum per aspersionem, Sacerdoti vero pluviali induto per contactum. Nec licet Capitulo in ingressu Ecclesiae canere *De profundis*, et *Libera me, Domine.*

692. Intervenientibus Canonicis insignis Collegiatae Ecclesiae s. Gaudentii Civitatis Novariae una cum Canonicis Ecclesiae Cathedralis in functionibus Pontificalibus, ipsis debetur thurificatio ab eodem Ministro, sed unico ductu. Et idem servandum in dando osculo pacis.

Aliter statutum fuerat in Fundana dubiorum, nempe Canonicos Collegiatae thurificandos esse duplici ductu, dum in Cathedrali Divinis Officiis assistunt.

693. Prima Dignitas insignis Collegiatae, qui adhuc non est Sacerdos in Benedictione Candelarum, et Palmarum ministrare debet Sacerdoti celebranti Candelam et Palmam, seu facere debet Officium Dignioris.

694. Tres ex Canonicis sub Cruce Capituli associantes funus repraesentant totum Capitulum, ad effectum habendi praecedentiam supra omnes alios funus associantes.

695. Quoad iura Parochialis Ecclesiae Bennarum adversus Capitulum Collegiatae eiusdem Oppidi, videantur potissime sub praesenti num.

696. Accedente Episcopo Novariensi cum Capitulo Cathedralis ad Pontificalia exercenda in Ecclesia s. Gaudentii, quoad porrectionem aspersorii ad ianuam Ecclesiae spectat ad Capitulum Collegiatae, quoad associationem vero eiusdem Episcopi circumcirca lateraliter usque ad Altare pertinet ad Capitulum Cathedralis.

697. In Processionibus, ceterisque functionibus Ecclesiasticis, quae fiunt in Cathedrali Ecclesia, accedente Capitulo Collegiatae, et Seminario, si Capitulum Collegiatae accedat sub propria Cruce, tunc praecedentia debetur Seminario accedenti sub Cruce Cathedralis; si vero Collegiata accedat sub Cruce Cathedralis, tunc praecedentia spectat ad ipsum Capitulum Collegiatae.

698. Collegiata Belvederii in Dioecesi Senogallien. praecedere non debet Ecclesiae Parochiali s. Petri eiusdem loci; licitum est tamen praedictae Collegiatae exercitium functionum consuetarum, dummodo non turbetur exercitium functionum propriarum praefatae Parochiae s. Petri.

699. In Collegiata, cum in Choro adsunt Beneficiati Sacerdotes, unus in Minoribus constitutus implere non potest onus suae hebdomadae in decantandis Horis Canonicis, vertendo versum *Dominus vobiscum* in *Domine exaudi orationem meam.*

§. VI. *De Coadiutoribus.*

feriores, vel Canonicos eiusdem Ecclesiae pertinet illas functiones, et actus exercere, quas faceret, et exerceret ipse Archidiaconus, si praesens esset.

§. VII. *De Protonotariis Apostolicis Titularibus*

Omittitur hic etiam brevi calamo quae sub numeris 708. 709. 710. 711. 712. 713. 714. 715. dicta sunt in corpore de Protonotariis Apostolicis honorariis, utpote in plurimis revocata per decretum S. Rit. C. sub die 27 aprilis 1818. Quod decretum (sub num. 716) nec etiam hic proditur, ut in suo toto numeris omnibus contempletur. Itaque:

§. VIII. *De Parochis, et aliis de Clero Saeculari*

717. Tam in Processionibus, quam in funeralibus, et quibuscumque aliis actibus publicis Clerus Saecularis praecedit quoscumque Regulares tam Monachos, quam Fratres cuiuscumque Ordinis. Quae praecedentia omnino debetur Clero Saeculari etiam in propriis ipsorum Religiosorum Monasteriis, et Ecclesiis. Excipiuntur in Regularium Ecclesiis Religiosi parati una cum celebrante.

718. Circa ordinem praecedentiae inter Vicarios perpetuos Ecclesiarum Parochialium debent inter se praecedere secundum ordinem receptionis, non autem secundum ordinem maioris dignitatis Ecclesiarum, quarum curam exercent.

719. Seminarium non est membrum Ecclesiae Cathedralis, et propterea debet in publicis processionibus generalibus anteire, et cedere locum digniorem Curatis, Canonicis, et Clero Ecclesiarum Parochialium, et Collegiatarum, iuxta formam Caeremonialis.

720. In processionibus, aliisque similibus actibus praecedentia competit Seminario supra Clericos adventitios in eadem Ecclesia non praebendatos.

721. Nulla debetur praecedentia Vicariis foraneis ratione dicti Vicariatus, non obstante consuetudine contraria.

722. Functiones solemnes in Ecclesia simplici intra fines alicuius Parochiae existente non ad Archipresbyterum, aut ad Curatum, intra cuius fines Ecclesia existit, sed ad Rectorem ipsius Ecclesiae simplicis pertinent.

723. In praecedentiis Parochorum attendenda est antiquitas, et dignitas Eccl. Parochialis, non autem ipsorum Parochorum.

724. Sacerdos provisus de beneficio simplici extra Collegiatam praecedit Sacerdotibus simplicibus antiquioribus. Nec laurea Doctoralis sive in utroque iure, sive in Theologia confert praecedentiam contra dictos antiquiores in Ordine.

725. Praecedentia debetur indistinctim Sacerdotibus in Ordine antiquioribus, etiam supra Capellanos in Ecclesia Parochiali eiusdem loci in Ordine recentioribus.

726. In causa vertente inter Beneficiatos Metropolitanae Ecclesiae Taurini, et Parochos dictae Civitatis: *In Processionibus, quae fiunt cum interventu Capituli, praecedentia debetur Beneficiatis.*

727. Sacerdos Beneficiatus in Ecclesia, in qua nulla adest Collegiata, habet praecedentiam in functionibus Ecclesiasticis, tam in sessione, quam in incessu supra alios Sacerdotes simplices etiam primo ordinatos in Ordine Sacerdotali, et antianos.

728. Non licet Parocho porrigere propriis manibus aspersorium aquae benedictae Baroni Loci, et eius uxori, dum Divinis intersunt.

729. Non potest Parochus ingredi Ecclesias Regularium cum Stola et Cruce, ibique Officium, et functiones peragere.

730. Abbati perpetuo Congregationis Lateranensis cum omnibus privilegiis Abbatibus competentibus, facto Parocho Loci Neyve, non conceditur, secuta dictae Congregationis suppressione, uti Abbatialibus privilegiis, sed tantum usus mozzettae ad instar aliorum Parochorum.

731. Clericis Saecularibus alumnis Patrum Societatis Iesu, utpote pars Cleri, cum quo coniunctim in publicis Processionibus incedere debent, super Regulares praecedentia competit.

732. Munia Parochialia exerceri non possunt, invito Parocho, nisi per ipsum Parochum.

733. Ubi adsunt in eodem Oppido plures Parochi, debent in publicis functionibus collegialiter incedere, nec potest Praepositus in his peragendis substituere suum Vice-Curatum, vel alium, sed, Praeposito deficiente, competit tale ius Parocho qui ei succedit, et sic de ceteris.

734. Inter plures Ordinatos ad Presbyteratum eodem tempore, ab eodem Episcopo, ille praeferendus est, qui prius descriptus, vocatus, et ordinatus fuit, non autem qui prius Missam celebravit.

735. Nequeunt simplices Sacerdotes Missam solemnem celebrantes, sub praetextu immemorabilis consuetudinis, ultra Diaconum, et Subdiaconum adhibere Presbyterum sibi cum Pluviali assistentem.

736. In omnibus functionibus Ecclesiasticis Seminario competit tantum praecedentia supra Clericos in Minoribus constitutos, et adventitios.

737. Parochi stola uti debent tantummodo in Sacramentorum administratione.

738. Professores Seminarii nequeunt efficere unum corpus cum Clericis Seminarii eiusdem.

739. Non pertinet ad Parochum celebratio quarumdam functionum ad Capellanum alienae Ecclesiae spectantium.

740. Praecedentia in funeribus competit illi Presbytero, quisquis is sit sive Parochus sive Canonicus, qui stolam defert.

741. Sacerdos simplex potest canere Missam in Ecclesia parochiali de licentia Parochi, in succursalibus de licentia Rectoris.

§. IX. *De Regularibus, et Sanctimonialibus*

742. Quoad praecedentiam inter Fratres Ordinis Carmelitanorum, et Minores Observantiae in Terra Persicae, Ugenti-

nae Dioecesis, affertur Bulla Gregorii XIII, in qua disponitur, quod priores in Loco debent praecedere.

743. Antianitas Regularium desumitur ab erectione propriae Crucis in tali loco.

744. Monachi semper, et ubique supra Mendicantes habent praecedentiam.

745. Minoribus de Observantia Reformatis, ex quo iverunt ad habitandum in Monasterio Cemellensi antiquo, in quo soliti erant manere PP. Minores Observantes eiusdem Regulae professores, ideo tribuitur praecedentia supra Minores Capucinos Conventus s. Bartholomaei.

746. Monialis prius professa, licet postea recepta, praecedere debet prius receptam, et postea professam.

747. Non licet Abbatissis sive s. Clarae, sive s. Benedicti adhibere baculum Episcopalem in Choro, sed neque in earum decessu eum aptare in manibus, vel prope apponere.

748. Prohibetur omnibus Monialibus usus baculi Pastoralis, ac in Imaginibus s. Clarae pingere Pastorale.

749. Competit praecedentia Capucinis uti antiquioribus in Loco supra Fratres Minimos s. Francisci da Paula; et Familia novi Conventus subrogati loco antiqui iis omnibus privilegiis gaudet, quibus antiqui Conventus familia ipsa fruebatur.

750. Ius benedicendi, et distribuendi Candelas, Cineres, et Palmas, quae dandae sunt Monialibus, competit Confessario ipsarum Monialium.

751. Patres Congregationis Oratorii s. Philippi Nerii in America tenentur intervenire sacris supplicationibus, quae fiunt ordinarie infra annum, vel extraordinarie aliqua urgente causa, in quo casu incedere debent cum superpelliceo, et bireto, et praecedentiam habent supra Regulares.

752. Non licet Regularibus pulsare eorum Campanas die Jovis Sancti post silentium illarum Parochialis, et die Sabbati ante earumdem pulsationem.

753. Abbates Dioecesani habentes usum Mitrae, et Baculi, convenientes cum Capitulo Cathedralis, habebunt locum condecentem, dummodo non sit supra, nec inter Canonicos.

754. In processionibus fieri solitis a Regularibus, in quibus intervenit Capitulum Ecclesiae Collegiatae, Religiosi parati debent incedere unitim cum Celebrante.

755. Fratribus Minoribus Observantiae, qui, cesso Fratribus Reformatis antiquiori Conventu, in alterum recentioris erectionis se receperunt, uti antiquioribus in Loco controversiae debetur praecedentia supra Reformatos.

756. Praecedentia in Processionibus, et aliis Ecclesiasticis functionibus debetur Fratribus Minoribus Observantibus Reformatis degentibus in antiquo conventu SS. Salvatoris, non autem Minoribus Observantibus de familia degentibus in Conventu Pietatis, non obstantibus Decretis in contrarium editis.

757. Tenentur Clerici Regulares s. Augustini obviam ire,

et recipere Processionem Episcopi cum Capitulo suae Cathedralis in die festo s. Isidori, et Litaniarum maiorum, vel publicam aliquam ob causam, vel si viget consuetudo. Insuper tenentur in transitu Processionis campanas eorum Ecclesiae pulsare, et partem viarum eis tangentem tergere, et praeparare, in praefatis diebus tantum, et ob narratas causas.

758. Potest Abbas s. Petri de Eugubio Congregationis Montis Oliveti cum suis Monachis absque licentia Episcopi facere Processionem, deferendo per civitatem SS. Sacramentum, praesertim cum eorum Ecclesia sit curata, sed absque aliis Religiosis, et dummodo non exeat limites Parochiae.

Item potest, dum pontificaliter celebrat in sua Ecclesia, populo solemniter benedicere, sed non in praesentia Episcopi.

Tertio: In processionibus,quae fiunt per civitatem, non potest dictus Abbas deferri facere coram se Mitram, et Pastorale, cum iis extra suam Ecclesiam et Conventum uti non possit.

759. Abbas benedictus cum bireto dumtaxat, et postea auctoritate Apostolica factus Abbas cum usu Mitrae, non indiget alia benedictione, sed potest per se Mitram, et alia insignia et indumenta capere.

760. Per decretum S. Rit. C. locum non habet Romae, et in eius districtu Bulla Gregorii XIII, quoad praecedentiam inter Regulares.

761. Non possunt Regulares molestari a Parochis, ne in propriis Ecclesiis Missas privatas celebrent ante Missam Parochialem, et praecipue diebus festis.

762. Apud Ordinem Infirmis Ministrantium in vita serventur Constitutiones, in quibus statuitur, ut nullus praecedendi locus sit inter Clericos, Sacerdotes, et Laicos: in morte vero servetur Rituale Romanum.

763. Orta controversia super iure praecedendi in Processionibus, aliisque actibus publicis inter Fratres s. Francisci de strictiori Observantia,et Fratres Eremitanos s. Augustini,S. C. censuit tria Brevia Urbani VIII in favorem dictorum Fratrum de strictiori Observantia esse reducenda ad terminos iuris, non solum in praesenti, sed etiam in quacumque simili causa: et denique ubique terrarum servandam esse Constitutionem Gregorianam dictis Brevibus non obstantibus.

764. Non est in ingressu ad Ecclesias Regularium porrigendum aspersorium alicui, qui non sit Episcopus, ad aspergendum populum inibi intervenientem.

765. Praelati Regulares libere, et licite reconciliare valent suas Ecclesias, Coemeteria, et Oratoria qualibet sanguinis, vel seminis effusione, seu alias quomodolibet pollutas, seu polluta, quoties opus fuerit aqua per eos benedicta, ubi Episcopum aquam benedicentem per duas dietas adire non poterunt.

766. Cum P. Provincialis Ordinis Servorum cum aqua a se ipso benedicta reconciliaverit Ecclesiam sui Ordinis ob sanguinis effusionem pollutam, declaratur Ecclesiam esse reconciliatam, sed in futurum abstinendos esse Fratres in similibus.

767. S. Rit. C. ad preces Abbatissae, et Monialium Monasterii s. Margaritae Civitatis Bononiae, ex quo ex undecim, quae solemniter velari postulant, tres infirmitate laborent, concessit pro hac vice tantum, ut earum solemnis velatio fieri possit ad fenestellam vestitionum: quoad vero Monialem impotentem accedendi ad fenestellam permittit, ut inter Missarum solemnia a duabus Monialibus velum benedictum ad eamdem deferatur.

768. Regulares prohibentur receptare, et retinere in Conventibus Bannitos, Fallitos, et aere alieno gravatos sub poena privationis Officiorum, vocisque activae, et passivae.

§. X. *De Confraternitatibus*

769. Priores Confraternitatis SS. Sacramenti incedere debent non ante Baldachinum post Capitulum, sed a latere Baldachini. Praecedentia inter Confraternitates illis debetur, quae prius saccis usa est, etiam in concursu cum Confraternitate SS. Sacramenti, cui tamen debetur praecedentia in Processionibus SS. Sacramenti, dummodo accedat etiam ad alias Processiones, et in loco sibi debito incedat.

770. Indulgendum, ut Societas SS. Sacramenti praecedat in Processionibus, in quibus SS. Sacramentum defertur tantum, dummodo eadem accedat ad alias Processiones iuxta ordinem antianitatis.

771. *Urbis, et Orbis.* Iurium Parochialium functionum, et praeeminentiarum inter Parochos, et Confraternitates Laicorum, earumque Capellanos et Officiales. Quae cum in 33 articulos evehantur, ideo hic missa facimus, ut videantur potissime numeris omnibus sub praesenti num.

772. In Processionibus cum sacra Imagine B. M. V. Officiales Confraternitatis debent incedere a latere Statuae.

773. Ubi in Processionibus Confraternitatum earum Capellani usi sunt stola tam intra, quam extra propriam Ecclesiam, servanda est consuetudo, et nihil innovandum.

774. Confratres Societatis SS. Rosarii incedentes sine habitu non possunt deferre Crucem, nec praecedentia eis competit super alias Societates, quae ante eos habent habitum.

775. Confratres decedentes ad locum sepulturae deferendi sunt cum habitu Confraternitatis, in quo sepeliri in vita statuerunt, et per Confratres eiusdem Confraternitatis.

776. Regulares vocati a Confratribus non possunt prohiberi, quin accedant ad Processiones, et ad celebrationem Missarum.

777. Duae Confraternitates in eodem loco sub eadem invocatione erigi non possunt.

§. XI. *Corollarium*

778. In Missa tantum, et non in Vesperis Episcopo celebrante debet adhiberi septimum candelabrum : nunquam tamen in Missis Defunctorum; Praelatis vero Episcopis inferioribus semper et ubique interdicitur.

779. Thuris, et pacis honor inter Missarum, et Vesperarum

CAPUT X. — MISCELLANEUM

796. Ecclesiae consecratio probatur concludenter ex signis deductis, et signa probantur per testes deponentes de visu. Per celebrationem Missae in Ecclesia polluta non dicitur reconciliata, sed reconciliari debet iuxta formam praescriptam in Pontificali. Ecclesia reconciliata ab Episcopo non habente iurisdictionem in Loco, dicitur bene reconciliata. Si ignoratur dies Consecrationis, debet Episcopus constituere ex nunc certum diem, qui deserviat quotannis pro Consecratione Ecclesiae.

797. Quoties vigilia s. Ioannis Baptistae cadit in die Corporis Christi, anticipandum est ieiunium in feria 4.

798. Quoad Reliquias vulgo dictas *battezzate*, circa cultum, et venerationem quoad praeteritum nihil innovandum: quoad futurum nullatenus baptizandas. Quoad Officium, si certa sit sanctitas licet incertum nomen, servetur decretum locale S. C. de Reliquia insigni, non expresso nomine particulari aliquo.

799. Occurrente festo Corporis Christi cum vigilia s. Ioannis, nihil fit de vigilia nec in Missa, nec in Officio.

800. In multis Ecclesiis ad inserviendum lepori musices, alteratur notabiliter textus sacrarum Scripturarum, mutilando, anteponendo, postponendo, et alterando verba, et sensum illarum, et adaptando ea modulationi, ita ut non musices S.Scripturae, sed haec illi inservire videatur. Quod indiget reformatione.

801. Urbanus VIII in promulgatione Const. inc. *Universa* intentionem suam fuisse dixit tollere festa de voto quoad vim praecepti, reservata obligatione ratione personalis contractus ex vi voti provenientis ipsismet personis tantum, quae voverunt.

802. Litaniae de SS. Nomine Iesu ex gravissimis causis, et peculiaribus rationibus adprobantur, si Sanctissimo placuerit.

803. Vota Communitatum, seu Locorum, licet confirmata ab Episcopo, ut etiam successores obligentur, ad nihil isti tenentur.

804. Asservari non debent Reliquiae Sanctorum in Monasteriis Monialium, sed in exteriori Ecclesia.

805. Quoties in Ordinatione ad presbyteratum non tetigerit Ordinandus tactu physico Calicem, potest continuare celebrationem s.Sacrificii absque ullo scrupulo, et tuta prorsus conscientia.

806. Adstante obligatione testamentaria recitandi certo tempore post ultimum Evangelium Missae Passionem secundum Ioannem, satisfieri debet, exutis vestibus sacerdotalibus, et cum sola Cotta in Altari, vel in Sacristia.

807. Ad instantiam Confraternitatis SS. Rosarii toleratur, ut in fine Litaniarum dicatur *Regina Sacratissimi Rosarii*.

808. Translato festo, in cuius die conceditur Indulgentia, non transfertur Indulgentia.

809. In altari fixo amotis Reliquiis debet iterum consecrari.

810. Cereus paschalis regulariter accenditur ad Missas, et vesperas solemnes in tribus diebus Paschae, Sabbato in Albis, et in diebus Dominicis usque ad festum Ascensionis Domini; in aliis diebus servetur consuetudo.

811. In Matutino Tenebrarum candelabrum triangulare sustinens 15. cereos cerae communis poni debet a latere Epistolae.

Ad *Benedictus* sex cerei Altaris extinguuntur, cum dicitur vers. *Ut sine timore*. Feria 4. ad Matutinum pro feria 5. extingui non debet in fine *Benedictus* lampas ardens ante SS. Sacramentum.

812. In tribus diebus Officiorum Hebdomadae Maioris, ac in aliis infra annum debent Dignitates, et Canonici cantare lectiones, et Prophetias de Legili.

813. In Novendiale ad Natale Domini in Benedictione SS. Sacramenti ad *Magnificat* non est incensandum Altare.

814. In Sacrificio Missae uti non potest Palla a parte superiori drappo serico cooperta.

815. Publicae preces, et gratiarum actiones peragi possunt in Ecclesiis Regularium, aut exemptis absque licentia Ordinarii: demptis processionibus, aliisque actibus vetitis fieri absque licentia Ordinarii.

816. Regulares absque speciali privilegio, sed sola communicatione privilegiorum aliarum Religionum, non possunt addere nomen s. Fundatoris in Litaniis, et *Confiteor*, neque recitare Officia, et Missas concessas aliis Religionibus.

817. Reliquia SS. Crucis non est incensanda a Celebrante genuflexo.

818. Ad lucrandas Indulgentias pro recitatione psalmi *De profundis*, idem psalmus recitari debet flexis genibus, et ad sonum campanae.

819. Ad lucrandum quoque singulis sextis feriis totius anni Indulgentias pro recitatione flexis genibus, et ad sonum campanae quinquies *Pater* et *Ave*, campana pulsari debet hora tertia post meridiem.

820. Quoad genuflexiones pro regentibus Chorum, quando mora genuflexionis est brevis, haec fiat dum pronuntiantur verba genuflexionem exquirentia: quando autem mora est longa, ne plurium vocum unisona modulatio inflectatur, genuflexio peragatur sub finem verborum.

821. Quando loco principe Reliquia SS. Crucis super Altare fuerit exposita, tunc transeuntes ante illam unico genu usque ad terram flexo venerare debent, diversimode vero sola capitis inclinatione, si praefata Reliquia recondita erit in custodia.

822. Confirmandus tempore Confirmationis praeter nomen suum baptismale potest aliud nomen Sancti sibi imponi curare.

823. Superiores Ordinum, seu Religionum non debent cum habitu quotidiano imponere incensum in thuribulo, nec illud benedicere.

824. In consecratione Ecclesiae de ieiunio quod praescribitur, an sit strictae obligationis, et an sit tantum personale, vel etiam locale. An si consecratio fit de feriali sit observandum festum; et de Officio tali die celebrando. Videnda haec omnia potissime sub praesenti num.

825. Imagines Beatorum pingi, ornarique possunt laureolis, radiis, et splendoribus, non autem diademate.

826. Cum pronuntiatur nomen SS. Trinitatis, congruit, ut fiat capitis inclinatio.

827. Canonici Cathedralis in administratione Sacramentorum tenentur deponere Cappam, atque uti superpelliceo, et stola, non tamen dum Verbum Dei praedicant.

828. Sacra Indumenta, ac supellectilia conficienda sunt ex lino, aut cannabe, non autem ex gossipio, aut alia quacumque materia.

829. Parochus male se gereret baptizando cum stola violacea, et liniendo puerum periclitantem extra Ecclesiam oleo etiam Cathecumenorum; in casu enim necessitatis omnia sunt omittenda.

830. Iubente Ordinario,ut quibusdam solemnitatibus, aut in alio peculiari casu sonus aeris campani omnium Ecclesiarum edatur,Regularium Ecclesiae,aliaeve quamtumvis exemptae eius mandata parere tenentur. Non licet titulo specialis devotionis Litaniis Sanctorum vel Lauretanis aliquem versiculum addere.

831. Cum decreta S. Rit. C., quae de mandato Cardinalis de Somalia eiusdem S. C. Praefecti exscripta fuere, non omnia ibi comprehendantur,quae omissa sunt,liberum est pro postulantium voto eidem collectioni addere.

832. Non possunt Parochi pro sua commoditate apud se in domibus suis retinere s. Oleum infirmorum, excepto tamen casu magnae distantiae ab Ecclesia.

833. In orationibus tam Officii, quam Missae variari non debet *hunc diem*, vel *hodiernum diem*, sive *praesentem diem*, inconsulta S. Congregatione, cum transfertur Officium sive accidentarie, sive perpetuo.

834. Episcopus non potest cogere, sed tantum hortari Rectores Eccles. Parochialium suae Dioecesis, ut vinum, hostias, paramenta et cetera ad celebrandum necessaria subministrent.

835. Potest Episcopus prohibere, ne, eo sacris Missarum solemniis pontificaliter incumbente, in eadem Ecclesia Missae privatae interim celebrentur.

836. Episcopo visitanti Ecclesiam parochialem alicuius Monasterii tenetur eiusdem Superior indutus cotta, stola, et pluviali obviam ire cum aliquibus Monachis usque ad ianuam dictae Ecclesiae, ibique eum excipere, praebere aspersorium cum aqua benedicta, eumdemque thurificare.

837. Sub hoc numero contenta iam sub num. 79, pag. 16.

838. Episcopus in aliena Ecclesia non potest sibi pulvinar, et pannum coloris violacei sternere, et extra suam Dioecesim non competit illi deosculatio textus Evangelii.

839. Sacerdotes in die Coenae D. SS. Chr. Corpus sumpturi possunt deferre stolam vel ante pectus vel a collo pendentem.

840. In 2. triduo maioris hebdomadae non possunt celebrari exequiae defunct., et Officium et preces recitentur privatim.

841. Episcopi cuiuscumque Ordinis Regularis professores ad horum Ordinum claustra redeuntes, ad eorum Officia assumi nequeunt.

842. Cardinalis nullus fieri potest, qui sit frater germanus alterius Cardinalis viventis.

Reliquias impositas extraxit, et authenticas repertas denuo composuit, quatenus Episcopus in supradicto Altari celebraverit, non indiget alia consecratione.

857. Altaria Sanctis Testamenti veteris Prophetis dicata permittenda tantum sunt, si antiqua.

858. Licet Confraternitati, seu Confratribus de licentia Episcopi retinere sedes confessionales in eorum Oratorio, ibique per confessarios approbatos excipere Confessiones sacramentales.

859. In adoratione Crucis in feria 6. in Parasceve debent Celebrans, et Ministri deponere etiam Manipulum.

860. Pro doctoribus Ecclesiae intelligendi sunt illi, in quorum Officio Ecclesia utitur Antiphona *O Doctor optime.*

861. Pro Patriarchis Religionum intelligendi sunt omnes illi, de quibus Ecclesia catholica celebrat Officium, et Missam.

862. Cum in nova constructione Ecclesiae imagines, et tituli Altarium antiquitus consecratorum translati fuerint de uno loco ad alium, non amota tamen a primaevo loco Mensa iam consecrata, non indigent Altaria nova consecratione.

863. Clemens PP. XIII, ad preces Catholici Regis Hispaniarum concessit, ut in suis Regnis, et Dominiis facultas sit addendi in Litaniis Lauretanis B. M. V., post versiculum *Mater Intemerata*, alterum scilicet *Mater Immaculata.*

864. Imago B. M. V. thurificanda tantum est duplici ductu.

865. Quoad obligationem audiendi Sacrum, et vacandi ab operibus servilibus penes Moniales Cistercienses in primariis festis ss. Benedicti et Bernardi,serventur Constitutiones Ordinis.

866. In dubio Ecclesiae Cathedralis pollutae, et in dubio illius reconciliationis rite, vel non rite factae, facto verbo cum Sanctissimo non est amplius hac de re inquirendum.

867. Ossa femoris alicuius Sancti non sunt Reliquia insignis, ita ut possit Ordinarius Officium, et Missam de tali Sancto concedere.

868. Thecae in qua asservantur sequentes Reliquiae, nempe guttae Sanguinis D. N. I. C., velum B. M. V. eodem sanguine aspersum, et parva Crux de Cruce Salvatoris, citra approbationem Reliquiarum, permittendae sunt tantummodo illae venerationis, et cultus significationes, quae conveniunt Reliquiis de Cruce D. N. I. C.

869. Ante sacras Reliquias expositas super Altare saltem ardeant duo lumina, alias Reliquiae non exponantur.

870. Non possunt excipi in Ecclesia Confessiones, maxime mulierum, durante tempore nocturno, sed expectandum, ut illucescat aurora, etiam pro Eucharistia ministranda Christifidelibus utriusque sexus.

871. Preces pro electione Episcopi protrahendae sunt usque ad diem Consistorii, in quo eligitur novus Episcopus.

872. Collatio sacrorum Ordinum extra tempora statuta locum habere potest etiam diebus festis a Sede Apostolica abrogatis.

873. In actu Ordinationis possunt vocari tonsurandi formula *Accedant* etc.

*

896. Potest alter Sacerdos benedicere novum ignem in Sabbato Sancto, licet postea Missam non celebret.
897. Servetur rubrica Missalis quoad grana incensi infigenda in cereo.
898. Aspersio aquae benedictae diebus Dominicis fieri debet a Celebrante.
899. Circa modum deferendi Crucem Archiepiscopi in functionibus pontificalibus servetur dispositio Caeremonialis.
900. Servetur rubrica Pontificalis Romani quoad officium Archidiaconi in benedictione sacrorum Oleorum.
901. In processionibus SS. Sacramenti Diaconi assistentes inserviunt Episcopo cum paramentis.
902. Ex speciali gratia Sedis Apostolicae poterit servari consuetudo removendi arundinem post Prophetias.
903. Serventur dispositiones Caeremonialis ab Episcopo et Ministris dum procumbunt ante Altare ad Litanias post benedictionem fontis.
904. In lectione Martyrologii in vigilia Nativitatis Domini serventur rubricae.
905. Conclusio hymni *Veni creator Spiritus* prima anni die erit *Deo Patri , . . . eiusque soli Filio.*
906. Palla non debet apponi sub reliquia exposita.
907. Reprobatur liber cui titulus *Collectio benedictionum . . . . auctore Bernardo Sannig.*
908. Extra tempus Paschale hymnus *Veni creator* concludatur *Deo Patri . . . . eiusque soli Filio.*
909. Nequeunt pro arbitrio decantari Litaniae, quae adsignantur in Missali post benedictionem fontis.
910. In administratione Sacramenti poenitentiae adhibeatur, stola violacea.
911. In fimbriis albarum et aliarum vestium non licet apponere sericum rubrum sub velo transparenti.
912. Decret. generale pro editione Librorum Liturgicorum.
913. Altaria sive fixa sive portatilia amittunt consecrationem si frangatur sepulchrum Reliquiarum.
914. Reprobatur usus cantandi verba *Benedicat vos Omnipotens Deus* dum impartitur benedictio cum reliquia s. Crucis.
915. Superior Laicus Ordinis s. Ioannis de Deo in Missis et Vesperis solemnibus nequit praecedere Sacerdotibus, et Antiphonas intonare.
916. In Collegiata nequit retineri sedes fixa pro Episcopo.
917. Si in Choro Fratrum Minorum reperiatur Episcopus, Ordinarius vel non Ordinarius, in thurificatione servanda est regula a Caeremoniali Episcoporum tradita.
918. Post Benedictionem SS. Sacramenti potest permitti usus canendi ℣. *Benedicat nos Deus* etc.
919. Non licet canere ℟. *Libera me Domine* post Missam solemnem Dominicae infra octavam omnium Sanctorum.
920. Superior Laicus Ord. S. Io. de Deo nequit subdelegare benedictionem sacrae suppellectilis sacerdotibus sui Ordinis.

957. In Ecclesiis exemptis non licet extraordinarie exponere SS. Sacramentum sine licentia Ordinarii.

958. Parochus prima dignitas Ecclesiae Cathedralis non potest indicere orationem XL horarum absque licentia Episcopi.

959. Oratio XL horarum cessare debet a mane feriae 5. maioris hebdomadae usque ad mane Sabbati Sancti.

960. In expositionibus SS. Sacramenti occasione XL horarum congruentius abstinendum est a celebratione Missarum de Requiem.

961. Instructio Clementis XI, pro oratione XL horarum extra Urbem non obligat, laudandi tamen sunt qui se illi conformare student, nisi aliud ab Ordinariis Locorum statutum sit.

962. Maxime decet in Ecclesiis Cathedralibus, et Collegiatis, ut tempore XL horarum aliquis Sacerdos, vel Clericus cum superpelliceo assistat, vel etiam cum stola, si Sacerdos.

963. Dum Vesperae solemniter celebrantur cum expositione SS. Sacramenti, et concione ad populum, quatenus Sacerdos non recedat ab Altari, reservatio facienda est cum paramentis coloris respondentis Officio diei, et velo humerali albi coloris: quatenus vero recedat, et reservatio habeatur tamquam functio omnino separata, et distincta ab Officio Vesperarum, utendum est paramentis coloris albi.

964. In concionibus habendis a Regularibus occasione XL horarum, in proprio sui Ordinis habitu (extra Urbem Romae) iuxta solitum eo fungi possunt munere : secus dicendum de Clericis Regularibus,qui uti debent superpelliceo vel etiam stola.

965. Clemens VIII singulis poenitentibus, confessis, ac sacra Communione refectis, qui in oratione continua, et non interrupta XL horarum per unam saltem horam pie oraverint, concedit Indulgentiam plenariam.

966. Paulus V ampliavit praefatam plenariam Indulgentiam pro tempore, per quod orare cuilibet fuerit commodum.

967. Benedictus XIV declarat,praelaudatam plenariam Indulgentiam habere locum etiamsi de nocte cesset expositio SS. Sacramenti, et interrumpatur oratio, modo tamen horis diurnis semper expositum relinquatur SS. Sacramentum.

968. Clemens XIII ubi venerabilis expositio sive in hebdomada septuagesimae, sive sexagesimae, vel quinquagesimae per tres dies peragatur, atque etiam tantummodo in feria 5. intra hebdomadam sexagesimae, confessis, sacra Communione refectis, et Ecclesiam, ubi adest expositio, devote visitantibus Indulgentiam plenariam impertitur.

969. Denique Pius VII praefatas Indulgentias a praedictis Summis Pontificibus concessas, ut animabus Fidelium Defunctorum per modum suffragii applicari possint, benigne concedit; ac insuper declarat privilegiata omnia Altaria illius Ecclesiae, in qua per turnum fit expositio, durante tempore expositionis.

CAPUT XII. — QUAESTIO INDEFINITA PRO RATIONE COROLLARII AD FIDELIUM COMMUNIONEM INTRA MISSAM

Num. 970. et seq.

INDEX



PER ANNUM



